Est Conventus Viennensis FF: Eremit: Discalcea: S.ti Augustini.


SALVS. Hisce sub auspicijs orbem peragrare laboro: per mare per terras est mihi meta
CVM DEO
ET DIE
EXTENDERE
HONOREM
FACTIS
NON OTIO
In terrIs Me fVLCra DVo VIrtVte tenebVnt:
QVæ VIrtVte DeVs fVLCIat oMnIpotens.
Dom.co Roffetti Fec. Trient.

چهل ستون

CEHIL SVTVN,

SEU

Explicatio utriusque celeberrimi, ac pretiosissimi

THEATRI QUADRAGINTA COLUMNARUM

IN PERSIDE ORIENTIS,

Cum adjecta fusiori narratione de Religione, moribusq; Persarum, & eorundem vivendi modo, populis vicinis, alijsq; de hac Orientali Natione famosissima scitû dignis.

AUGUSTISSIMO, AC INVICTISSIMO

LEOPOLDO PRIMO,

ROMANORUM IMPERATORI, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEM. REGI, &c. &c.

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.

AB AUTHORE

Ejusdem Sacratissimæ Majestatis humillimo atq; perpetuo servo & cliente, pro tunc ad limina Aulæ Augustiss: degente, PETRO BEDIK, Nobili Pers-Armeno, olim Venerabilis Collegij Urbani VIII. de propaganda fide in literaturis Artium, & SS. Theol. Alumno, exinde verò per plures annos gravissimorum pro Christianitate Orientis negotiorum fideli Zelatore

Dicata, & consecrata


DVM feLIX AVstrIÆ prInCeps natVs.

VIENNÆ AUSTRIÆ, typis Leopoldi Voigt, Universitatis Typogr.

AUGUSTISSIMO, INVICTISSIMO,
AC GLORIOSISSIMO
LEOPOLDO PRIMO,
ROMAN. IMPERATORI,
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque Regi, &c. &c.
Victori, & Triumphatori felicissimo,

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.





Nno evoluto Sacratissime Sapientissimeque Cæsar, *suos terra fructus progignit maturos, & germina humano usui deservitura. Hunc ego ab Authore supremo naturæ cursum inditum, arte imitari contenderam, quæ Duce* DEO

Ter Optimo Maximo *ſub auſpicijs* Sacræ Majeſtatis Veſtræ *Clementißimis felicioris partûs eſſe felcißima Genitrix omninò exoptârat. Evolvitur jam annus, quo* Majeſtatis Veſtræ *ſervitijs me ſupplicem obtuli, atq; hunc uſque præſentem diem ſupplex vixi, vivoq; ; nunc tandem in perpetuæ ſervitutis ſpecimen, & notificandam omni mundo ingenuæ devotionis meæ teſſeram, penſandamq; aliqualem pro Clementißimis Cæſareæ munificentiæ beneficijs gratiarum debitißimam retributionem, tenue hoc meum opuſculum defero; cujus quidem articuli omnes, folia, & periodi utiq; non adæquare poſſunt beneficiorum pondus, neque contentis plus mille longiores, & numeroſiores lineæ literæq; me valebunt ceptâ obligatione exonerare, niſi aliunde imbecilli poßibilitati vires addiderit ineffabilis Clementia, benignitas inexplicabilis, & bonitas omnem exſuperans comparationem; quibus virtutibus, & veluti attributis* Sacratiſſimæ Majeſtati Veſtræ *ſingularißimis, ad inſtar Numinis agit,* Sua *cuiq; conferens beneficia gratis. Nullus proinde dubito, quin gratum partus hic exiguus ingenij mei, atque benevolum ſortiturus ſit ſinum; cum fructus ſit, aliunde jam per unius anni decurſum benevolentißimis gratijs, & veluti cœleſtibus influentijs* Majeſtatis Veſtræ Clementiſſimæ *copioſißimè irrigatus. Arboremſ anè me fructûs peroptimi feracem dixerim, eo*

etiam

etiam motivo, quod in terra optima fructificârim, dùm nempè non perperàm elegissem sub tempus mansionis meæ morari, degereq́ in Cœnobio Patrum Prædicatorum, & vitam fermè ducens Monasticam ac Religiosam, pepercissem commoditatibus illis, quibus liber cæteroquin animus gaudere solet: id ratus; sic seriæ considerationis maturitate perficiendum fructum Orientalis simplicitatis meæ, & diu occultatum partum ingenij obscuri feliciùs optatam proditurũ in lucem. Tum, quod annuo hoc tempore, superatis non paucis itinerum antea difficultatibus, quietiùs intensiusq́ meo pro servitijs Sacratissimæ Majestatis Vestræ *indulgere potuerim affectui, atque sub clementißimis auspicijs ejusdem, quæ meæ in sanctam Orthodoxam* Dei Ecclesiam, & Augustissima Vestra *limina obligationis sunt, exactiùs ponderare, & exequi valuerim. Tum, quod redeunte tandem post nubila phœbo, atque hoc in desolatæ Christianitatis, Romaniq́ Imperij disturbine, utiq́ ad intercessionem Divorum Orientis pariter & Occidentis, felicitas illa evenerit, post quam nedum mea, sed & omnis populi spes avida erat. Unde optatum mihi tempus evenisse reor, divinâ imò gratiâ mihi concessum puto, ut partum hunc meũ priùs non dederim luci feliciùs, quàm* lux *felicißima oriretur ex* Austria: *quatenus ita, si cæcutiens fors ingenium cæcum omninò parturijsset fructum, aut*

à debita perfectione degenerem, felicißimâ illâ gaudiorum luce, *illuminaretur, tantoq́ evaderet felicior, quantò nativitatis ejus felicißima eſſet conſtellatio clarior, atq́ ſerenior. Ut ſanè non me pigeat exantlati itineris tam longinqui, cum etiamnum videns* ſtellam *ortam in Occidente, rectè me cum illis Regibus ex Oriente veniſſe gratuler, ut cum muneribus milleni affectûs, quæ unico hoc ſinceritate aureo opuſculo recluſi, venerim adorare eum, qui Orbi Chriſtiano natus eſt in ſalutem & venerationem.*

Hæc igitur Lux Auguſtiſſima *ſereniſsimo gaudiorum fulgore dißipet utinam, non tantùm obſcuras hujus operis mei caligines, ſed & ſole omni potentior diſpergat denſißimas diverſarum inanium cogitationum nebulas, & tetra vacillantium animorum nubila, vel meticulosè, vel non ſincerè de Phæniciana, & felicißima* Auſtriadum *perpetuitate ſentientium. Nullo verò non afficiat mentis gaudio eos, qui ſerenâ facie contuiti ſunt exſurgentem novißimis in diebus* Auſtriæ lucem, *indeque ominati felicißimum, amænißimumq́ orbi univerſo diem. Prout utique de nonnulla mortalium cohorte hoc in eventu Neonati* Majeſtati Veſtræ Sereniſſimi Filij Principis, *illud prædictum intellexerim:* Multi in nativitate ejus gaudebunt. (*a*)

Gau-

(a) *Luc. 1. v. 14.*

Gaudebit & Sacratissima Majestas Vestra, *mensque DEI amantißima de hoc Cœli magis, quàm terræ fructu non omiserit exultare. Gaudebit* Serenissima & Augustissima Puerpera, *de consolatrice DEI manu potentißima, quæ largißimis benedictionibus irrigavit, tandemquè novißimis hisce diebus optatißimo fructu beavit* Augustissimam Domum Austriacam. *Illa ergò cum tota* Augustissima domo Vestra, *universaq́; Cognatione* Serenissima Sua, *illud canere ausit cum Angelorũ Imperatrice, Cœlorumq́; Regina:* Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum Nomen ejus. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. (*a*)

Gaudium sit denique Omni Christiano Orbi, atque Catholicæ Urbi, terræq́; demum universæ. Tripudium sit his cum cœlo Deoq́; commune. Cujus quidem tripudij sui, dum virtutem potentiamquè Austriacam *novo fructuum semine persentiscit, terra jam signum dedit, Cœlum imò plausum prodidit. Istud equidem, dum Neonato* Principe *abundantibus veluti gaudiorum superfusum excessibus in largas pluviarum lachrymas subitò diffunderetur. Illa verò, dum ipsummet Nativitatis* feli-

(a) *Ibidem v. 48. 9. & 50.*

felicißimæ annum omni divitiarum ſuarum, ut ita dicã, prodigalitate celebrat, nullisq́; non campis amænißimè ridens, omnem gaudiorum materiem ſuperabundanter adminiſtrare conatur: undè omnis in eâ populus Deum bonorum omnium Largitorem collaudet, eidemq́; ſingulariter, & comprimis de optatißimo Neofructu, *ut Principali, quem cætera, ut acceſſoria conſequuntur, gratias referat immortales. Nequè in hoc* Cæſar Auguſtiſſime Auſtria *tantùm* Veſtra, *& Imperium* Veſtrum, *ſed & Occidens omnis, Orienſq́;, Septentrio pariter & Meridies, dißitæ Affricæ, Americæq́;, & ſi qui etiam ſint latentißimi Orbis Chriſtiani anguli, cum ſancta DEI Eccleſia Univerſali, & Orthodoxa inclament, ac veluti de novo Numine glorientur, per illud:* Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. (*a*) *Ego verò meo pro voto ſubjunxerim:* Ut fiat Principatus ſuper humerum ejus, voceturq́; nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.

Et quam ego me non felicem æſtimârim, qui ſub id temporis, Deo utiq́; & fortunâ felix, Sacratiſſimæ Majeſtatis Veſtræ *me dedicâram ſervitijs; ut particeps fierem, & delitiosè quaſi unà libarem de poculo communis gaudij, omni nectare dulcioris. Hoc enim erat vinum lætitiæ expreſſum de feracißimo genimine*

(a) *Iſa. 9. v. 6.*

mine domûs Auſtriacæ *lætificans cor hominis Orientalis: ut proindè affectu omni ſinceriori, animo devotiſſimo, ſubmiſſiſſimaq; mente, quâ utcunque Orientales ſolent ſe ſuaq; omnia ſuis ingenuè atque humiliter offerre Dominis*, Sacratiſſ. Maj. Veſtræ *pedibus provolutus deponā ſuppliciter id, quod aſpirātibus ejuſdem gratijs, & irrigante munificentiâ feliciter mundo protuli, fructum nempè in Occidente partum, guſtûs tamen, atque ſaporis Orientalis.*

Atque utinam ſapiat fructus hic, & Orientali ſuavitate recreet animum Sacratiſſimæ Majeſtatis Veſtræ, *ipſo quidem hoc tempore, quo fructus eidem novíſſimis hiſce diebus oriens, cor omne animumq; inexplicabili dulcedine perfudit. Ita imò perfudiſſe exiſtimo, ut dubio procul ſim, quin hic ingenij mei partus clementiſſimâ ſuavitate* Auguſtiſſimum ſinum *recreare valuerit: aſſumens pretioſum, quod deeſt ei, ex pretio munificentiſſimæ* Majeſtatis Veſtræ; *mutuans optimum, quo forſan caret, ex clementiſſima bonitate* Veſtra; *fiatq; tandem, ſi non ex merito ſuo, de* Auguſtiſſimæ Majeſtatis Veſtræ *gratia gratioſus hic fructus partusq; meus, futurus & ſic omnium manibus delicioſus.*

Cæterùm hoc opuſculum meum à چهل ستون Cehil Sutun, *ſeu quadraginta Columnarum Palatio à Cyro antiquiſſimo Rege Perſarum erecto, inſcribo, atq; exordior: eâ ſcilicet potiſſima ratione, quòd*

hoc in Amplissimo Amphitheatro dignissimis antiquitùs elogijs pariter celebrata sit Augustiss. Orientis Imperatorum *memoria, eorum comprimis, qui Marte & fide Inclyti tantis se ultro citroq; dignos laudibus effecere,* Justini utriusque, & Justiniani, *quibus non sine maximo gaudio* Majestatem Vestrã Aniciano ex stemate Romano gloriosissimo antiquissimoq; *per Ordinem Genealogicũ junctam inveni, eorundemq; æmulatores exactissimos, imò & superexcedentes, quâ virtute, quâ potentiâ, quâ zelo Religionis, quâ demùm omni titulo laudatissimos ab antiquissimis temporibus reperi* Austriadas, *singularissimamq; horum omnium Idæam demiror in* Augustissima Clementissimaque Majestate Vestra, *cujus Inclytæ victoriæ memoria nuper à Modernorum Persarum Generosissimo Rege Habas secundo, solennissimis tripudijs est celebrata, in palatio* Cehil Sutun *ab eodem erecto, uti ipso in opere meo fusiùs pertractabo. Dum ergo ex Persarum aula veneram, de illa hac in Aula notitiam facere curavi; quique* Augustiss. Maj. Vestræ *Nomen gloriosissmũ Orienti etiam nostro magis notum esse cupio, de eo loco exordior, ubi penè notissimum est, atq; amplissimis honoribus celebratum. Omiserim exhinc ulteriora amplissimæ laudis argumenta, quæ vernaculâ Persicâ exarare me oporteret, breviuscula tantum sequentia in gloriam* Augustissimæ Majestatis *edicens.*

PER-

Peroratio Persica,

Arabicis intermixta.

قطع نظر از این معني که چون من ضعیفي مولف این نسخه است توان گفت که مولفي درباب خود نظیر و مانند وی نباشد چه اتفاق تالیف چنین کتابي نموده مگر از اقتضاي عهد میمون و اختر همایون علیحضرت قیصر جمجاه سپهر بارگاه انجم سپاه لشکر پراي رعیت پرور فرمانرواي هفت کشور غرهٔ جهانداري ناصرهٔ سلطنت و کامکاري نور دیدهٔ عیسویه خلاصهٔ دودمان اوجاق رومیه صاف شراب صفوت قطولیقه نتیجهٔ جوهر فتوت مجمع فرزانگي مظهر مردانگي برگزیدهٔ قوانین عدل و انصاف آب روي دولت بهار گلزار ملت و ولایت ملکه شجاعت مرکز سخاوت پادشاهي و قیصري که جهان ناپایدار از اسواري عهدش پایدار شود عالم بي‌اعتبار از محکمي بنیان دولتش اعتبار پیدا کرد و از شوکتش شوکت سعود پذیرود. و دولت از مصاحبت موکبش بر آفتاب سایه گستر مظفري که ظفر از کمر بستگان خدمت او است منصوري که نصرت را ملازمان حضرت او با آفتاب در تلاش است و از عهده

شکر معدلتش مگر انصاف کرك و تظلم ظالم مظلوم
بدرتواند امد و وصف مکرمتش را مگر عجز زبان ناطقه
وضعف قوت اندیشه بعهده تواند گرفت پس شاید تکلف
توان گفت که برهوای سلطنت چنین صورتی فایض نگشته
وعناصر پادشاهی مزاجی باین اعتدال تعلّق نگرفتــــه
وارکان جهان داری را باین تمامت رونداده ومادّه
قابلیت عالمگیری هرگز مستبعد چنین فعلیتی نبــوده و
هوالملك العادل والسّلطان الصالح و الخــاقــــان
مخدوم اعاظم السّلاطین العسویه السلّطان بــــن
سلطان و الخاقان بن خاقان ابو النصر ابو الغـتـــح

LEOPOLDUS لیپلدوس

قیسر روم شهنشاه جوان سال جوانبخت زینت تخت زمش
آسمان ولایت نبیش احفظه اللّه تعالی عهد ملــك
سلطانه و ادام علی العالمین فیض برّه و احسانه من دعا
کردم لیکران آمین آمین بگویند این دعاسیت که فرض است
بهر پیر و جوان وارکان دولت واین نسخه گرامی موشح
بنام نامی والقاب سامی این قیسر که اگر ازاعتبـــار
مولف عاری است بسبب مولف له اعتباری کیرد که بر
مولفات اولین وآخیرین تفوق یابد ایام سلطنــت و
جلات و فضلیت و اقبال بمالند وهزاران جان مبســل
جان من برپای سمندش فیدا بــــاد ☼

INTERPRETATIO
Perorationis Persicæ, Arabicisq; intermixtæ.

PRæscindendo ab hoc, quod Author unus alterum sibi in scribendo scribendiq; motivo parem omninò, & per omnia similem non habeat: illud saltem securus de hoc meo opusculo edixerim Author quantumvis tenuis, quòd id unà mecum suam obtinuerit felicitatem, sub felicitate temporis felicis, & splendore Sideris Principum, sublimis Dominationis, *Cæsaris locupletissimi.* Cujus portæ limen cœlum est, & milites Sidera, & qui est exercitûs decus, subditorum conservator, commendans septem climatibus mundi, pupilla mundi possessionis, inclytus Dominio, & desiderijs; lumen oculi Christianitatis, specialis hæres familiæ Romanæ, purus liquor Puritatis Orthodoxæ Religionis; consequentia, sive compendium pretiosum urbanitatis, atq; benignitatis, Congregatio, sive Corolarium Sapientiæ; Nota Virilitatis; electa Elegantia, sive phrasis canonum Justitiæ, & discretionis; Venustas, atque Morigeratio prosperitatis, Ver floridum populorum, & nationum; generositate, atque fortitudine pollens Angelicâ; centrum liberalitatis. *Rex*, atq; talis *Cæsar*, ut inconstans mundus ex constantia temporis sui, stabilis factus sit. Et mundus fallax ex firmitate basis suæ prosperitatis, sibi fidem lucratus est; & magnitudo, sive dominium gentium, & populorum ex ejus dominio ascensionem accipit; & prosperitas ex amicitiâ cum sphærâ magnitudinis ejus soli umbram facit: utpote splendor veræ suæ prosperitatis est ita excedens, ut & splendori solis umbram faciat. Victor talis, ut victoria ex lumbis præcinctis servis ejus sit, scilicet, victoria semper prompta est ad illi inserviendum; *Augustus*, atque victorijs inclytus, ut esse *Augustum* servi Dominationis Suæ una cum sole procurent; nempè non tantum sui dominij servi, sed & sol ita vertitur, ut sit ille semper Augustus, & inclytus victorijs. Et ex obligatione gratiarum actionis, atq; laudis Justitiæ ejus, quis poterit se expedire? nisi discretio lupi, & Injustitiæ injusti ex innocente poterit: scilicet nemo poterit ritè satisfacere laudi Justitiæ & gubernij ejus in subditos, nisi dicat; en video lupos mansuetos cum ovibus, domatosq; ambulare cum illis, & injustum humiliatum, atq; castigatũ propter injustitiam suam. Et quantitatem gratiarũ ejus, quis? nisi humilitas linguæ rationalis, & debilitas potentiæ discursivæ sibi adscribere poterit; ita ut sine dubio exhortationis, sive exaggerationis possit dici, quod in

materia prima principatûs talis forma non fuerit introducta, & in elementis regnandi mixtio cum hac temperie conjunctionem non accepit, & in principijs universi possessionis, talis perfectio non aparuit. Et in materia capacitatis tenendi mundum, nunquam disposita fuit talis actio. Et qui est (Arabice) *Rex justus, Cæsar sanctus, & Dominus servis potens, inclytus, optimus, & maximus Principum Christianorum. Cæsar Filius Cæsaris, Dominus Filius Domini, Pater victoriæ, Pater opitulationis, Pater Triumphi*, LEOPOLDUS *Cæsar Romanorum, Rex Regum*, juventutis annis fruens, juveniq; fortunâ pollens. Ornamentum throni *Majestatis*, cœlum Germaniæ. Conservet *DEUS altissimus* tempus Dominij, & *Regni* ejus, & continuet omnibus in mundo degentibus utilitatem, atq; influentiam gratiæ & favoris ejus. Ego hanc feci Orationem, cæteri autem Amen Amen dicant. Hæc est Oratio, quâ decet eloqui quemlibet senem, & juvenem, atque Magnatem. Hic igitur charus libellus illustratus nomine celebri, & cognomine sublimi hujus *Cæsaris*; ut si ex authoritate Authoris sit defectuosus, ratione illius, cui est dicatus, authoritatem, atque fidem sibi assumat; & ut inter compositiones antiquas, & modernas gratiam inveniat. Dies *Dominij* igitur *suæ altitudinis, perfectionis*, atq; *prosperitatis* jugiter maneant; & mille millia animarum, uti est anima mea, sint ad pedes equi sui in oblationem.

Ita pro phrasis Persicæ, Arabicæq́ modulo peroravi. Inexplicabili porrò devotioni meæ satisfacturus, edicturusq́ universa, quæ de Vestra *DEI amantissima* Majestate Cæsarea *nullo calamo, ore, aut linguâ silenda sunt, quid competenter faxim, ignoro. Omnia desideria mea, & satagentem etiam ad impossibile affectum, Orbi universo exponere volo, atq́ expositum esse cupio, Turcicis quibusdam celeberrimi Poëtæ Perso-Turcæ versiculis, meum in finem aptissimis.*

فکر ایدرم که یازیم شمهٔ عشق سرّینـــــی ❁
بحر مداد اغاج قلم طاس فلکک دوات اولور ❁

Id eſt:

Cogito, atque cupio deſcribere fragrantiam, partemque myſterij affectûs, & deſiderij. Mare mihi atramentum, arbores calamus, ſphœra Cœlorum atramentarium eſſe debebunt.

Quod igitur Poëta hic barbarus de ſuæ ſortis ſublimibus inexplicabili laude dignis, tali tantaq; exaggeratione adoptavit, ingenue ego dicere poſſum, de Sacratiſſima Majeſtate Veſtra, *cujus immortalia non attinget encomia calamus, ſed altiori culmine atq; faſtigio ſolus DEI digitus atq; omnipotentiſſimum ejuſdem brachium levat, ſuſtentat, conſervat, atq; utinam ad omnis mundi ſolamen ultro levet, ſuſtentet, & conſervet. Quibus ego votis verba mea, non item affectus finio, meq; proniſſimum ad obſequia ſempiterna proſterno*

Sacratiſſimæ Majeſtati Veſtræ

عبد الاقل

Clientum ſervorumq; humillimus

پدروس بدیکک

PETRUS BEDIK,
Pers-Armenus.


AD LECTOREM
Authoris Præfatio

EN tibi Amice, tenue hoc opusculum meum. De quo utiq; inquisieris nominis, tituliq; insolitam rationem. Notum porrò *Tibi sit, hoc nomen* چهل ستون Cehil Sutun *quadruplici de causâ opusculo huic meo impositum. Primo, quod Græcos Latinosq;, sacros equidem ac prophanos de rebus Persicis scriptores legerim, vel parum, vel nihil omnino de hoc* quadraginta Columnarum palatio *recensentes; quod quidem Cyrus ille antiquissimus, superbissimusq; Persarum Rex velut artis omnis, fastûsq; miraculum exstruxerat. Unde sacratissimæ Romanorum Majestati Cæsareæ de Majestoso hoc omnis raritatis specimine obsequia mea exordiri, tibiq; curioso Lectori, & ignotorum notissimo amatori narrationem prosequi intendi. Neque de mero rationis Ente titulum putaris, tametsi enim vetustum illud palatium hodie non existat, aliud sanè existit fastûs equidem portentosi, à sapientissimo potentissimoq; Rege* Habas *Primo erectum, ubi, prout illo in antiquiori, omnis Persarum Aula, Regnum, Religio, politica, moresq; velut in compendio exarata relucent. Ut vel inde ansam sumpserim, universum opus hoc solo* چهل ستون Cehil Sutun *titulo compellandi, tametsi hoc de supradictis diversis omnibus complurima pertractet. Secundo, ut tecum jucundius confabularer de quartâ mundi parte Oriente nostro, dum hoc in palatium deliciosum introduxissem, in quo olim Persæ per quatuor Personarum genera juxta seriùm sapientemq; Dominij sui potentissimi stylum omnem veluti mundum quatuorq; Orbis partes repræsentabant. Tertiò, ut magis arrideant, si quæ politica huic operi meo inservero, utpote cum in hoc Palatio exactior politiæ pertractãdæ methodus à Persis observetur. Quartò deniq;, quia pariter & in illo pertractabant, atq; pertractant de moribus, ac rebus Religionis suæ, cujus tibi diversitatem, ejusdemq; alijs cum Religionibus commixtionem hoc in opusculo nonnihil enarrabo; fusius expositurus superstitiones, aliosq; peregrinos tibi Orientis nostri mores, & sectas, atq; dogmata diversa Machometanorum, Gentilium, Judæorum, Christianorum, & discrepantes nonnullas horum opiniones; quas hoc in amænissimo palatio deliciosè obambulantès jucundiùs unà poterimus pertractare. Hæc porrò sunt motiva tituli operis mei: Unde si quid sublimi, delicatoq; ingenio tuo Europæo accomodum, amice, adverteris, boni consule: si quid stylo tuo inusitatum, aut eloquentiæ disertissimæ dispar, sincero Orientalis cujusdam calamo adscribe, & id ipsum rarum existima, quod eloquentiam latinam & disciplinam Europæam trivialibus saltem in rudimentis colant barbari Orientis. Suscipe ergo opus triginta articulorum, quibus vel annos vitæ meæ totidem complectentis indicatos habes; quam quidem vitam, uti hactenus, ita & ultro perenniter* Clementissimo Romanorum Imperatori *mille votis dedicatam, atq; devotissimam; tibi verò amice, in debitæ humanitatis obsequia officiosam agnoscas, & valeas, velim.*




Imprimatur.

BALTHASARUS à NOLARN,
p. t. Universitatis Viennensis Rector.


چهل ستون
Nolite me tangere
quia Cæsaris sum
Petrus Bedik
Crucem Sapiens dominabitur astris
Jo. Rud. Sturn del.
Tobias Saaler sculp.





ARTICULUS PRIMUS.

چهل ستون*

CEHIL SVTVN,

SEU

Explicatio magni Palacij à Cyro olim Perſarum Rege ex quadraginta columnis erecti.



Ui de Regno, Politica, Religione, ſtatu, moribuſque magnæ illius, ſuperbiſſimæq; Perſarum nationis complurima, quin & plurimis omninò ignota proferre, atque enarrare ſtatui; de eo exordior, in quo Regnum ipſum, politica, Religio, ſtatus, moreſque Perſarum veluti in compendio primum exarata videri poſſunt: ipſo nimirum چهل ستون Cehil Sutun, ſeu eminentiſſimo illo totius Perſidis olim habito, ut ita dicam, Capitolio; celeberrimâ, inquam, illa ædificij ſtructurâ, à Cyro olim Perſarum Rege, Regali planè munificentiâ erectâ, quâ & ipſa Regalis ejuſdem ambitio ſe ſe, ut ſolem in ſpeculo depictam eſſe voluit, omnique poſteritati, ampliſſimam laudum atq; admirationis materiem, præter Pyramidales Ægyptiorum tumulos, Babyloniaſque Semiramidis ſtructuras, aut Epheſianum Cteſiphontis opus, Phidianum Jovis ſimulacrum, & quodvis ampliſſimi hujus orbis miraculum, ab Auſonio in Moſella relatorum, præbere. Hæc namque eſt ſtructura

 illa

illa Regia, quam etiam inter ſeptem Orbis miracula, loco turris Phariæ recenſent quidam: quibus licet omnibus Martialis anteponat illud Romæ à Veſpaſiano Imperatore inchoatum, & perfectum à Tito filio Amphitheatrum: ita canens.

Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro,
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Illud nihilominùs hiſtoricorum fide colligitur, fuiſſe hanc Cyri ſtructuram tantæ mortalibus argumentum laudis, atque admirationis thema, quantùm ſtructurarum munificentiſſimarum unquam aliqua; ut vel ideo de hac Cyri Majoris Perſarum Regis domo, hoc meo in opere primò mihi dicere fas ſit: ſicut nefas non eſſet, volentem, Romanorum gloriam, divitias, aliaque ad ſtatum eorum pertinentia enarrare; de laudatiſſimo illo Capitolio, aut Amphitheatro ſuum inchoare ſermonem. Splendor igitur erit, qui rapiat in admirationem, & Majeſtas ſuam ſibi vendicabit laudem, poſtquam & de fulgentiſſimo hoc Cyri Palacio, & de alio quodam juxta ejuſdem Idæam à recentiori Perſarum Rege exſtructo, lectorum oculis antepoſuero ea, quæ opes ſanè Regales, dignamque tam præpotentis populorum domitoris elocutura ſunt Majeſtatem.

Ferunt ergo non neminum Perſarum hiſtoricorum teſtimonia, Cyrum Majorem Regem, quò, ſi ſuam in publico eſplendere voluiſſet Majeſtatem, nullâ videretur ad Regalem gloriam carere dignitate; ſuperbiſſimũ quoddam exſtruxiſſe theatrum: idque in Civitate Cyropoli, ſic ab ipſiuſmet Regis nomine cognominatâ. Quamvis à modernis Perſis Civitas iſthæc non ultra Cyropolis, ſed Schyras vocitetur; de qua in alio loco plura competenter dicturi ſumus.

Nihil porrò ſine myſterio ſapiens Cyri animus hoc ſuo in palacio conditum eſſe voluit: ſed vel mutam ipſammet fabri-

eam complurima Christianis etiam Regibus notatu dignissima fecit eloqui documenta. Nobilissimum namque Regalis Suæ Majestatis hocce theatrum, quadraginta pretiosissimis ex marmore instruxerat columnis, indicantibus personas quadraginta altioris conditionis atque valoris, quibus in justam, ritamque directionem Persici sui Regni Amplissimi, ut superioribus, pro officiorum statuumque diversitate diversis, Regem tantum uti ministris necesse duxerat.

Formidaverat olim infelix *(a)* illa Ninive numerum quadraginta, dum totam fastus iniqui atque superbiæ suæ ædificationem, quadraginta diebus, non veluti quadraginta marmoreis, sed luteis, vitreisve, & vel ideo certò certiùs divinæ irruente vindictæ pondere, miserabiliter concutiendis columnis inniti, ex vaticinio Jonæ comperta est. Quid verò inanis Persarum ambitio marmoreis uteris columnis? *(b)* Nunquid marmoreæ fuerint columnæ illæ, quas sua illusus in cæcitate Samson uno conquassavit amplexu? Illudit mortalis ambitio DEO vero, quasi par Samsoni, erutis sibi humanâ proterviâ omniscientissimis justissimæ providentiæ oculis, nihil videret; qui tamen nedum angulos mundi & cavernas terræ, sed ipsamet rimatur abscondita cordium, capitumque capillos dinumerat. *(c)* Cùm ergò ille, qui attingit à fine usque ad finē fortiter, & in arctico antarcticoque polis firmissimis rotatam hanc orbis fabricam conservat & gubernat, venerit in brachio extento; conquassabit quadraginta columnas, & confringet habitationem populi colentis Deos alienos.

Erat porrò cujuslibet illarum columnarum marmorearum illo in Cyri theatro, altitudo seu longitudo quadraginta cubitorum, earundemque latitudo cylindrica cubitorum quatuor.

(a) *Jon. 3. c. v. 4.* (b) *Judic. 16. c. v. 29.* (c) *Sap. 8. v. 1.*

Theatri autem fornix per arcus artificiosſimè elevabatur, & in media arcûs ſummitate Perſarum cernebatur inſigne, ſol nimirum ſive arte, ſive pretio ſplendidiſſimus; ita porrò elaboratus. Erat ſphærica artificioſiſſimi ſolis hujus circumferentia in magnitudinem & amplitudinem magni cujuſdam clypei extenſa, diffundebatque radios, ex pretioſiſſimis, quibus oriens abundat, Topacijs. In medio ſolis hujus, grandis, maximique valoris refulgebat Topacius magnitudine unius Imperialis, circumcirca verò protendebantur radij formati per majores, minores atque minimos lapillos topacios, procedendo pyramidaliter juxta radiorum conformitatem.

Licet hic exclamare non abſque mentis amaritudine. O oriens! quomodo non occidis? O Reges! quomodo non fictilibus ſervientes? O Perſæ! quomodo non agnoſcitis eum, qui eſt per ſe? O Sapientes! quomodo creaturarum fatui cultores? *(a)* Perſæ olim Reges, Magi, & Sapientes, habitantes in Oriente, ſuum agnovere in animo occidentem, & orientem in occidente Solem Juſtitiæ, non terreis effictum topacijs, ſed divinis ex Divinitatis theſauro attributis præfulgidum, non in Regio palacio, ſed in Bethlehemitico ſtabulo, non arcui quadraginta columnis innitenti appenſum, ſed gloriæ in excelſis DEO, pacique hominum bonæ voluntatis, Angelorum teſtimonio firmatæ innixum, quæſiêre, invenêre, agnovêre. Utinam & tu Cyre, atque univerſi vos demum Perſarum Reges verum hunc Solem Juſtitiæ agnoviſſetis, non utique ſolem fictum veſtris relucere in palacijs atq; inſignibus pateremini. Sed; ego veſtram deſcribo ſuperbiam, atque divitias: verum autem vos agnoſcere DEUM, DEUS feciſſet, & adhuc faceret, niſi duritia cordis veſtri, veſtris etiam orientalibus durior adamantibus obſtaculo foret; quod licet & ſolus ipſe tollere poſſit, altiori ille conſilio non vult, docens me confugere ad illud: *(a) Jacob*

(a) *Matth. 2. v. 1.*

dilexi,

dilexi, *Esau autem odio habui*: quippe quod fide Christianâ & Theologicâ edoctus sum, in vocationis & prædestinationis negotio, non esse volentis, aut currentis, sed solius DEI miserentis, quantum admirandam, tantum implorandam benignitatem. Vobis ego vestram animis conversionem dum opto, structuras, pompam, divitias, atq; ædificia vestra dignâ sibi laude ultra describere non desisto.

Sub arcu theatri interiori comprehendente ambas ejusdem partes pretiosissimus Regis, quâ gemmis & auro, quâ multiplici artium fabricâ demirandus extiterat thronus; eratque mirus ejusdem publicâ in pompâ comparendi modus: sicut tamen ambitionem redolens, ita non fastidiens sapientiam.

Sedebat namque memorato in throno Rex, astantibus eidem ex utroque latere duobus Eunuchis Æthiopibus, quorum quidem ad dexteram unus codicem constitutionũ Persarum, ad sinistram verò alter sceptrum manu gestabat, indicando, quòd si statuta morum Religionis & Regni ratione non observarentur, forti Regis potentiæ atque puniendi arbitrio subjacere transgressores.

Ad quadraginta ergo palacij columnas quadraginta statuit Cyrus personas, quæ erant Sapientiores, Seniores, Potentiores, atque Nobiliores Regni sui. Sedebant autem Sapientes, habentes ante se calamum & chartam, librosque sapientiæ & disciplinæ Persarum. Ubi non indignum notatu occurrit; tamesi veri DEI, in quo solo vera est sapientia & disciplina, agnitione careret Cyrus, omnisque Persidis populus, illud tamen sanâ mente sibi rectum persuasisse, antecedere sapientiam universa, omnique in gubernio primas ei deberi. Quod si gens inimica DEO, sanctamq; exosa sapientiam, suam illam qualemcunq, eruditionem & disciplinam primò effert ordine atque loco, jam nequit non esse mirum, multos agnoscere DEUM, & contemnere sapien-

(a) *Malach. 1. v. 3.*

pientem, qui quæ DEI, quæque hominum, ante Seniores, Potentes, atque Nobiles, ſolus ipſe edocere habet. Sua igitur non indignus eſt laude Cyrus Rex, Regum omnium ſapientiſſimum imitatus, qui ſapientiam *(a) præpoſuit regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxit in comparatione illius.*

Quoniam verò & morum antiquitas, & legum vigor in grandæva ſeniorum canitie, veluti eburneo deſcripta in palimpſeſto leguntur; Seniores Cyrus eſſe voluit poſt Sapientes; & quemadmodum ſola Theoria in Sapientibus ad Regni decorem non ſufficit, longiori niſi praxi, & obſervatione continuâ ſtabiliatur atque cohoneſtetur: ita ſuo non proviſum Regno Cyrus arbitrabatur ſolâ legum ſapientiâ, niſi adjunctis ſenioribus, qui de earundem tenore, vigore, atque obſervantiâ per longiora tempora continuâ ſucceſſione teſtentur, & jugi morum integritate, ſtatutorumque cautelâ clareſcant; ut ita poſteri veluti vivis contueantur in ſpeculis, quod ab annorũ antiquitate relucet in ſenioribus, & in futura ſecula relucere debet in naſcituris.

Habebantque ſeniores hi in theatro juxta columnas ſuas reſidentes, virgam ante ſe auream, indicando laudabilem juventutis correctionem, ſeverioremque in delinquentes animadverſionem, aut dignam pro legum obſervatione gratiam, meritorumque & bene pro patria geſtorum remunerationem. Sic namque Caſſiodoro teſte: *Indiſcreti mores confuſim neceſſe ſequantur, ſi aut culpa formidinem, aut virtus præmium non habeat.* Effrœnis juventus, vel verecundiâ, vel formidine tentare nõ præſumit, quod ſeniorum ſeria atque grandæva canities ſolo vel redarguit intuitu. Sic & ipſæmet paginæ ſacræ ſeniorum conſilia, ſummiſque præſentiam in conſultationibus ſuadent, laudant, præcipiunt. Sed quid ſi ſeniores multorum in aula conſurgerent? ſi non ab annorum antiquitate oculi eorum hebetati caligarent, certò vel quotidianas novitates, unoque in regno di-

(a) *Sap. 7. v. 8.*

versissimarum commixtionem nationum, indumentorum varietatem, difformitatem morum, & aliena linguarum genera, confusam demum & minimè consonantem aulæ harmoniam nemo non deploraret. Cæterum nec ipsimet Persæ recentiores statuta, mores, atque vivendi modum per omnia ab antiquis observant Persis; sed tametsi plura observaverint seniores, pro libitu tamen, aut Regum, aut Reipublicæ arbitrio à quibusdam seu Regni juribus, seu Religionis legibus deflexerunt, ut alibi commemorandum duxi.

His porrò senioribus succedere videbantur potẽtes, qui, dum suo ordine residebant ad columnas, ante se se frameã habebant, indicantes promptum expeditumque pro incolumitate Patriæ pugnandi animum, omnemque pro Regis nutu generositatem. Ita namque Princeps solo sapientum aut seniorum consilio docetur super populorum regimine; ast sive exterorum invidiæ, sive intestinæ populorum malitiæ tam sanctum justumque nihil, quod violare non præsumant: unde rerum confusio publicarum, divisio populorum, hostium irruptiones, cædes intestinæ, fraudes, proditiones, aliaque id generis scaturiunt pessima; quibus nisi Rex manu potenti, ferroque sciverit, atque voluerit obviare, solâ sibi populoque suo conniventiâ & benignitate immitis est. Parum juverit seminare bona, & zizania non eradicare. Delicatissimus piscis, ubi modico non caret felle suo, amarissimus est; & amplissimum regnum, ubi Regis culpâ, aut potentum defectu aliorum patitur insidias, regnum non tam est, quam regni, Regis, & populorum confusio felle amarior. Vel ipsiusmet Regis Regum, & Domini Dominantium DEI bonitas est, clementia est, misericordia est; his tamen ille non omnia regit, *(a) accinctus mox gladio suo super femur suum potentissimus, mox gladio percutiens cum Gedeone, mox emisit gladios de ore suo,* mox

(a) *Psal. 44. Judic. 7. Apoc. 1. 2. 19. Deuter. 32.*

mox *inebriavit ſanguine ſagittas ſuas.* Rex in mundo, DEUS, ut ita dicam, eſt; quippe quem eminentiâ imitatur: neque decet hunc ignis, fulminum, ferri, aut exercitûs obliviſci, ubi contra leges & mores non deſiſtunt vitia graſſari.

Tandem ſedebant nobiles habentes ante ſe diverſi generis florum faſciculum aureum, diverſis pretioſiſque gemmis conſertũ, quibus quid aliud indicari volebant, niſi veram in diverſitate collectioneque virtutum conſiſtere nobilitatem, utilem Patriæ, & habenti illam? Quo quid rectiùs de nobilitate ſentire potuerint Perſæ, ignoro, qui Chriſtianâ doctus Theoſophiâ virtutis pendo definitionem. Eſt namque illa: *(a) Bona qualitas mentis.* Illa *bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Neq; verò abnuo, nobilitatem ipſo etiam ex ſanguine trahi; ſed & oportet, ut ſanguis ille ſuum à virtutibus ſortiatur condimentũ: crudus cæteroquin eſt, & ſola bulliens libertate, in ſcelera diffunditur, vitiorum tandem putredine ipſum infecturus nobilem, dum corrupturus nobilitatem. Sanguis in nobili, oportet, ut ſit bulliens, ſed generoſitate pro Rege & patria: ut ſit rubeus, ſed innatâ ſibi contra vitia erubeſcentiâ: ut ſit calidus, ſed pio in DEUM ac patriam fervore: ut ſit ſolidus, ſed Religionis & legum obſervantiâ; ut ſit ſubſtantialis, ſed fidelitatis integritate: ut ſit ſpiritoſus, ſed ad bonum promptitudine; ut careat putredine, dolo inquam & fraude in Regem & patriam ſit immunis.

Porrò hoc in ornatiſſimo Cyri theatro, ſupra quamlibet ex illis quadraginta columnis erat in ipſa fornicis arcu ad latus in ſublimi collocatum cujuslibet perſonæ nomen ſecundùm quod diverſi pro qualitate officiorum, ad diverſas collocati erant columnas Regis Miniſtri. Erat autem cujuslibet nomen mirâ arte ex fragmentis diverſorum pretioſorum lapidum; & quidem lapides congrui aſſumpti, ij, qui juxta naturalem proprietatem, qualitates, virtutes, & munera illius exprimere poterant, cujus

(a) *Ex D.Th. 22. q. 81. a. 2.*

nomen

nomen designabant: scribebaturque hæc explicatio proprietatis lapidis aureis caracteribus infra ipsum Ministri nomen. Nomen exempli causâ sapientis, quem vocabant, Dana, scribebant ex fragmentis carbunculi; aureis verò caracteribus infra illud nomen, explicabant carbunculi proprietatem, qualitatibus & officio sapientis competentem: quippe, quòd, sicut carbunculus gratiori cæteras inter gemmas colore fulgescit, majorique omnes splendore antecellit; ita præ cæteris sapiens in regno gratiosior, bonisque mentis qualitatibus splendidior sit, oporteat.

Nomen autem senioris, scribebant fragmentis adamantinis, indicando candorem canitiei dierum, soliditatemque virtutum & consiliorum eorundem. Armigerorum verò sive potentium, quos satrapas vocitabant, nomina, rubinorum incidebant fragmentis, denotando generosum fidelis militis animum, etiam usq; ad sanguinem pro Regis & patriæ defensione fundendum. Demum verò & nobilium nomina smaragdinis denotabant fragmentis, indicando, mentem verâ nobilitate præditam, non posse non florere meritis atque virtutibus; ipsam imò veræ nobilitatis à virtutibus haustam viriditatem, recreare mentis oculos, & visum rationis exhilarare.

Quid ad hæc multi jam nobiles? quid ad hæc armigeri potentes? Quid seniores in statutis? Quid vestris in consilijs sapientes? Discite vel à gentibus nobilitatem sine virtute, esse smaragdum absque viriditate. Potentiam sine fidelitate, esse rubinum sine rubore. Senium sine sinceritate, esse adamantem sine candore. Sapientiam sine moribus cæterisque mentis qualitatibus, esse sine fulgore carbunculum, lutô, non aurô, convicijs, non officijs, abjectione, & non honore dignissimum. Sed plura de Persarum genio nostro capiamus ingenio.

Arbitrabatur igitur, & non inaniter gens ista Persica, quatuor hisce Personarum statibus seu conditionibus, dignam regni

ſui ſtatui conſtitutionem; ut & hæc quatuor perſonarum genera vocitare non dubitârit, *quatuor elementa*, imperium ipſum conſtituentia: *quatuorve humores*, quibus veluti bene cõſtitutus homo, conſurgeret, valeret, viveret, triumpharet harmonia ſtatûs eorum; ſuo ſic ordine ſapientiâ, antiquitate, potentiâ & nobilitate debitè organizati. Dicebant & non rarò, hæc quatuor hominum genera *quatuor eſſe cauſas*, quibus exercebatur politica ipſorum: Tandemque *quatuor Perſici orbis partes*.

Et verò probaverim ego iſtam Perſarum mentem. Si enim Regnum in ſe indiviſum orbis eſt, in nullas diſſectus partes; ſapientiâ certè, ſenioratu, potentiâ & virtute, veluti cardinalibus quatuor conſtituitur, foveturq; plagis, cauſis, humoribus, & elementis. Ignis namque elementum quid ni ſapientia, quæ in ſana devorando conſilia, ſublimi ſpiritu altiora rimatur illuſtrationis & dogmatum argumenta? Senium aërem agit, in quo relucet ſol dierum antiquus, & legum ſtatutorumq; obſervatione clareſcens. Aqua eſt tumens quâ potentium, quâ ſubjectorum ſibi populorum potentiâ, quibus uno Majeſtatis Tridente bella dicit, & interdicit Neptunus Rex. Terra demùm nobilitas eſt, quæ naturâ, virtute, opulentiâque germinans, ditat horrea Regis & populi, ornat ſtatum aulæ ac civium, auget copiam Regni & Reipublicæ. Quod ſi cauſarum diſputemus genera, nobilitas, materialis eſt cauſa regni, quippe hæc eſt, cui formæ altiorum munerum atque officiorum introducuntur. Formalis, eſt ſapientia, quæ omnia regit & actuat. Efficiens, potentia eſt, omnium executrix. Seniumque, cauſa finalis, ad quam cæteræ etiam ordinantur, quatenus regni perpetuitatem & longævam Regum ſucceſſionem deſignat.

Linquamus plura, quæ quaterno ſub numero ſapienti non minùs atque felici omine intelligere quiſque poteſt; hoc tamen ipſo ô infelices & inſipientes Perſas, dum Chriſti regimen & po-

liciam,

liciam, quatuor indictam Evangelistis, quatuor fundatam virtutibus Cardinalibus non agnoscunt! *(a) O utinam saperent & intelligerent, atq; novissima providerent*, quando tempus venturum est, ut compareant *(b) quatuor Angeli, quibus datum est nocere terræ & mari*: parcentque solis veri DEI servis, *in frontibus suis signatis*, cruce salvificâ Christi, *ascensuri* olim in nube *ab ortu solis, judicaturiq; vivos & mortuos.*

Quid verò laboris ipso in fornice artificiosissimo dicti theatri, quidve splendoris visu fuerit, ex eo Lectori dijudicandum obijcio: erant namq; arcus omnes lapide Lazaro alijsque gemmis mirô fulgore aurô insertis, artificiosissimè elaborati, ut cœlum stellis credideris adornatum.

In medio porrò palacio præfulgens quâ arte, quâ pretio pendebat candelabrum, fune appensum serico, nec nisi quatuor aptum candelis, quarum tamen una major alterâ; minima autem ad spatium unius horæ poterat perdurare, secunda ad duas, ad tres horas tertia, quarta verò quatuor ardere poterat horis, usque dum consumeretur: eademque consumptâ, finis imponebatur consilio. Unde consilium nullum ultra quatuor nostri temporis horas valebat extendi. Ast quid dicam? *Magnus* ille *consilij Angelus*, adusque extremas mundi horas semper cum homine consulturus de salute illius, majus in orbe statuit candelabrum septem candelis succensum, legem inquam Evangelicam, testamentumque novum septem Sacramentis illustratum, quod *(c) usq; in sæculum non delebitur*. Majus ille theatrum habet; quippe *(d) cœlum illi sedes est, terra scabellum pedum ejus*. Capitoliũ suum nullo clauditur aut operitur fornice, sapientes ejus errare nesciunt, seniores deficere non possunt, non possunt debellari potentes ejus: & Persicam ridet ille nobilitatem, qui non ab annorum atavorumque sanguine; sed solus à patre solo tantam

(a) *Deut. 32. v. 29.* (b) *Apoc. 7. v. 2.* (c) *Eccl. 39. v. 12.* (d) *Isaiæ 66. v. 1.*

nativitate traxit nobilitatem, ut Hiſtoricus obmuteſcat divinus ipſe, illud cum ſtupore exclamans. *(a) Generationem ejus quis enarrabit.*

Cæterùm ex illis quatuor perſonarum generibus illo in Cyri palacio, quælibet pro graduum, & qualitatis officiorum diverſitate collocabatur, in ſuperiori & inferiori theatri parte, ſecundùm majorem vel minorẽ ad Regis Majeſtatem acceſſum. Sed neque hoc paſſim frequentabatur theatrum, niſi ubi ſingularia maximæ conſiderationis negotia decidenda illud expoſcerent; aut rariùs quoddam Regis beneplacitum id juberet, ad oſtendendum ſplendorem & gloriam Majeſtatis & divitiarum ſuarum, celebrandaſque forſan extraordinarias ibidem jubilorum & epularum feſtivitates. Aperiebatur & quandoque ſolennioribus Legatis nationum exterarum. Si verò conſilij causâ cum ſuis Rex eo convenerat, omne inibi ſancitum, ut divino proveniens oraculo, decretumque irrefragabile obſervabatur. De quo quidquid ſit; vel gens DEI legis bonæ atque honeſtæ ignara, Magiſtram agere poterit nonnullius aulæ circa Regis venerationem, ejuſdemque decretorum obſervantiam.

Hæc de Cehil Sutun, ſeu palacio quadraginta columnarum Regis Cyri, quod ſuâ magis utique dignum foret laude, ſi veluti Salomonis templum DEO vero fuiſſet erectum, & à gente electâ inhabitatum. Cæterum ſublimiora is & pretioſiora longè erexit ornamenta, ampliſſimamque electis ſuis ſtatuit habitationem, civitatem ſanctam in cœlis, quam Chriſtianus mihi Poëta deſcripſit.

Urbs Jeruſalem beata,
  Dicta pacis viſio,
Quæ cõſtruitur in cœlis
  Vivis ex lapidibus.
Et Angelis coronata,
  Ut ſponſata comite.

Nova veniens è cœlo
  Nuptiali thalamo,
Præparata, ut ſponſata
  Copuletur Domino:
Plateæ & muri ejus,
  Ex auro puriſſimo.

Portæ nitent Margaritis
  Adytis patentibus;
Et virtute meritorum,
  Illuc introducitur
Omnis, qui obChriſti nomen
  Hic in mundo premitur.

(a) *Iſaiæ 53. v. 8.*

ARTI-



ARTICULUS SECUNDUS.

چهل ستون*

CEHIL SVTVN,

SEU

Explicatio magni palacij, atq; theatri ad prioris Idæam erecti à quodam modernorum Perſarum Rege Sciah Habas Primo.

COntigit, ut temporum injuriâ ſtructura illa Cyri permagnifica eſſe ſuum, ſplendoremque perdiderit, ita ut non niſi infima & objecta quædam rudera ejuſdem fāmoſa illa Cyropolis valeat exhibere. Aſt modernorum regimini Perſarum præfectus Rex Sciah Habas magnis nobilitatus naturæ dotibus, & fortunæ trophæis exaltatus, ut gentili ſanguine ſuxit ab avis & atavis Perſarum ſuperbiam, ita eadem ad oſtendendam Regalem gloriam non modicum efferebatur. Legerat porrò in hiſtorijs forſitan de ſupramemorato Cyri amphitheatro, protinuſque ſcintilla tumoris fervidi ſuccenderat mentem ſuam, ad erigendam ſtructuram, deperditæ ſi non omninò conſimilem, ſuâ tamen Majeſtate Regaliq; faſtu minimè indignam. Et quoniam Rex iſte magno ferebatur ſubditorum intuitu, deque rebus à ſe benè geſtis tantam obtinuerat venerationem, ut omnium ore ob eximiam ſuam in agendo ſagacitatem atque dexteritatem, reſque pro omni ſtatu optimè geſtas compellatus ſit, *Victor, & regnorum paccator, decus & firmamentum patriæ*: facilis erat negotij, perſuadere populum ad erigendum Regali Majeſtate digniſſimum hujuſcemodi palacium, multis quantumvis ſumptibus expediendum. Dato igitur mandato prona erat &

facilis Miniſtrorum executio, promptaque & exacta peritiſſimorum Architectorum conventio. Miſſi porrò ſunt ad omnes mundi partes, qui de neceſſarijs ad ædificandum afferrent, omnibuſque congregatis tum ex regno ſuo, tum aliunde proceſſum ad ſtructuræ initium, proſecutique continuationem ejuſdem ducenti indies operarij, exactiſſimâ diligentiâ poſt octo annos perfecêre opus; non inquam æquè elegans, pariſvè cum illo Cyri ſplendoris, rariſſimum tamen, & laboris, opumque ſplendidâ elegantiâ toti adhuc ſpectabile orienti. Imperialium porrò milliones tres Perſarum traditione in eo tranſumpti ſunt, multorumq; ſplendidorum Regaliumq; ædificiorum in Regis Perſici Regia Iſphahan elegantius eo ſuperbiuſque viderit nemo. Rarò autem, quin imò rariſſimè portis adaperitur, niſi cum circa ſtatum, ſive Politicum, ſive Religioſum Perſidis urgent intima altioris indaginis conſilia, aut forſan extraordinarij Majorum exteri orbis Principum altioribus in negotijs coram Rege compareant Legati, prout & ſupra inſinuatum.

Porrò & hoc in palacio dicta quatuor perſonarum genera juxta diverſitatem graduum & officiorum ſiſtere ſe ſe debent. Nomina autem, quibus moderni Perſæ omnes ex officio coram Rege comparentes appellare ſolent, paulò infra recenſenda ſuſcepi.

Primus igitur omniũ auguſtiſſimo ſplendidiſſimoq; in throno Rex ipſe fideliſſimis duobus ſtipatus Eunuchis ſibi ex utroque latere aſtantibus reſidet, ſi quando altioris conſilij causâ comparet. Cùm verò dat audientiam extraordinariam, quæ rariſſima eſt hoc in palacio, exteris Legatis; inter maximam, ſplendidiſſimam, nobiliſſimamq; Eunuchorum atque Ephæborum copiam ſibi ad latera ſtantem comparet. Ordinatim verò ex utraque parte penes columnas quadraginta reſident, quadraginta ſæpè memoratæ perſonæ, quarum potiſſimas nominatim adijcere conſultum duxi.

Primò

Primò proinde loco proximam penes columnam ad latus throni Regij dextrũ residet persona prima, nomine Sadir Chase; quod latinè interpretari solet: Primas Ecclesiasticus, seu supremus Pontifex Persarum. Alteram verò penes columnam ad sinistrum throni latus residet persona secunda Sadir Mamalich; quod interpretatur: secundo Primas, seu Sub-Pontifex illorum. Dicitur autem Prior ille Chase, quod magis propriâ interpretatione idem sonat, ac specialis Pontifex, ex eo, quod ille habeat, in spiritualibus, ut ita dixerim, seu potiùs in Machumetanis fidei dogmatibus, solùm regere Regem ejusque curiam, totamque Regiam Civitatem, quam Persæ arbitrantur, & supponunt prævalere toti regno, ex præsentiâ Regis. Secundus verò ille dicitur Mamalich, utpote, cui ex officio incumbit toti regno omnibusq; provincijs (subalternatâ tamen jurisdictione jurisdictioni primi) præesse fidei, legumq; interpretatione. Suntque adeo duo hi primi propagatores, totiusque Machumeticæ perfidiæ executores; quam & ipsi cum suis, quantùm turpi, tantùm effræni carnis libertate mordaciter sequuntur, in polygamia videlicet, pluralitateque uxorum, nec non electo sibi pro arbitrio numero concubinarum. Sunt porrò hæ, sive concubinæ, sive uxores, ut plurimum nobilissimæ primariorum Persarum filiæ, qui Pontificibus hujuscemodi in uxoratum aut concubinatum concedunt eas, ex stulto devotionis motivo, rati, hos esse sacerdotes sanctos, & Machometi, quâ munere, quâ vitâ propheticâ vicem gerentes. Unde & primus ille supra nominatus Sadir Chase, supremus Persarum Pontifex in uxorem habet moderni sororem Regis. Excedunt porrò hi, quâ opibus, quâ dignitatibus omnes Persarum proceres, exercentq; authoritatem suam super eos, in his quæ fidei sunt; solomet dempto Rege, qui nulli se subijcit legi, ut alibi dicam. Ordinant item, seu potiùs instituunt, aut designant suos (quos more suo venerantur, tametsi non sint) Ecclesiasticos,

ſiaſticos, ſeu ad ſuæ Religionis (cùm potiùs perfidia ſit) cultum inſervientes. Quæ ſanè omnia tameſi ad veri DEI agnitionem non conducant, ipſiuſmet imo opprobrium & contumeliam inducant; in confuſionem tamen quid ni ſtant perverſis noſtri temporis hæreticis, qui ſe Chriſtianos nominant, factis verò Chriſto debitam reverentiam, atque auhoritatem per ejus legitimè conſtitutos in terris Vicarios atque Pontifices ſanctos in Eccleſia militante repræſentatam, continuò negant, improbant, conviciant. Eant utinam illi, & Perſicam malæ perfidiæ gentem inquirant, num & ipſi ſupremum emortuo jam Machumeto Pontificem negent, eundemq; talem qualem, paribus, ut illi, convicijs impugnent. Væ porrò vobis genimina viperarum! Gorgoneum ſanè hæreſeos veſtræ virus non vos docebit fugere à ventura ira. Veniet, qui eradicabit zizania,& ſegrebabit meſſis tempore in æternum conflagrationis ignem, ſeveroque ulciſcetur gladio univerſa per vos immiſſa ſcandala orbi Chriſtiano.

Tum verò ad ſecundam columnam lateris dextri, poſt eum, quem ſupra Sadir cognominavimus, ſedet magnus Vezier,quem Hedima Dolue vocant, quod eſt interpretatum: Securitas proſperitatis Regis: hujus etenim fidelitati Rex omnia peragenda committit. Rurſuſque ad ſecundam columnam lateris ſiniſtri poſt Sadir Mamalich ſedet magnus civitatis Regiæ judex, quem vocant Scech Ali Islam; quod idem ſonat, ac ſenior, ſive Venerabilis progeniei Machometanæ: atque hujus eſt illam Plutonis progeniem inſtruere, atque dirigere juxta dogmata Machometi.

Has ſuas ordinatim penes columnas ſex ſequuntur ſatrapæ, in dextro ſcilicet latere tres, & tres in ſiniſtro. Primus vocatur Corcibaſci, id eſt Regni Regiſque cuſtodum caput: atque iſte reſidet poſt magnum Vezir. Secundus Gular Agati, ſeu Dominus, aut Præſes militum, qui captivi Regis dicuntur, de quibus plura in ſuo loco; reſidetque iſte poſt magnum judicem. Tertius

tius eſt Mirſcicherbaſci, id eſt, ſupremus venatorum Regis Præfectus, cui maxima eorum, quæ circa Regis venationem occurrunt, providentia incumbit: ſedetque penes columnam lateris dextri poſt primum Satrapam Corcibaſci. Quartus eſt Tofenkci Agaſi,id eſt Dominus aut Generalis Sclopetariorũ Regis & Regni, ſedet autem hic poſt Gular Agaſi ad columnam lateris ſiniſtri. Quintus eſt Divanbeghi, ſcilicet Princeps conſilij, aut adminiſtrator juſtitiæ, ſpectantis ad Regem, cujus ille quoad hoc vicem gerit; ſedetque poſt Mirſcicherbaſci ad columnam ſuam in latere dextro. Ultimus denique Satraparum eſt Mirachcor, Princeps & Præfectus ſtabuli equorum Regis: ſedet porrò poſt Tofenkci Agaſi ad columnam ſuam in latere ſiniſtro. Cæterùm de officijs, modoque exercendi illa alibi plura.

Tum verò ſequuntur principaliores Miniſtri immediatè ſervitijs Regis dediti, ſuntque quatuor. Primus vocatur Nazir, id eſt, circumſpectionem habens de bonis familiaribus Regis. Secundus Chaznadar, ſeu Regis theſaurarius. Tertius Vachiha nivis, id eſt, Hiſtoriographus ſeu Chroniſta Regis, conſcribens Regiæ curſum curiæ, & eorum, quæ ſucceſſu temporis quomodolibet notatu digna obtingunt. Quartus vocatur Mohur Dar, id eſt, portans, & cuſtodiens ſigillum Regis. Servantque eundem inter ſe ordinem poſt ſatrapas hi miniſtri, ita quod primus & tertius in latere dextro, ſecundus & quartus in latere ſedeant ſiniſtro, juxta ſuam quilibet columnam.

Sequuntur tum quatuor ſcientifici, ſive ſapientes Regis, primus eorum vocatur Monegin Baſci, id eſt, caput, ſive Princeps Aſtrologorum. Eſtque hic totius Regni peritiſſimus in omnibus Mathematicæ diſciplinæ partibus; dicitur porrò Aſtrologus tantùm per nominis & officij excellentiam; magiſque inſudat Aſtrologiæ judiciariæ, quàm naturali; aut cuicunque alteri ſcientiæ, ſive experientiæ; unde & ipſummet Regem in

judiciariâ inſtruit Aſtrologiâ, omnemque ejus curiam ſuperſtitioſis opinionibus dirigit, (an magis dicendum) invertit. Ipſe porrò Ephemeridem ſeu Almanacum pro Rege totoque Regno, quolibet præſcribit anno. Secundus dicitur Achund, quod eſt, Magiſter ſive Doctor utriuſque juris eorum. Tertius vocatur Melich Scuhara, ſeu Princeps Poëtarum. Quartus denique Hachim Baſci nominatur, quod idem ſonat, ac Caput ſeu Primas Medicorum. Hi porrò omnes ſuis artibus, & ſcientijs comprimis periti ſunt; eſtque gens ipſa Perſica, tametſi veræ, cœleſtiſque ſapientiæ nihil avida, bonæ tamen in cæteris ſuis artibus & experientijs notitiæ non parùm curioſa.

Tandem ordine ſuo collocantur Vice-Reges, Duces, Principes, Dynaſtæ, atque inclyti Perſarum, Medorum, atque Parthorum, Armenorum, Hybernorum Orientaliũ (quos vulgus Giorgianos appellare conſuevit) & Albanorum Orientalium, Hircanorum, Scytharum, Caramanorum, & Chaldæorum, qui omnes ſunt ſub jugo & fide Perſarum, neque aliter quocunque dominio, eminentiâ, vel dignitate frui poſſunt. Cæterùm hi non ſemper, ſed ſolùm vocati Regis curiæ adſunt, tuncque quilibet, juxta ſuam conditionem vel excellentiam ſuam ſeſe collocat ad columnam, aliumque antecedit, aut inſequitur.

Rursùs duo ſunt Cancellarij, quorum primus Muſtofi il chaſa, id eſt, Cancellarius ſpecialis dicitur incumbens ſolis curiæ civitatiſque Regiæ continuis negotijs; ſecundus verò Muſtofi Mamalich, id eſt, Cancellarius totius Regni: debentque duo hi Regali curiæ ſemper & individuò adeſſe.

Sequuntur hos alij duo Superintendentes Regnorum atq; Provinciarum, quos ſimpliciter Vezir nominare ſolent. Primus porrò eſt Vezir Adirbagian, id eſt, Superintendens Regnorum, atq; Provinciarũ, quæ ſunt à Civitate Regia Isfahan, uſq; ad confines Turcarum, Moſcovitarum, & Maris Caſpij. Secundus

verò

verò ſuperintendit Regnis atque Provincijs, quæ ſunt poſt Civitatem Regiam versùs Orientem ad Indiam, Scythiamque majorem, quæ tendit ad Chinam, & ad ſinum Perſicum versùs Arabiam, & Chaldæam. Hi autem in Regis curia rari ſunt, nec niſi ſingulariter vocati comparent. Prioris namque reſidentia eſt Metropolis Medorum, quæ vocatur Thauris, civitas antiquitate, magnitudine, opibus, populiſque celeberrima, & nonnullorum opinione illa eſt Ecbatana. Secundi autem reſidentia Cyropolis eſt, nunc Sciras dicta, par dignitate & opulentiâ, incolarumque multitudine illi, quæ Thauris dicitur.

Tum denique ſuccedunt proceres alij, ſummâ prudentiâ, probitate, nobilitateq; præditi, donec quadragenarius compleatur numerus, ex memoratis quatuor perſonarum generibus: ubi illud ſolum notatu occurrit, quod (ſicuti ex utriuſque articuli collatione conſtabit) moderni Perſæ non ad unguem obſervent perſonarum ſtatuumque ordinem, prout & antiqui obſervaverant; hoc tamen ijſdem, eorundemq; Regi in gloriam nonnihil confert, quod plurimis mutatis, ſupremo tamen reſidere loco relinquant Pontifices, ſeu Primates Religionis ſuæ dictatores. Ita namque prima de DEO cura ſit Principi, & prima Primatum ejuſdem miniſtrorum agnitio.

Cæterùm peculiaris eſt omnium in curia Miniſtrorum ſedendi modus, apparente Rege. Solus namque ipſe pulvinari inſidet, complicatis pedibus, ut orientalibus alias in uſu eſſe ſolet: ipſi porrò Miniſtri univerſi genibus flectunt, ſuperiori corporis parte retrorſum ad pedum plantas reclinati, ſuper quas quaſi ſedere cernuntur: complicatiſque ante ſe manibus, coronis ſuis, quas Tatſch vocant, de quibus in ſuo loco, pro diverſitate ſingulariter adornati, totoque veſtimentorum apparatu ſplendidi comparent. Summo verò in ſilentio Regem venerantes, eorundem nemo loqui præſumere auſit, niſi à Rege interrogatus.

In fine verò aulæ hujus Regijque palacij duo rursus stare solent juvenes Eunuchi, attenti in faciem & nutum Regis. Et in medio palacij fons scaturit subterraneus, quadrangulari marmorum circumferentiâ inclusus, circa quem & diversa vasa aurea multiplici florum genere repleta collocare consueverunt. Reliquum porrò pavimentum pictis pretiosissimis stratum est tapetibus: ut sanè omnia, quà supra, quà infra, non nisi Regiam atque amplissimam redoleant superbiam & Majestatem.

Sed ah miseros vos, vestrâ etiam in Majestate Persas! pauperrimos vos, vestrâ in opulentia! àridos vos, & sitibundos, scaturientem tametsi fontem circumsidentes! verus etenim vobis deest fons ille, cujus aquæ, quia gratiâ vivæ sunt, saliunt in vitam æternam. Fons inquam vobis deest ille, unde scaturit omnis Majestas, unde prosilit omnis potestas; unde dimanat omnis salus populi mortalis, in majestatem & beatitudinem immortalem.

Ad utrumque autem theatri ostium ultimum duæ stare assolent personæ; ad ostium quidem lateris dextri Mareschallus est Aulicus superbissimo vestimentorum ornatu resplendens, baculum manu gestans aureum, Regis indicando clementiam atque benevolentiam erga sui nominis & gloriæ amatores. Ad ostium verò lateris sinistri primus stat carnifex, homo ut plurimùm, rabiem & crudelitatem vel solo aspectu spirans, indicansque singulariter Regis furorem atque indignationem, contra inimicos sui, & Regni: unde & quandoque frameam non ad latus pendulam, sed evaginatam manû liberâ vibrare huic crudelitatis ministro concessum est.

Porrò ad majorem superbiam & fastum Regis, ejusdemque potentiam & magnanimitatem demonstrandam nonnunquam ad ostia palacij vivi ligantur leones, quorum vel solo intuitu

Legati

Legati Principum externorum non modicum inducuntur, ad crudelitatem, ſuperbiamque Regis ſibi perſuadendam.

De his igitur tam Cyri, quàm moderni Perſarum Regis palacijs potiſſimis exordium ſumpſi narrationis meæ, tanquam in quibus, veluti in compendio relucent divitiæ, ſtatus, politica, Religio, & omne regimen Perſarum; eaque omnia, quæ in his viſu digna erant, & ſunt, accuratiori in tabula effigiari feci, & ad frontem libri poſui, remittens eo lectorem curioſum. Jam porrò de alijs ſingulariter quædam recenſere notatu digna non omittam: mea tamen adhuc veſtram erga ſuperbiam facie verſus contra leones reclamo illud: alius ô Perſæ, alius *(a) de tribu Juda leo rugiet, qui ad nullius pavebit occurſum*, Chriſtus olim ſeſſurus ad judicij tribunal: tum verò & ex vobis, quà Reges, quà Proceres, *quis non pavebit?*

ARTICULUS TERTIUS.

De ſuperbiſſimo antiquorum Perſarum ſtatu, & felici tempore, quo fides Chriſti inter eos floruit, nec non miſerrimâ eorum conditione de præſenti.

GEntem porrò iſtam Perſarum priſcis jam temporibus ſublimiori inter cæteras vertice ſuperbijſſe, & quâ nobilitate, quâ ſapientiâ ſemper inſignem extitiſſe, negabit nemo; niſi forſan ille, qui nedùm fide digniſſimorum Hiſtoricorum, ſed & ſacrarum ipſarummet ſcripturarum teſtimonia vilipenderit ut commenta. Eouſque ſtimulante potenti ſuperbia, ſuperbâq; potentiâ extulere ſe ſe, ut Perſici poſſeſſores throni REGES REGUM *(b)* dicti ſint, & habiti, ut conſtat de Artaxerxe.

Cæterùm cùm volumina de majeſtate Perſarum antiquâ plena ſint, meo ego parcens labori, neceſſarium tantum aſſumo tangere, atque delucidare quædam, quæ communiter Græci

(a) *Amos. 3. v. 8.* (b) *1. Eſd. 7. v. 12.*

ci æquè atque latini Authores omittunt, quâ inquam ratione differant, vel unum ſint, tres illæ communiter dictæ nationes, Perſæ, Parthi, & Medi; quippe qui aliquando ita inter ſe diſcrepabant, ut diverſæ viderentur gentes, aliquando porrò ita ſibi ſtetêre uniti, ut una gens atque natio habiti ſint. Edicendum pariter fuſiùs duxi, de tempore atque modo, quô Perſarum adeò potens ſublimeq; dominium in alienæ gentis manus ceciderit, ipſique miſerè adeò diſperſi. Ubi & de fide Chriſti inter Perſas florida, ejuſdemque rursùs exterminio, & inchoatione miſerabilis eorundem perfidiæ plura.

Perſarum igitur Armenorumque ſuis in vernaculis narrant Hiſtorici, Imperium Aſſyriorum, ſive Chaldæorum, aut Babylonenſium, qui in unam omnes gentem coincidunt, fuiſſe delatum ad Medos, qui per aliqua ſecula potiti erant eodem, donec inclytus, ſapientiſſimuſque Perſarum Cyrus illud ijſdem abſtulerat, regnante Aſtel Rege illorum (quem Græci atque Latini Aſtyagem dicunt) in ſuique populi redegit poteſtatem, qui ejuſdem per decem Kern, id eſt, cornua temporis, continuum habuit dominium. Hic tamen pro intelligentiâ

Notandum, quod ſicut apud Latinos centum annorum ſpacium, ſeculum dicitur, ſic & apud Perſas, triginta annorum ſpacium dicitur Kern; eſtque quaſi ſeculum illorum. Porrò myſterioſum, hoc eſt ijſdem: dicunt namque, perfectam fortioremque humanæ vitæ conditionem adaquiri in anno trigeſimo, unde & hanc ætatem aſſimilant cornui, quòd, ſicuti cornu fortiſſima pars eſt animantis, ita triginta ætas annorum, fortiſſimam atque perfectiſſimam humanæ naturæ tribuat conſtitutionem. Proinde & ille, qui uni trigeſimo addebat alterum trigeſimum ætatis ſuæ decurſu, vocabatur felix duorum ſeculorum. Quâ ratione Alexandrum Magnum Zulkernein vocant, id eſt, habentem duo cornua, bis videlicet triginta annos, quamvis

vis ſexageſimum completè non attigerit. Quòd ſi quiſpiam, ſecundo cornui, ſeu anno ſexageſimo, ſupernumerare valuerit ætatis ſuæ ter trigeſimum, qui eſt nonageſimus, vocabatur felicior poſſeſſor annorum trium cornium vitæ humanæ. Si verò tertio etiam cornui, quartum addiderit; feliciſſimus ille poſſeſſor ſeculorum, omniſque humanæ vitæ felicitatis dominus palàm audiebat. Et verò quid nunc? perdifficiles ſunt periodi humanæ vitæ, atque ardui ſolutionis nodi, 120. anni, quos qui perſolverit, felix utique ſeculorum poſſeſſor dici valeat, niſi aliunde forſan infelix ſit magis cenſendus ille, qui cum annis ſibi miſerias humanæ conditionis multiplicat.

Perſæ ergò, dum per decem cornua Medos regnâſſe dicunt, indicant ſpacium trecentorum annorum: quamvis Græci, eorumque ſcriptor præcipuus Nicephorus, ducentorum & viginti annorum recenſeant dominium Medorum. Porrò & hoc minùs ſentit Hiſtoricus antiquiſſimus, celeberrimuſque Armenonorum Poëta Moyſes, cognominatus Kertoch, puta, explanator rerum & difficultatum. Is enim centum quinquaginta circiter reputat annos uſque ad Darium victum, à magno & ſapiente Macedonum Duce Alexandro: qui reliquerat illud regnum ſuis, prout & hi per quinque cornua tenuêre illud. Tum verò magnus ille Arſach, quem Græci & Latini Arſacem vocant, eximius Parthorum Paterfamilias, armorumque virtute potentiſſimus memoratum dominium â Macedonum proceribus (qui Ptolomæi erant) abſtulit, ſuæque, ſcilicet Parthorum tradidit genti; quæ pariter id ipſum amiſit regnante Arthabano; quem Græci, Latini, atque Armeni Artabannum dicunt. Hic namque, quemadmodum Perſæ dicunt, inſipiens magis atque tyrannicus erat in ſuo gubernandi modo, quod ipſum in calcar erat prudentiæ atque dexteritatis Artaxerxis, ut memoratum occideret Artabañum, quô & occisô, occupaverat Artaxerxes

xerxes Regnum à Parthis ſibi vendicatum, ac tandem filio ſuo Coſroë commiſit. Porrò non erat ille Coſroë, de quo multæ loquntur hiſtoriæ pugnâſſe cum Heraclio propter crucem Salvatoris; ſed filius primi Perſarum Artaxerxis, quem aliæ hiſtoriæ, atque ſcriptores caput etiam Magorum atque Ariolorum fuiſſe, perhibent. Sed ad differentiam Perſarum, Parthorum, atque Medorum oportet, redeamus.

Perſas ergo, Parthos, Medoſque, tametſi in multis differentes, unam facere gentem, ſentio, deſumptô ab Aſſyrijs, Chaldæis, & Babylonenſibus exemplô, qui unam abſolutè faciunt gentem. Et quemadmodum populi Sabinenſes, alijque Romanis circumvicini, bellica ſæpè ſæpiùs miſcuêre diſcrimina, nec non & linguis & moribus quandoque diſcrepabant, una tamen gens & natio habiti ſunt, nedum à Perſicis, Armenicis, Græcis, Latiniſque Hiſtoricis; ſed & à ſcriptoribus ſacris. Accidentalis enim erat horum inter ſe populorum oppoſitio, atque diſcrepantia, orta ſive ex particulari Antipatia, ſive ex rebus malè aut benè, pejus aut melius adminiſtratis, ſive alijs particularibus quibuſdam motivis, quâ etiam ratione inter unum atque alterum ejuſdem licet Provinciæ oppidum oriri ſolent diſſenſiones, quæ nullam diviſionem ſeu diverſitatem gentium, ſed ſolam populorum arguunt æmulationem.

Unitate proinde radicali nationalitatis eſſentialis unũ fundant, & faciunt commune dominium & imperium, populi Romani, eoſque circumjacentes, quamvis armorum viciſſitudine quandoque unus, alter quandoque triumphârit. Sumitur autem denominatio à populo nobiliori, & ut plurimùm potentiori, quales cùm utcunque Romani fuerint, communi nomine gens ſeu natio eſſentialis, vocatur Romanorum, & Imperium Romanum. Licet plures ſibi junctos ſortiatur populos, ut Sabinenſes, atque alios, accidentaliter ſolùm, ut ſupra diximus, ab

ijſdem

ijſdem differentes. Atque ita pariter Aſſyrij, & Chaldæi, & Babylonij, in unam radicaliter ſtant gentem, quamvis actuale gubernium armorum virtute modo uni, modo alteri ceſſerit, aut exceſſerit ſecundum triumphum.

Unde quamvis particulari quadam oppoſitione, aut antipathiâ, bellis imò quandoque acerrimis inter ſe diſſecabantur Perſæ, Medi, Parthique, ita, ut quandoque unus, alter viciſſim populus dominaretur, accedente inſuper linguarum morumq; diverſitate; originali tamen, atque nationali ratione, unam faciunt gentem, & imperium, atque in unum coincidunt populum Perſicum, ut docent Perſarum Hiſtorici, ſingulariter Scech Naſir Tuſi, antiquiſſimus, probatiſſimuſq; eorundem Hiſtoriographus, nec minus celebris Philoſophus, Medicus, atq; Poëta, multæ, magnæque tam in vernacula ſua Perſica, quàm Arabica, Syriaca, Græcaque lingua eruditionis. Tota ergo inter eos, hujus ſcriptoris teſtimonio diſcrepantia currit, in corruptione probati verique idiomatis Perſici, & morum complurium diverſitate. Unde ſcriptor memoratus inquit, populum Parthicum, qui habitabat in partibus Choraſan, extendens limites ſuos ad Scythas uſque majores, eſſe quendam rudem, vilemque *Perſam*, quippe de barbaris Scytharum moribus participantem, cumq; in culto eorum idiomate verum atque elegans idioma Perſicum confundentem. Medorum econtra populum, politiorem vocat, nobilioremque *Perſam*, præ Partho, eo quod bonas ſortiretur humanitatis diſciplinæq; influentias à Syris atque Græcis, ad quos extenderet fines ſuos. Perſicus verò populus, ut inquit laudatus Scech Naſir Tuſi, ſeu populus ille, qui in corde imperij putâ Hircaniâ, ad uſque ſinum Perſicum, atque Indos ſe ſe extendente, habitaverat, humaniſſimum ſemper, atque ſapientiſſimum, liberaliumq; artium & ſtudiorum cupidiſſimum ſe ſe monſtravit; unde populus ipſe nedum à tota Perſide, ſed

& à toto ſemper Oriente celebrabatur: illique ſoli adjudicatum eſt, ut proprium debitumque nomen, Fars, id eſt, ſapiens antonomaſticè, ſeu per excellentiam Nominis: namque Perſis dicere Fars, idem eſt, ac dicere Gentem ſapientem.

Hâc proinde ratione à Perſis, tanquam à potiori, nobiliori, atque excellentiori populo, regnum ipſum ſemper denominatum eſt, & hodiernum uſq; diem denominatur Perſicum, quamvis in eodem adhuc Regno ſint duo illi Parthorum atque Medorum populi. Hæc porrò pro brevitate de horum populorum diverſitate, atque unitate gentis & imperij dicta ſunto: nunc, quomodo & quando imperium adeo potens, ſapiens, atque ſublime Perſarum in alienam atq; vulgarem devenerit gentem, indagemus.

Etenim *(a) generatio advenit, generatio præterit, terra autem in æternum permanet*, theatrum veluti commune, in quo DEUS cum ſtupore mortalis genij, ſolus ipſe non luſus, ludit omnẽ rerum viciſſitudinem, atq; mutationem, ipſe idem immutabilis, & totius expers viciſſitudinis. Sicut proinde ſapiens *(b)* nihil vidit ſub ſole permanens, ſolẽ imo ipſum licet millies orientẽ, millies pariter videre eſt occidentem; ita Orientalem DEUS gloriam in oculis mortalium occidere fecit, & Perſarum ſublime decus atque imperium alteri commiſit populo poſſidendum. Quod quidem, quâ ratione factum ſit, antequam dicere aggrediar, nefas judicavi, ſine commemoratione præterire ſtatum illum, nunc (eheu!) ſolâ recordatione felicem, quô flos de radice Jeſſe ipſa etiam in Perſide floruit, & Chriſti ſalutaris fides plantata paſſim terram orientalem aduſque cœlum ſuos fecit diffundere odores ſuavitatis. Quamvis & potiſſimi ipſimet flores non niſi ſanguine tincti à perſecutorum rabie martyrij purpuram ſibi vendicârint. Rem certò ab animo Chriſtianæ pietatis amante non percipiendam, largo abſque profluvio lacrymarum.

(a) *Eccl. 1. v. 4.* (b) *ibid. v. 10.*

Pro-

Propheticô jam Veritas Divina præſagiit oraculô, Evangelicæ buccinam pietatis etiam in Perſide audiendam, juxta illud Davidis. (a) *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Exijt certò & in Perſidem per claram illam cœli buccinam Bartholomæum. Exijt per Simonem, atque Thadæum, Apoſtolos, alioſque Chriſti diſcipulos, vera ſacroſancta fides, qui & à Diviniſſimo Magiſtro ſuo ad quatuor orbis partes dimiſſi ſunt, ſui veluti Neo-Teſtamenti, ſanctæque Eccleſiæ DEO placentis Architecti, laboreque quantum periculosô atque arduô, tantum ſolerti atque conſtanti divinæ legi inſiſtentes, terram cruce Chriſti dimenſi ſunt univerſam. (b) Hæc namque vera eſt virga illa, ſeu calamus, aut arundo aurea, quâ templum DEI, & Civitas ſancta fidei, & electorum in ea rectè valeat dimenſurari.

Sed & temporum injuria, humanæque perfidiæ decurſu defecit pientiſſimus in DEUM hominem zelus, adeo, ut ipſimet, qui Sancta Sanctorum ædificaverant, Apoſtolici Architecti tyrannicô furore martyres ſint effecti, reputatâ quidem vitâ illorum inſaniâ, ipſis verò inter DEI filios computatis, eorundemq; ſorte inter Sanctos feliciter collocatâ.

At verò Chriſtianæ Sol Juſtitiæ, Evangelicæque Phœbus veritatis omni nondum ex parte obtenebrabatur Eclypſi, cùm interim in Armenorum finibus glorioſa & ſalutifera Salvatoris fides, nedum perdurabat, ſed & ultro invaleſcebat. Hi porrò, ſicut & Imperatores Romani deperditam in Perſide Chriſti fidem inſtaurare, atque pleniùs introducere non deſtiterant, deſtinatis hoc in negotio quà ſancto, quà perdifficili eloquentiſſimis, zeloſiſſimis, ſanctiſſimiſque Legatis, atque Oratoribus: (c) quod in Eccleſiaſtica ſua hiſtoria referens Nicephorus, Caliſtus, longiori narratione deducit, crebraſque Perſas inter &

(a) *Pſ. 18.* (b) *Apoc. 1. & 21. c.* (c) *Nic. Caliſt. in Eccl. hiſt. l. 14. c. 18.*

Romanorum Imperatores deſcribit legationes, unde majora oriebantur Chriſtianæ fidei incrementa.

Zelus igitur domus DEI inſidens Armenorum cordibus, ſuum ſanctæ agnitionis calorem, divinique flammam ſpiritus Perſidi ultro, citroq; immittere non deſiſtebat, inſtruentibus jugiter Armenis populos Perſidis ſibi propinquos. Facta ſunt proinde hac rurſus in natione corde flammantia ſanctiſſimo Religionis igne, exq; familiariori ſacratiſſimorũ virorum, quibus tunc Armenia abundabat, converſatione ſuccenſi Perſæ, licet ſenſim, palam tamen concepêre ſpiritum veri DEI, & paulò poſt Chriſti, atque Evangelicæ veritatis excitati, illuminatique fide, fervidè ſanctam nedum proſecuti, ſed & inſecuti ſunt, atque ſuſcepêre Religionem. Uſque inquam adeo, ut Epiſcopos ſibi, ſacerdotes, alioſque Eccleſiaſticos methodo Chriſtianâ per Armenos conſtitui curârint.

Quia tamen omne principium grave; difficultatem pariter ſenſit, quin imò impoſſibilitatem propagationis ſuæ Religio ſancta, quod mundus (parvus ille, & juxta Græcos microcoſmus, homo) jam olim à ſtatu innocentiæ deciduus, non ultra, niſi nocentiſſima ſibi appeteret. Docebant Armeni de lege Chriſti, & DEI, inviſibilis illius eminentiæ divinitatem, unitâtemque, adversùm Deorum fictilium, creatorumque ſenſibus ſubjacentium pluralitatem. DEUM docebant humiliatum adversùm hominis ſuperbiam, temerè olim tentantis, ut DEUS foret, cùm interim ne dum ad chymericum hoc intentum viribus defeciſſet, ſed &, ſi quod boni habuerat, deperdidiſſet. Docebant infinitæ potentiam bonitatis Divinæ, quæ ſuperabundantiſſimis meritis inhumanationis, mortiſq; filij DEI unigeniti pro divinæ adversùm hominum peccata juſtiſſimæ æquitatis, & vindictæ rigore miſericorditer ſatisfecit. Docebant demùm omnem conſcientiæ puritatem, omni tum penè mundo

ſpur-

ſpurcitijs & impietatibus immerſo alienam, docebant ſalutiferos Chriſtianæ vitæ, viæque mores, atque virtutes. Sed quæ in ſe erant melliflua Chriſtianæ fidei documenta, febricitanti plurimorum Perſarum gutturi ex amaritudine peccatorum infecto, ſi non venena, ſaltem videbantur amara.

Cæterùm, quod primam propagandæ fidei ſtatueret impoſſibilitatem, erat elatior ambitio veſani populi, qui inaudiens primos executores, promulgatoreſque primarios fidei ſanctæ fuiſſe vilis mortales conditionis, *Piſcatores*, Galilæos, & hominum opprobria cæterorum: deſpectui ſibi duxerat adhærere fidei hujuſcemodi, ignorans, quod lapis Chriſtus, *quem* Judæi *(a) reprobaverunt ædificantes, factus ſit in caput Anguli*, qualiterq; DEUS infirma elegerit, ut fortia quæque confundat, & *(b) per prædicationis ſtultitiam ſalvos faceret credentes.* Quod ipſum quid ni Creatoris, Salvatoriſque omnipotentiam, omni-ſcientiamq; arguit, quin imò ad hominem demonſtrat? ſed ſerpente antiquo inſidiatore infecta Perſis, ſuperbiæ intumuit venenô, & rabiem uſque agitata, perſequi incepit Chriſtianæ pietatis ſequaces, idque potiſſimum per Judæos atque Manichæos, quorum tunc virus peſtiferum multum inter Perſas occupaverat numerum.

Hi proinde quà Judæi, quà Manichæi inita cum Perſarum Magis familiaritate, atq; unione majori, optimam Saporis Perſarum Regis auſi ſunt interturbare de Chriſtianis opinionem, malè ſpargendo de Simeone Seleuciæ,& Cteſiphontis Primariarum Perſidis urbium Epiſcopo, quaſi ille, quia major Romanorum amicus ex fide, minor ſit Perſicarum rerum proſecutor, inimicus infenſiſſimus imò. Tum verò ociùs Rex fide perfidis omninò adhibitâ, nullam non moliri incipit perſecutionem in ſanctos Chriſti fideles. Ut porrò commodiùs Chriſtianitatis induceret deficientiam, & hortuli denuò vireſcentis impediret u-

(a) *Pſ. 117.* (b) *1. Cor. 1.*

beriorem imposterum fructificationem; irrigationem eidem primò prohibere molitur, seu potiùs, quo alias fonte nutriebatur gens DEO electa, exhaurire conatus est, cùm graviora Christianis imposuisset tributa, gravissimosque, & rigidissimos eorundem exactores, qui bonis exhaustos fideles ad fidei abnegationem impellerent, constituisset.

Sed neque his contenta perfidorũ rabies; cùm paulò post, varijs tormentorum generibus debachatur in Christianos, non secus ac luporum more, qui posteaquam obviantem sibi agnum primo allatratu in trepidationem egerint, tum tandem sanguine gaudent, & morsibus ludunt. Nolim ego ultra è Lectorum oculis lacrymas premere, obijciendo crudelitatem persecutorum, & suppliciorum varietatem, statumque, conditionem, ac numerum interfectorum. Omittere velim grandium claritatem miraculorum sub sœvissima Saporis in Christianos persecutione; brevitati namque studens, Ecclesiasticis id relinquam historijs, quorum tot sanguinei sunt à Martyribus caracteres. Obiter dictum esto, quod ex Syrorum, Armenorum, Græcorumq; *(a)* Historicis nemo absque stupore audierit, Martyrum vel solâ in Perside interfectorum numerum excedere sexdecim mille, quâ virorum, quâ mulierum animas, ex quibus quorundam Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiasticorum pro Christi fide interfectorum nomina promiscuè placuit adjungere.

Primus porrò horum Martyrum, atque aries totius de cruento vellere gregis Dux, Simeon erat ille memoratus Episcopus, quem pro DEI gloria in victorioso certamine insequebatur Barbasimes; quorum dein successivè triumphales æmulati sunt palmas, Paulus, Gadiabes, Sabinus, Mareas, Mocius, Joannes, Ormisdas, Papas, Jacobus, Romas, Maares, Agas, Bocchoris, Sapores, Isaac, & Dausas, atque complurimi alij Ecclesiarum

(a) *Nic. Calist. Eccl. hist. l. 8. c. 37.* Mini-

Miniſtri, qui nedùm ſoli, ſed & unà cum gregibus ſibi adhærentibus rubrum Martyrij oceanum tranſiêre.

Dic ſodes etiamnum Lector Chriſtiane; palam ediſſere: ſi Sancti DEI Chriſti coronam adornant, nunquid inter cæteros præſtantiſſimæ hæ erunt orientales gemmæ, & rubini in agni ſanguine tincti? Manet tibi Perſis infelix, Ah! manet tibi, quod vel perfidiâ DEI ſummi exaltâris per Martyres à te interfectos gloriam, quam vel ſolâ agnitione & veneratione magis augere valuiſſes, ſi & voluiſſes.

Sed neque ſequaci erant ſine phœbo nubila, nec atra uſque adeo nox ſine invecta poſtmodùm aurora. Invaleſcente licet uſque adeò perfidiâ, ut Ægyptiarum more tenebrarum palpari deberent omnia, *(a)* refulſerat illicò Sol Juſtitiæ Chriſtianæ, ad feliciſſimum tempus Iſdegerdis Regis, qui tantæ erat æquanimitatis, ut Theodoſius in ejuſdem à patre tutelam ſit comiſſus.

Cùm igitur Rex iſte benevolentiſſimus eſſet Romanorum amicus, crebræ jam ultro citroque ab utraque parte reciprocæ inſtituebantur legationes, *(b)* per ſapientiſſimos, peritiſſimoſq; Legatos & Oratores: quos inter ſpecialis erat atque eximius, nec minùs ſanctitate, quàm doctrinâ laudatiſſimus, Marutha Syrus, Epiſcopus Meſopotamiæ. Is primò Iſdegerdem Regem gravi diuturnoque capitis dolore curaverat; unde ſingulari penè honore atque æſtimatione Rex eundem proſecutus, magnam Magorum, cæterorumque perfidiæ miniſtrorum contradictionem, indignationemque in memoratum Epiſcopum commoverat: cùm interim Rex ipſe omni cæteros in Chriſtianos benevolentiâ ferebatur, & comitate. Ut ſanè illud redijſſe tempus videretur DEI populo apud Perſas, quod olim; de quo proinde pauca libeat conſiderare.

Etenim juxta Chobar fluvium reſidenti olim *(c)* Ezechieli ante

(a) *Nic. Caliſt. lib. 14. c. 18.* (b) *Ibidem.* (c) *Ezech. 1.*

ante ultimam populi DEI captivitatem obtigerat visio quatuor animalium, quatuor destructas Israël Monarchias figurantium: *(a)* quam utiq; secundùm doctissimi cujusdam Theologi explanationem huc apponere, non incongruum erit. "In leo-
"ne enim (inquit ille) figurabatur Monarchia Assyriana. Quæ
"sicut leo erat fortior, & prima inter alias, cujus Reges Hiere. 5.
"vocantur leones, quorum Salmanasar captivavit decem tri-
"bus, & tandem Nabuchodonosor captivavit tribum Juda &
"Beniamin, & desolatus est Jerusalem. In homine figurabatur
"Monarchia Persiana, quæ humanius & mitiùs se gessit cum
"Judæis, ut patet in Cyro & Assuero Longimano, qui post reu-
"nitam Monarchiam Persianam cum Assyrianâ, alias antea di-
"visam in tempore Sardanapali, dederunt licentiam Judæis re-
"ædificandi templum, & Jerusalem. In tauro figurabatur Mo-
"narchia Græca, quæ incepit in Alexandro Magno, cujus mul-
"ti Reges, ut patet in Antiocho illustri, sicut tauri impetu fu-
"ribundo percusserunt Judæos. Unde Alexander Daniel. 8.
"vocatur cornu, ex quo per mortem fracto orta sunt quatuor
"cornua, qui sunt quatuor Reges ei succedentes, utpote Phi-
"lippus Arideus in Macedonia, Ptolomæus Legatus in Ægypto,
"Antigonus in Asia, Seleucus in Syria & Babylonia. Ecce quo-
"modo Reges istius Monarchiæ cornu vocantur ob eorum cru-
"delitates, de quibus in libris Machabæorum satis constat. In
"Aquila figurabatur Monarchia Romana, quæ ut Aquila rapa-
"cissima, non justitiâ, sed potentiâ omnes gentes, subjugavit,
"& Judæos omninò devastavit, ut patet in Tito & Vespasiano.
"Hæc ille. Unde colliges Lector, ex hoc forsan etiam Danielis testimonio Persas fundamentum sumpsisse, ad vocandum Alexandrum Zulkernein: de quo jam supra.

Gloriare jam tibi famosa Persis, quæ à mitiori procedendi cum DEI populo authoritate, faciem sumpsisse hominis divi-

(a) *La Cruz. in comput. annor. ab Adam usq; ad Christum.* nô

nô jam olim oraculô comprobaris. Id tibi laudis in Cyro, id tibi in Aſſuero, id in Artaxerxe olim ſacræ etiam hiſtoriæ adſcribunt; id verò & rurſus tibi gloriæ immortaliſque vendicâſti laudis in Iſdegerde, quem DEI populo benignum exhibes hominem, ſepelis tyrannum. Redijt ergo, ut ſupra memoravimus, redijt felix illa antiqua ætas, quâ Aſſuerus ſervitia à Mardochæo ſibi præſtita agnoſcens exaltari eundem præ cæteris fecit, & electo DEI cœli populo benefavit, dum Iſdegerdis benevolentiſſimus animus Marutham Syrum ob reſtitutam ſibi capitis ſanitatem, peculiari proſecutus amore, atque populum Chriſto deditum Regno ſuo ſuſceperat gratioſum. Illud denique tunc redijſſe tempus videbatur, quo olim Perſarum Reges, ut ſacræ conteſtantur paginæ populo DEI pro votis conceſſere templi Domini, ſanctiq́ue Jeruſalem ædificandi facultatem.

Aſt, qui ſacras evoluerit paginas, nihil & eo tempore ſine contradictione factum reperiet; qualiter nec Iſdegerdis tempore ſuam poterant ſine magnis obſtaculis propagare religionem Chriſtiani. Ambitioſæ quippe perfidiæ tenebris mens obnubilata, obturatis contra veritatem auribus renuerunt vocem ſaviter incantantium pro lege DEI; quin, ultra eos perſecuturi, ut ſupremâ, eâq́ue fortiſſimâ invaleſcant manu, viperinas machinantur aſtutias, queis benevolentem Regis in Chriſtianos animum, avertant,atque imo extremam in rabiem agant: neq; alia occurrerat, quam qualem ſubijcio, inventio ſceleſta.

Sathanæ hi Miniſtri, & Gehennæ infernalis mercenarij, eo in loco, ubi ignis eorum (quem ſtultâ colebant inſaniâ) ſervari ſolebat,ſub terra conſtituêre ſceleſtum quendam, eum in finem, ut ſi quando Rex eo deveniret, Sathanæ ibi ſpiritus deliteſcens altâ horribiliq́ue voce inclamaret. Exeat, exeat Rex, hoc ſacrô ultra indignus locô, quippe qui dereliquit ſuam, amplexuſq; fidem ſequitura lienam. Sic porrò diſpoſitâ fraude, de induſtria

destinatum ad ignis templum duxêre Regem: cùm ecce fatali, atque horrisonô clamore delitescens Idolum eloquitur dæmoniacum. *(a)* Exiret omninò, exiret protinus Rex, sacris porrò indignus ignium aris, ob derelictam patriam, aliorumque fidem jam jam susceptam. Nescius ergò Rex fraudis tremuit, & totus horrore concussus mutare protinùs non distulit bene alias habitam de Christi Religione salvificâ opinionem. Tum verò qui olim Mardochæum in beneficijs Regi præstitis, quiq; Neemiam in procuranda templi DEI ædificatione priùs egerat, Episcopus Marutha, jam ageret Danielem, necesse erat, confunderetq; Bel sacerdotes iniquissimos, & Regi patefactâ fraude DEI Sancti gloriam propagaret; quod & Marutha exequi nullâ dubitaverat ratione.

Igitur Sanctus sancti gregis Episcopus impavidus Regem adijt, nollet à sancto proposito desistere, summô zelo commonefaciens, addensque dignaretur quantociùs Majestas Regia sufferre, quâ veritas patefaciat fraudem, eô quidem tenore: accederet iteratò Rex ad ignium aram, & cùm primùm auditos clamores reaudierit, juberet Regiâ potestate, ut foderetur locus ille, unde vocem inaudijt; inventurus tandem nebulonem quendam Magorum utique delitescentem, hasque voces oraculi sathanici loco effingentem. Quæ ubi omnia Rex tentâsset, innotuit protinus scelestus Magorum dolus, crevitque indies, magisque efferuebat pristinam in sanctam Christi fidem, & Gregem, Regis animus, toto econtra furore atque acerrimâ persecutione invectus perfidos adversum Magos, & Majestatis Suæ Regiæ deceptores.

Memorato porrò Regi, successit dominio, Varanes ejusdem liber, progeniè sanè, non animo; etenim hic in juventute magicis jam intoxicatus superstitionibus nihil poterat, præter crudelitatis virus eructante ad nauseam plenô perfidiæ stomachô in

Chri-

Chriſtianos evomere. Hinc igitur, ubi Iſdegerdes mollia pacis conceſſit paſcua Chriſti ovibus, hic in terram profligare molitur ſcorpionibus diſſeminatam; verbô, tunc Patris benevolentia, in filij rabiem, tunc Iſdegerdis pietas in Varanis degeneravit crudelitatem, irritis omnibus pientiſſimæ antea Chriſtianitati conceſſis, excogitatiſque diriſſimis perſecutionum in hanc, tormentorumque, ac ſuppliciorum generibus, uſque adeò; ut diabolica Magorum ingenia, ſuadente licet omnis impietatis Machiavello ſathana, ulteriori deficerent inventione. Atque ita ſuavis Chriſtianorum, & mollibus Iſdegerdis gratijs ſtratus lectulus, in diram cruentamq; tranſijt lanienam.

Verùm enimverò, uti nullum eſt adverſus dominum conſilium, nil poterat adinvenire perverſitatis crudelitas humana, quod altiori non conſiliô ſuperaret bonitas divina. Perijt Helluo ſanguinis Chriſtiani, atque mortuô Varane aurea ſtatuitur libertas Chriſtianis, libera conceduntur paſcua cœli oviculis, tempore Cabadis Regis ſuccedentis. Qui quidem uſque adeò conſtantis in Chriſti fidem erat animi, ut & ultimum in eadem ſpiritum multorum opinione DEO cœli exhalarit, & tanquam Chriſtianus defunctus ſit, teſtantibus hoc ipſum tam Armenorum, quàm Græcorum Hiſtoricis.

Eâdem tranquillâ pace, ſanctoque incremento floruit, invaluitque Chriſti fides in Perſide, regnante Choſrue Hormiſdæ filio, qui nedum pretioſis muneribus ditaverat templum Antiochiæ D. Sergio ſacrum, ob à ſe ibidem viſa, per Sancti interceſſionem patrata miracula in bello ſub Antiochena civitate; ſed & complura exhibuit grati animi obſequia erga Romanorum Mauritium Imperatorem, cujus ſuffultus auxilio è ſuorum manibus æmulorum paternum reaccepit regnum: qui pariter Choſrues Chriſtianâ fructus, & perfunctus perhibetur vitâ.

Et quidem tam poſt, quàm ante iſtum Regem benè memo-

ratum ſæpè ſæpiùs Chriſti divina floruit fides in Perſide, per benignam amicabilemque Romanorum cum Perſis Imperatorum correſpondentiam. Tandem verò (proh memoriam lamentabilem) verificatum de Perſide, quod de Babylone. *(a) Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus illam.*

Poſtquàm verò in priſtinas denuò lapſa ſuperſtitiones DEUM reliquerat immortalem, juſtum primò eundem experta ultorem, punitam paſſa eſt duritiem cordis ſui, per immiſſa paulò poſt bella, quà inteſtina, unde à ſuiſmet incolis, quà extrinſecâ circumvicinorum, à quibus amariſſimè eſt afflicta. Saracenis etenim ex parte ſinus Perſici, Romanis ex Meſopotamia odio perfidiæ eorum motis, ſicut & Armenis alia ex parte Perſidem invadentibus, denudata eſt illa dominio ſuo ſublimi, & miſeram ducta in captivitatem, amiſit cum fide Regnum. Hujus porrò abſoluto dominio pro aliquo temporis ſpacio potiti ſunt Saraceni, introducentes peſtiferas illas Machumeticæ iniquitatis ſuperſtitiones.

Tandem verò & Saracenis denuò ablatum eſt Perſidis Regnum à Perſis modernis per potentiſſimum eorundem anteſignanum Scech Sephi, de quo in articulo quinto, qui proinde modernorum Perſarum primum egerat Regem. Hi denique antiquiſſimam illam, nobiliſſimam, atque ſapientiſſimam gentem Perſicam (DEO ita juſtè ob eorum ſcelera in Chriſtum ſuum perpetrata permittente) miſerè devaſtârunt, imò ad nihilum quaſi reduxerunt; ita ut in civitate Regiâ Isfahan non inveniantur plùs, quàm centum domûs Perſarum antiquorum, illæque in vico quodam à civitate ſegregato, quem Gaurabad, id eſt habitationem infidelium dicunt. Vulgùs etenim neo-Perſicum, Perſas antiquos, Gaur, ſeu infideles, communi nomine, in libris verò, Fars Kadin, id eſt, antiquos Perſas nominat.

Cæterùm in toto Regno Perſi antiqui pauci numero reperiuntur,

(a) *Jerem. 51. v. 9.*

riuntur, nec nisi in aliquibus oppidis Provinciarum sitis versùs Indiam, eo namque major ipsorum pars à modernorum persecutionibus Persarum confugit. Sunt nihilominus ij suarum tenacissimi superstitionum, alienamque abhorrent legem comprimis Machometicam. In quorum pleniorem notitiam sit.

ARTICULUS QUARTUS.

De Fide, Lingua, & nonnullis antiquorum Persarum ridiculosis superstitionibus.

DE Fide porrò, linguâ, nonnullisque antiquorum Persarum superstitionibus pauca referre statui, eo quod referre singula, solâ vel absurditate, & incongruentia eorum nauseabundus abhorream; prout & ex his modicis à me referendis primò forsan ad risum, sed & certò certiùs ad horrorem Lector amicus sit commovendus.

Igitur antiqui hi Persæ adhuc suo in Regno non nisi dispersi commorantes, primò perpetuum conservant ignem in domo quadam illi consecratâ juxta perfidiam suam, vocantque domum hanc, seu templum, Cudban. Confluunt huc tam mares, quàm fœminæ multâ frequentiâ, suasque persolvunt preces fervore iniquo. Proh miseros vos ignium cultores! nunquid non flamma manibus vestris accensa, DEUS est? Illudne vobis Numen, quod,ut per vos suum sortitur ardorem, ita materialia nisi subministraretis, eodem deficeret ardore? Hic vobis DEUS est, quem possetis pro libitu aquis extinguere? Hoc vobis Numen gratiosum, quod ubi captandi beneficij causâ manum supplicem eidem dederitis, carnem vestram, ossa imò omnia malignâ voracitate comburet? Ille vobis ignis DEUM demonstret, quem *(a)* Moyses viderat rubum illustrantem, non comburentem: *(b)* Ille vobis ignis DEUM indicet, quem Elias

(a) *Exod. 3. v. 2.* (b) *3. Reg. c. 18. v. 38.*

cœlo fecerat descendentem ad aras oblationum. Vos verò qui profanis ignibus DEUM colitis, ignem imò DEUM existimatis, quid nisi flammis ejusdem vos absumendos cum Babylonijs aut Sodomitis formidare debetis.

Nihilominùs cœco illi fervore continuis sese fatuo coram igne fatigant orationibus, adstantibus semper eorum sacerdotibus sive Legisperitis, quos Agund vocant; quique non solùm eos instruunt certis traditionibus, quas ex parte, licet non omnes, à suis antiquis, majoribus in membranis & palimpsestis scriptas habent; sed & exponunt illis mendacia Pseudo-Prophetarum suorum vaticinia, Ariolorumq; figmenta, quorum multa de recuperatione iterata deperditi imperij sui prædicta credunt. Hi igitur legisperiti populum aliunde in perfidia pertinacem crebris adhortationibus, frequentibusque exemplis corroborant, ad profanorum ignium adorationem, sed & jugiter ijsdem solis persuadent cultum. Unde & omnis antiquorum hujuscemodi Persarum populus, singulô, cùm surgit, manè, ad Orientis plagam solis sese dirigit, eundemque genuflexus adorat certis quibusdam ejus in honorem statutis precibus. Sed & post hæc evolvere solent coronam quandam (quæ formam habet Rosarij nostri) in solis obsequium, quam pariter coronam collo semper gestant, signum tanquam protestativum in solis servitutem. Atque hoc quidem signum extrinsecum est; cui latentius quoddam superaddunt malesani hi solis cultores, dum in ejus cultum, fideique suæ protestationem, parvum quoddam cingulum super carnem portare subtus vestibus solent.

Hi pariter non circumciduntur, sed infantes recenter natos offerunt igni & soli, faciuntque convivium Pseudo-Sacerdotibus suis, vel muneribus eosdem pro facultate donant; sicque suas mundas evadere proles dicunt. Omnes item vinum nedum

dum bibunt, ſed & vinearum colendarum arte pollent; edere etiam ſolent carnes porcinas. Polygamiam admittunt, neque viris cum mulieribus non ſuis converſationis libertatem prohibent. Pro voluptate, propriæque voluntatis arbitrio connubia miſcent, neque de cognatione, conſanguinitate, affinitateve cauſantur, excepto gradu primo.

Jejuniorum equidem in honorem ignis atque ſolis quaſdam obſervant in anno dies; Sicut & annuam unam celebrant feſtivitatem in quarta, aut quinta decima Martij, quam quidem ſolemnitatem Nouruz, ſeu novum diem appellant; & ex hoc inchoatur annus eorum, obſervaturque & dies iſte à Perſis modernis, magna, ut alibi dicam, ſolemnitate.

Cæterùm Perſæ antiqui, Mares æquè, ac fœminæ in illa die ornatis accedunt veſtibus ad ignis templum; quamvis alias omnes promiſcuè vilibus utantur indumentis, formâ colore omninò à veſtibus modernorum alienâ: cui quidem rudi induendi modo uſque adeo adhærent, ut peccatum lethale alium in veſtimentis judicent inceſſum. Cæterùm ornantur ob excellentiam tantum ſolemnitatis annuæ, ſicque per templum ad ignis ſoliſque honorem in gyro ſaltant, ſonant, cantant, manibus plaudunt, omniq; modô tripudiant. Sed & hoc feſtivitatis tempore inter alia lætitiæ gratiâ perpetrari,ſeu obſervari ſolita,complurima coquæ tingunt diverſis coloribus ova, quæ ad invicem amicabiter diſtribuunt. Iſthæc autem ſolennitas per octiduum durare ſolet.

De eorundem idiomate, & loquendi modô multa dicenda forent, quæ mei eſſe inſtituti pro nunc non duxi; illud notum eſto, antiquos hoſce Perſas diverſis uti caracteribus in ſcripturis ſuis, â caracteribus Perſarum modernorum, quippe quod hi caracteres forment Arabicos. Cæterum ipſummet vetero-Perſarum

rum

rum idioma, adeo alienum eſt ab idiomate modernorum, ut hi illos vel planè non, aut vix in minimis intelligant.

Sed & antiqui hi Perſæ nonnullam habent de ſacris ſcripturis noſtris cognitionem, atque de Evangelio, quamvis malè ſanam; ut curioſitatis causâ, quendam à me cum uno eorundem, diſcurſum habitum placeat recenſere.

Majori, ſingulariorique mihi quidam eorum maximus Legiſperitus afficiebatur amicitiâ & affectu; qui mihi miſerabili de ſuorum antiquorum Perſarum perſecutione à modernis eiſdem inflictâ conqueſtus, inter alia Regni ſui, Imperijque priſtini deperditionem hôc modô recenſuit. "Fuit, amice, noſtratum in-
"curiâ, non obſervantium de illo crucis ligno Chriſtianorum,
"quod ſi hoc ab ijſdem ad manus Romanorum non ceſſiſſet,
"Regnum noſtrum deperditum neutiquam eſſet. Habuit namq;
"noſtrorum Magia, Regiſque proſperitas illis in temporibus,
"mirabilem quandam, & occultam connexionem cum pecu-
"liari illa naturalique efficaciâ magicâ ejuſdem ligni, ita ut per-
"ditô hoc, deperdita ſit pariter Regis proſperitas, noſtrorumq;
"virtus & efficaciaMagorum; uti experientiâ à perditione ligni
"illius edocemur. Jam nos patientiâ ali oportet, genuinos li-
"cet, aſt miſeros Perſas; revertentur autem, quæ fuêre noſtra.
"Etenim (inquiebat) lignum illud, quod ut plurimùm in par-
"tes multas diviſum, à diverſis præſentis temporis Mundi po-
"tentibus, veſtris præcipuè Chriſtianis, modernis imo & Perſis
"noſtris, atque ipſiſmet Turcis (nam & hos, utpote potentes
"Regnorum domitores, ſalutiferum crucis lignum æſtimare,
"amare imò, & colere arbitrabatur ſimplex ille ignium cultor)
"maximô quidem aſſervatur in honore; tandem, cùm de cor-
"ruptibilium ſorte ſit, corrumpetur, perdeturq; virtus ejuſdem
"Magica, nunc in tantum apud Chriſtianos, & Turcas (quos
"ille,

"ille, ut ſupra dixi, crucem arbitrabatur venerari) exaltata;
"tumque redibit priſtinus Regni noſtri vigor.

Hæc & plura his ſimilia ab antiquis ſuis anteceſſoribus Perſis doctrinali hauſiſſe traditione, aſſerebat, hancque ſibi à Majoribus ſuis deperditi ſuorum imperij datam inquiebat rationem principalem; "ſed & ad ſuæ opinionis confirmationem aſſe-
"rebat, per illud lignum, Magicæque ejuſdem virtutis expe-
"rientiam, cauſatam eſſe Conſtantini Magni ad Chriſti fidem
"converſionem.

Ego verò pro juſtiſſima DEI veritate, atque incolumitate fidei Chriſtianæ, adversùm ſuperſtitioſa hujuſcemodi ſomnia, correxi maledicta, condolendo comprimis, quòd habitâ de ſalvifica Chriſti cruce notitiâ, pleniùs eandem, & Salvatorem rerum omnium dominum exinde triumphantem non ſuſcipiant, neque agnoſcant: oſtendendo dein, perditionem regni tam ſplendidi ex duritie cordis Majorum ſuorum eveniſſe, quâ ijdem contra ſanctiſſimam Chriſti legem, toties jam in Perſide feliciter ſeminatam, nec minùs crebrô illuſtrium miraculorum numero ad oculos mortalium confirmatam, durâ reſtiterint cervice, ferinâ rabie occidendo Chriſti oves, & ex campis Elyſijs Evangelicam jam fragrantibus veritatem, immanem denuò fecerint non niſi manantem innocentum ſanguine carnificinam. Talia porrò & conſimilia plura mihi eidem, ſuiſque commilitonibus circumſtantibus ad faciem edicenti, lubentes illi, avidaſq; præbuere aures, adijcientes ipſimet ultrò, "toto ſeſe fervore
"ac animô acceptaturos Chriſtianam hanc Religionem, ſi mo-
"dernorum non uſque adeo in ſe graſſaretur perſecutio Perſa-
"rum, qui (inquiebant) potiùs nos volunt habere ad ſuam,
"quàm ad aliam patiantur tranſgredi fidem. Quod & verum eſſe compertus ſum. Cæterùm non obſtante, quod moderni Perſæ ſuæ antiquos illos cupiant adhærere fidei, non agunt cum

F ijſdem,

ijſdem, quô magis ad ſe trahant, ſed omni tyrannicâ feritate arcent, cogendo eoſdem ad majora etiam tributa, ac Chriſtianos: neque ad ullum eoſdem ſervitium, ſeu miniſterium honorificum admittunt, ſolumque humiles concedunt ijſdem exercere artes pro vitæ ſuſtentatione, ut hortos & agros colere, lateres conficere coctos & incoctos, baiulare onera mercatorum, & ſimilia abjecta. Sed & in his tamen afflictio dat intellectum, ut diu noctuque ſeduli oneratis hujuſcemodi inſudent laboribus, ne populus eorum funditus extirpetur.

Libeat hic ultra percipere quædam de ridiculis pluribus eorundem ſuperſtitionibus, obſervationibuſque, quarum haud parùm mirabilis illa videtur, quam circa mortuorum ſepulturam habere ſolent. Enimverò cum eorundem quiſpiam vitâ cedit, non illicò eum ſepeliunt, ſed experiri antea conantur, inferno ne, quem locum ſubterraneum humidum fœtidumque, venenatiſque animantibus in damnatorum ultroneam atque continuam vexationem & torturam repletum arbitrantur; an magis Paradyſo, quem ſphœram ſolis intuitivè omni in claritate videndi ominantur, dignus ſit. Hanc porrò ad habendam experientiam ſic rem aggrediuntur. Portant namque extra vicum vel civitatem mortui cadaver ad campũ patulum, collocantes illud in colle parvulo, aut loco quodam ſublimiori: portitores verò cum ſacerdote, cæteriſq; funus ſociantibus, ad viæ ſpacium recedunt, abſcondentes ſe in cavea vel foſsâ, aut ſubtùs arbore quadam diſtante, ubi & per decurſum unius horæ ſedulò obſervant, volitetne avis quæpiam rapax ad cadaver illud; præcipuè verò corvos animadvertunt, hoc enim avium genus ſymbolum eſſe ſentiunt diaboli ipſorum. Quod ſi hujuſcemodi aves, aut corvi ad cadaver non accedant, protinùs judicat ſacerdos ipſum in innocentiâ mortuum, & ſole dignum: unde omnes hilares revertuntur, ſacerdos verò parentibus & conſangui-

neis

neis defuncti, acceptâ prius bonâ mercede ab ijsdem, gaudiosè statum illius denunciat; monetque, ut securô confidentique animô quantociùs humo tradant corpus filij, aut amici sui, quippe, quòd propter opera sua bona, malæ bestiæ eundem aggredi non sint ausæ, quique proinde rectâ ad solem pergat viâ.

Lamentabimur nonnè malè sanam vestram ô perditi opinionem. Lamentabimur nonne Christiani superstitiones atque phantasticas observationes vestras, qui dæmonis symbolum corvum arbitramini non nisi mortuorum pascendum exuvijs? cum verò in cœlis sit ille, *per quem nec ales esurit.* *(a) Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad DEUM, vagantes, eo, quod non habeant cibos?* Nunquid non mortuis vestris pasti deficient? *(b) Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & DEUS pascit illos.* Tantum verò abest, corvos dæmonum esse symbola atque ministros, devorandis damnatorum exuvijs deputatos; ut DEI Deorum Domini quandoq; sint in obsequia, & ad electorum servitia destinati, quos alant dum vivunt, ut Eliam illum Thesbitem, cui altissimi mandato *(c) deferebant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi.* Quosve custodiant & protegant, dum etiam corporibus jacent emortui; cujus vel unum pro pluribus ex Ecclesiasticis notum esto Historijs, inclyto illo de Martyre Vincentio, *(d) cujus corpus, cùm projectum esset inhumatum, corvus & à volucribus, & à lupo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit.*

Sed irrationabili cæcitate hujuscemodi ultra hærent phantasijs memorati Persæ antiquiores, ut & per tres dies, manè & serò, ultro portent ad comedendum atque bibendum mortuo suo, collocantes potum & esculenta ad latera sepulchri, hâc intentione, quoniam fortassis ille, nondùm à sole obtinuerit audientiam,

(a) *Job. 38.* (b) *Luc. 12.* (c) *3. Reg. 17.* (d) *Ex vit.*

dientiam, quæ tamen juxta ſuperſtitioſos eorum Legiſperitos in ſpacio trium dierum fieri debet. Sic ergò per triduum ſuo ſepulto deſerviunt cum cibo & potu, ne ille forſan eo temporis patiatur famem atque ſitim, die verò tertiô inſanâ eorum fide certò admittendus ad ſolis ſphœram, omnia ibi inventurus bona ſibi parata, nullo ultro ab amicis ſubſidio indigebit. Cùm interim nec in triduo illo expoſita, delataque ſibi eſculenta & pocula delibet mortuus; ſed aves, canes, imò & pauperes modernorum Perſarum clam ea ſuffurantur, ijſdem victitant, animæ verò defuncti maledicunt.

Sic porrò etiam ſuis in ſuperſtitionibus admixta habent de mortuorum reſurrectione, alterâ vitâ, & majori poſt hanc vitam beatitatis plenitudine ſomnia infelices hi ſolis & ignium cultores: imò & ipſam beatitudinis energiam crudè quodammodo ſomniare creduntur, dum ſuam poſt hanc vitam beatitudinem, intuitivam credunt ſolis viſionem. Imò verò ô cæci DEUM ſolem intuitivè videretis divinitate ſummâ perpetuò reſplendem, ſi dum vivitis, Chriſtum ſolem juſtitiæ, olim in libra ſtantem, & æqua lance univerſos juxta fidem ſanctam aut iniquam, merita aut demerita judicaturum, agnoſceretis & veneraremini; tanto exhinc beatiores, quanto illinc veſtri certiores interitus atque damnationis.

Sed & obſervant, ſi volatilia illa rapacia ſive corvi lædant, tangantve aliquam illius cadaveris partem, oculum præcipuè ſiniſtrum. Tunc proinde infert ſacerdos ſeu Pſeudomyſtes eorum, defunctum nec ſolis pro nunc aſpectu eſſe dignum, ſed neque de obſcurris terræ cavernis infernalibus meritum; unde cùm judicet illum nec totaliter tunc purum, nec totaliter maculatum, debebit aliquanto tempore in frigida aëris, aliquanto verò in ignis ſphœra perdurare, donec per bona opera parentum

tum & amicorum totaliter purgatus admittatur ad ſolis ſphœram clariſſimam. Iſtâ itaque intentione mortuum ſepeliunt ſuum.

Hæc autem ipſa licet ſuperſtitio ridiculoſa, ad erubeſcentiam tamen & ruborem colaphizat effrontem noſtri temporis hæreticorum pertinaciam, & cæca opinio gentilium, cæcam confundit perfidiam eorum, qui tametſi beatitudinem ſperent, infernum timeant, medium tamen his expiationis locum negant, mortuiſque ſuffragia ulla prodeſſe abjurant.

Porrò ſi volatilia illa tangant, lædantque oculos ambos, infert ſacerdos mortuum ſolis viſione penitùs indignum, eo quod cæcitatem operum ejus illa ſic oculos vellicantia jam indicaverint volatilia; unde non paradyſo ſuo, ſeu ſolis ſphœræ, ſed viſceribus terræ infernalibus adjudicant illum, quâ & intentione miſerum eundem ſepeliunt. Sed nunquid veſtrum eſt miſeri, judicare de mortuis? Si corvo creditis, aliud ei credere debetis. Hic namque ab antiquitate Phœbo ſeu ſoli ſacer erat, ob varia quæ tum voce, tum volatu edit præſagia: volatu quidem celeritatem ejus indicas, voce verò, quæ *cras* eſt, craſtinum adhuc hodie ſolis ortum denunciat? Ab illo ergo ediſcite hodie, oriturum in illa die Solem Juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, atque hic perſpicaciſſimis oculis ſuis judicabit vivos & mortuos.

Plura ſunt cæterùm, quæ quantùm pro ſua ſuperſtitione pertinaciter, tantùm pro hominis ſanâ ratione utentis animadvertentiâ ridiculosè obſervat populus iſte antiquo-Perſa. Singulari namque hoſtilitate, & corvos, & ranas perſequuntur. Illos diaboli ſigniferos, ut dixi, inſuperque inferni tubicines nominant; ranas verò damnatorum inquiunt cantatrices. Unde ridiculoſi hi vetero-Perſæ duo hæc animantium genera pati nequeunt, ſed indies ſtagna, paludes, rivuloſque aquarum, ut ipſe oculatus videram, ijdemque mihi hanc ſuam devotionem ore-

tenus fatebantur, circumeunt, taliterque ijſdem inſidiantur occidendis, ut quiſquis eorum plures occiderit ranas, majus ſe putet ſacrificium exhibere ſoli. Quare & majoris devotionis, (licet nulla ſit) causâ, quotidiano manè, priùs ac quodpiam aggrediantur opus, offerunt pretioſum hujuſcemodi ranarum ſacrificium. Proh fatuos vos egenâ in miſeria Perſas! Proh, quam ſtultè ſacrificia ludicra æmulamini! Noſcite tandem omnis gratiæ Chriſtianorum DEUM humiliantem vos ob duritiam cordis veſtri, exaltantem verò humiles & rejectos vobis ſuæ legis Apoſtolos, humilemq; eorundem ſucceſſionem, jam toto in orbe terrarum ſublimi uſque adeò Majeſtate, & venerationis cultu triumphantem. Quo ſapientia veſtra olim toties oraculô habita? jam nugis tripudiat, & contra rationem ſuperſtitionibus gloriatur. Quid jam quærimini veſtri alienationem Regni? jam dum Regem Regum, dominumque dominantium DEUM deſeruiſtis, tyranni duriores dominantur vobis.

Qui verò ſordidi ſunt, ſordeſcunt adhuc, pluribuſque inſanarum ſectarum lacubus ſe ſe volutant miſerrimi quidam Perſarum populi. Tibi namque Lector amice ad horrorem pauca ſupradictis quæpiam ſuperaddam. Populi quippe ſunt quidam, Manichææ reliquias Perfidiæ non collô quidem, ſed animô gerentes. Admittunt hi Deorum duos; quorum unum bonum, bonorum omnium Authorem: alterum malum mala omnia perpetrantem eſſe ſentiunt. Dæmoni proinde tametſi extremis vitæ periclitati, neutiquam maledicunt, ſed & ob hanc (ô Martyres dæmoniacos) cauſam, Martyrium quoque à modernorū ſuſtinent manibus Perſarum: ſtultæ porrò pertinaciæ ſuæ rationem aſſignantes, dicendo: Diabolus, ſcietur utique, princeps olim ſupremorum Mundi ſpirituum erat Angelorum; nunc verò in pœnam delicti, DEI patitur indignationem: tandemq; olim reconciliatus cum eo, priſtinam ſortiturus eſt gratiam

atque

atque honorem. Cujus sanè eventus timore, rectâ nos dæmonem prævenimus honore, ne nobis ille obviet cum rancore. Atque adeò hi dæmonum Theologi nefandiora quælibet sectantur dogmata, & horrendissimis Dictatorem suum insequuntur operibus, uti ex referendis constabit.

Sunt inter hos, qui præ alijs horribile magis & detestabile committunt crimen, vix calamo committendum, aut memoriæ meæ refricandum, quod tamen in hujuscemodi detestationem perfidiæ, Christianæque puritatis à contrario intuendum splendorem recensere non omittam. Solennitatem igitur hi annuam observant quandam, quâ tempore nocturnô tam mares quàm fœminæ cum uno suorum Sacerdotum, qui ut plurimùm cæteris iniquiores Magistri sunt discipulis, confluunt in unam domum, edentes, atque bibentes ad excessum, cantantes insuper inibi atque saltantes, & omni demùm tripudio se se effundentes. Sed nondum hic iniquitatis finis, quin ad detestabiles spurcitias pluribus alijs, de quibus passim Historici, sectis usitatas deveniant. Expletis etenim epulis, atque saltibus Pestifer Averno-Mystes & execrandæ legis Doctor, sententiam quandam, solorum dæmonum auribus dignam pronunciat, lucernamque in medio positam extinguit. Cùm illicò hocce diaboli in terris antesignano, audent omnes unà congregati, quod neque in averno audebunt, commisceri, & coinquinari passim ad invicem, non discernentes pater filiam, & filia patrem, mater filium, & filius matrem, non judicantes de sorore frater, aut de fratre soror; in discriminatim demũ affines, cognati, & consanguinei omnes, belluarum ratione carentium more commixti ligantur incestibus, quilibet vel consanguineam, vel rapiens alienam.

Interim de hoc & oculis & ratione cæci non curant, & qui forsan humanâ & naturali erubescentiâ tanta facere, verecundarentur,

darentur, audent extinctô lumine, & gaudent vel à complice non videri. In hujus ergo facinoris convicium, à modernis Persis Cirac Cusc, id est, luminum seu lucernarum extinctores nominantur; suntque perpetuo eorundem odio & persecutioni expositi; quin ab ijsdem totâ ferè Perside jam expulsi, modoque vix commorantes eos Jezit vocant, id est, infideles, execrabiles, & detestabiles scelere.

Cæterùm & perfidiæ hujus sectatores, vicinô dæmonibus amore illis se se pares ostendunt, aliâ quadam enormi perfidiâ, quam Christi horreat Religionis assecla. Amant namque maximopere canes nigros, istudque animalis genus quasi adorant; ita, ut de comestibilibus sibi paratis, omnia priùs hujuscemodi offerant cani, veluti ciborum suorum ab eo benedictionem capturi, de quibus proinde priusquam ipse comedat, abstinent & illi. Quid verò humanæ magis videatur detestabile rationi. Verùm ultra; cùm moritur canis hujusmodi, maximo inhumant cum honore, funebrique per septem dies funguntur ritu, manè indies & serò pro anima ejusdem convivia instituentes.

Modus autem induendi sectatorum perfidiæ hujus talis est: induuntur, idque pro devotione, ut dicunt, suâ, nigro amictu à capite usque ad calceos, eoque ex grassiori, quam obtinere possunt materiâ. Cujuscemodi etiam colorem in signum se se portare asserunt protestativum honoris dæmoni debiti; & memorativum coloris illius luctuosi, quem defacto Lucifer in suo indignationis statu, à bono DEO rejectus gestat, cui proinde ipsi vestibus se se similes exhibere volunt. Sed neque hoc mirum, quippe cum & operibus sathanam sequantur: & vel ideo à Persis atque Turcis, Sceitani, seu diabolici homines soleant appellari.

Ipsi porrò malesani, malesanam Machometi Religionem extremô persequuntur odiô, non ita verò Christianam. Vinum sequun-

ſequuntur, & porcinis epulantur, neque circumcidi ſe patiuntur. Eorum (quod mirum eſt) mulieres, cùm farinam pani coquendo aptant, prius eandem cruce ſignant, ut DEUS bonus concedat augmentum, malus verò DEUS illi non accedat. Quô ſanè intentô niſi malum ſathanam DEUM haberent, aut formidarent, Chriſtianorum forent æmulatores.

Cùm denique hi ſuos ſepeliunt mortuos, nullum triſtitiæ oſtendunt ſignum, undique ſonantes, cantantes, atque ſaltantes; ſicque cadaver deferunt ad ſepulchrum: quod ubi inhumaverint, ſupra ſepulcrum reſidentes convivia miſcent, & poculis ingurgitantur; donec continuatô ſonô, cantu, ſaltuque revertantur ad mortui domum, in qua iteratò eſui, potuique ſe ſe dedere non ceſſant. Hæc pariter ſatanica mortuorum ſolenitas per ſeptem dies inter eos continuatur: dicuntque maleſani, ſecuros eſſe ſe ſe de bona mortui cuſtodia, optimaque ejuſdem protectione, quippe jam collocati in manibus diaboli, qui tandem ad boni Dei Regnum præſtita reconciliatione revocatus, deducet ſecum mortuos ſuos ad Paradyſum, ibidem omnes in æternum victuros. Heu mortalium amentiam!

ARTICULUS QUINTUS.

De Modernorum Origine & progreſſu Perſarum; nec non de primo eorundem Rege.

POſtquam de corrupto & miſerrimo Vetero-Perſarum ſtatu pauca diximus, quæpiam de modernorum origine, progreſſu, primoq; eorundem Rege dicenda ſunt.

Gens igitur hæc Perſarum modernorum, tam Armenis, quam modernis ipſorummet Hiſtoricis cenſetur orta à Parthorum populis, qui vi armorum Saracenos aut Arabes, jam in Perſide regnantes expulerunt; cæterum hi peſtem illam Machumeticæ Re-

ligionis, quâ terra plurima per memoratos malignos possessores infecta erat, non abegere totaliter: quin imò & ipsi eadem infecti erant per venerabilem (uti eum censebant) quendam Patremfamilias, Arabumq; seniorem, nomine Sciech Sephi, qui tunc unici viri respectu habitus erat in Perside; tum propter zelosam suam solitariamq; vitam, tum propter innumeras quas possidebat, opes, atq; divitias; tum deniq;, quod progenie Hali Mahumeti patruelis erat, cujus tam sectam, quam magicam artem in profundo cordis gerebat, oportunam semper præstolatus, ut sibi nancisceretur occasionem patefaciendi, propalandiquè dogma, & fidem suam, seu magis perfidiam. Atq; hanc tandem præter spem sufficienter nactus erat per Parthos, qui eundem unâ voce atq; calculo, communiq; omnium consensu Regem sibimet acclamârunt, constitueruntq;.

Hic igitur Sciech Sephi, factus Sciach Sephi, seu ex Arabum seniore, Rex Persarum, felici armorum executione atq; progressu primordium Regni sui confirmare cepit, ejusdemque fortunatò terminos dilatare. Sed & semen Sectæ suæ dudum toties præmeditatæ, contra grassantem tunc etiam perfidiam Omar, Osman, & Abubechir jugi fervore spargere nõ omittebat. Atq; inde nedum ut Rex potens apud eosdem in veneratione erat atq; timore; verùm etiam tanquam eorundem Propheta, Apostolus, fidei legislator, & Mystes ab ijsdem habebatur, devotione, fide, & fervore usq; adeo constante, ut posteri eorum ad hodiernum etiam diem simili mentis captivatione & servitute Regibus subdantur sujs.

Hos porrò nulli subiacere asserunt legi, sed omne ab eo dictum, factumuè sanctum est quoad se, & virtuosum, tametsi (inquiunt) quoad nos, qui legi subjacemus, peccaminosum sit, atq; defectuosum. Atq; hoc quidem in singulare privilegium,

gium, & Sanctitatis excellentiam Regum familiæ aut ſtatui adſcribunt; ut & in proverbium Perſicum ducant;

Her heib chi Sultan bipeſndet huner eſt.

Omnis defectus, quem Rex exiſtimat, virtus eſt.

Unde pariter ortum, quod Turcæ, tametſi in contemptum, Perſarum Regem Sciech Oghli appellent, id eſt, filium ſenioris, aut Anteſignani alicujus: habito videlicet ad originem modernorum Regum reſpectu, tractam primum â memorato Sciech Sephi Arabum Seniore.

Cæterùm iſte Sciech Sephi & Sciach Sephi Victorijs jam utriuſque campi, regionis videlicet, & religionis inclytus affinitatem contraxit cum Medorum Rege nomine Uzun Haſan, qui in Mediæ Metropolitana Taurez reſidebat. Hujus enim filiam in uxorem ſumpſerat ſuo Nepoti Giuneid, cujus tandem filius nomine Iſmaël armis occupaverat regnum avi ſui præfati Uzun Haſan, licet multas perſecutiones & bella perpeſſus, ab altero quodam nepote ex parte filij prædicti Uzun Haſan nomine Haidar. Et ille quidem præfatus Iſmaël totam penè Meſopotamiam â Turcis occupavit. Sic porrò Sciech Sephi ſupradictus, per ſe, per Nepotem ſuum Giuneid, & pronepotem Iſmaël abſolutum habuit totius Perſidis ſceptrum, in Parthos, Medos, atq; Hircanos. Atque inde cepit, firmatumque fuit modernorum Perſarum regnum, eorumq; religio introducta, quæ uſque ad præſens perdurat tempus.

Jam verò animadverſione dignum, hanc ipſam modernorum Perſarum Gentem in duas quaſi ſubdividi. Prima eſt eorum, qui Ghizilbaſc vocantur, id eſt, rubrum, aut aureum (ut ipſi Perſæ volunt) caput habentes. Hoc porro nomen huic populo ortum fuiſſe perhibetur â Perſis, ex quodam Pſeudomiraculo, aut viſione, quam habuiſſe ſuum Sciech Sephi recen-

 ſent.

ſent. Unâ etenim noctte, inquiunt, eum vidiſſe Spiritum, vel Angelum quendam, è cœlo deſcendentem, auguſtiſſimum manibus Diadema geſtantem, illudq; precioſis circumcirca adornatum lapidibus duodecim, biſſenos figurantibus ſanctos ex generatione Hali procedentes, binos videlicet ejuſdem filios, cæteroſque nepotes & pronepotes, quos Himam appellant. In medio autem ſupremitatis ejuſdem Diadematis protendebatur quidpiam aurô formatum in formam ſceptri tanquam ſignum conteſtativum dominij Hali. In poſteriori demum diadematis parte duæ erant fibriæ aurô textæ, eo, quo inter Chriſtianos modô è poſteriori parte Mythræ Epiſcopalis, propendentes, quarum una ipſum Sciech Sephi tanquam progenitum ex Hali familia deſcendentem, altera verò populum illum armis tunc illi, ad exaltandum dominium, religionemque Hali fideliſſimè cooperatum indicabat. Unde & majoris notitiæ causâ figuram ſeu conſtructionem Diadematis hujus avido Lectori viſendum exhibui in capite Mareſchalli Aulici ſtantis ad latus dextrum theatri, cujus delineationem in libri fronte poſui.

Memoratum ergò Angelum, Perſæ dicunt, dum Regi in viſione compareret, ita eundem eſſe allocutum. Summe nunc tibi Sephi diadema hoc myſterioſum, tuoque illud vertici glorioſus ſuperimpone, quippe tibi â DEO per me miſſum ad Hali interceſſionem, cujus tu nomen & dominium exaltaſti, ejuſdem tete aſſeclam zelo, ſinceritateque omni, & animi puritate commonſtrans. Non ergò ultra Sciech Sephi vocaberis tantum, & Sciach Sephi, ſed & Sophi, iſt eſt, purus, & ſincerus ſequax. Sed neq; tu ſolus, quin & omnes poſteri tui, atque omnis demùm populus illâ in exaltatione, & fidei Hali propagatione uſque adeo fideliter tibi cooperatus hocce diademate inſignes procedetis, & dignè Sophi omnes appellabimini.

Iſta igitur Perſarum Gens Ghizilbaſc dicitur, portans ut infra

infra mox dicam, memoratam coronam in ſignum fidelitatis primo Regi ſuo Sciach Sephi pro regno & Religione præſtitæ, unde & multos ſortiuntur honores, & digniores præ cæteris reſpectus, gloriantes vel maximè illo in Diademate, quippe prodigiosè per viſionem ſupradictam, ut credunt, atque adeo cælitùs ſibi deſtinatô, indeq; Sophi nomine præ reliquis efferuntur. Hujuſce porrò Gentis primas ipſe eſt Rex Perſarum, vel ideo cognominatus Sophi Avel, ſeu primus purus ſequax, ſinceruſque ſectator & defenſor fidei Hali. Hunc ſequuntur Satrapæ omnes, Vice Reges, Duces, Principes, omneſque Inclyti Perſarum, Parthorum, atq; Medorum, totaque demum eorundem militia.

Cæterùm Perſarum Rex illô tantùm Diademate utitur cùm in Regem coronatur, de reliquo non comparens cum illo, majoribus præterquam ſolennitatibus; in quibus & utuntur his Proceres eorum. Singulariter autem cum ad munus quoddam altius evehuntur, precioſiſſimis pro ſtatu atque opulentia ſuâ indumentis, illoq; in Diademate comparere coram Rege ſolent, tum & dexterum illi oſculantur pedem in conteſtationem ſinceritatis animi ſui, & fideliſſimæ in Regis familiam ſervitutis, debitiſſimamq; gratiarum repenſionem pro beneficio ſibi Regali munificentiâ collato.

Omnes item Perſarum Milites Equeſtres hujuſmodi utuntur Diademate, magis minuſvè ſplendidô, juxta majus minuſvè poſſe ſtatûs atq; opulentiæ ſuæ, ſervatâ tamen in omnibus eadem formâ, quâ Rex, ſuiq; utuntur Magnates. Porrò diadema hoc continuo non apponunt: quilibet tamen pro conditione ſuâ, ut dictum, condecenter in domo ſuâ paratum habere tenetur unum hujuſcemodi Teg: ſic enim diadema illud Perſicè vocatur.

Omnes autem id aſſumunt, cùm generalem Rex convo-

cationem indicit,militares lustraturus copias & exercitus suos, quod omni quidem triennio facere solet,ut alibi dicemus. Pariformiter eodem Teg capite induuntur ipso in Belli principio cum ad campum progredi solent, Rex quidem ipse, omnesque ejus Proceres, & Vniversi demum milites, hoc suô diademate ostendendo contestandoque purum suum, fidelem atq; sincerum pugnandi animum pro Rege pariter atq; religione. Cùm verò conflictui approximant, deponunt, cassidesq; loricasque induti, non nunquam etiam cataphracti, aut aliunde benè provisi adversùm hostes congrediuntur, suô, ut alibi dicemus, pugnandi modô expertes & bellicosi.

Porrò & sunt aliqui, qui quasi semper illô Teg capite superinduti procedunt, dicunturq; Sophi: vulgares tamen sunt, & diadema illud vulgari modô gestant sine precio, aut ornatu. Hi quidem die noctuque orare habent, pro Rege ut primo Sophi, & defensore illius coronæ. Commorantur in domibus Magnatum totius regni, qui quidem Magnates pro statu vel conditione suâ, plures vel pauciores illorum Sophi vulgarium sustinent. Sed & in ipsiusmet Regis domo tercentum & ultra Regijs expensis victitant, absque tamen uxore, sicut & vino alijsq; Machometanâ lege cautis abstemij. Suntque verbo (ut ita dicere ausim) hi quasi Persarum religiosi, prout & sub peculiaris sibi deputati Rectoris gubernio vivunt. Debent verò hi, ut hujusmodi Sophi sint & nominentur,nedum legis zelo, & vitæ probitate esse insignes; verùm & fuisse in Sacratioribus quibusdam Arabiæ, & Persidis locis, illaque pro devotione suâ visitasse, cujusmodi sunt, Civitas Meche, ubi exuvias Machumeti sui colunt jacentes, quæ quidem Civitas maximum patitur omnium Machometanorum confluxum undecunq; adventantium: Persis verò per Turciam, vel Arabiam Felicem securior est via. Item Vallis Kerbela propè Babylonem, ubi ossa filio-

filiorum Hali, Hasan & Husain deposita colunt, magno numero singulis huc confluentes annis. Civitas præterea Mesced in Chorasan versus Scythas, ubi corpus Himan Reza Pronepotis Hali sepultum venerantur, qui quidem locus, & Scythis & Indis sacer etiam est. Demum Civitas Ardevil, ubi Sciech Sephi olim residentiam collocaverat suam, ubique & hodiernum in diem sepultus jacet. Hæc igitur quatuor loca, aut aliqua illorum ut diximus, visitasse debent ij, qui gratijs & privilegijs, quibus Sophi fruuntur, frui desiderant, oportetque eosdem magnâ clarere vitæ probitate, nec non diadema seu Teg suum, ut vocant, semper in capite gestare. Cæterùm hujusmodi coronâ insigniri, ijsdemq; solenniter uti, non omnibus passim concedi solet, sed solô propriorum meritorum, virtutisque titulô, aut Parentum intuitu, qui armis multam in Regem contestati sunt fidelitatem. Et hæc est subdivisa illa Persarum Gens Ghizilbasc, qui ut nobiles aut Equites eorundem haberi usque hodie consuevere.

Secunda porrò Gens est illa, quæ Tat cognominatur. Atque hoc quidem vocabulum propriè denotat gentem rudem, effæminatam, armisque ineptam: unde & hoc convicij causâ, sicut & illô Vocabulô Felah Turcæ compellant Arabes. Persæ cæterum ob honorem Pontificum suorum, Judicum, Cancellariorum, Doctorum, Secretariorum, Scribarum, aliorumque re literariâ, artibusq; pollentium, qui omnes sunt de hac Gente Tat, non utuntur hôc vocabulô in convicium, sed accomodâ significatione humanius per illud intelligunt Gentem nobilem, teneram, prudentem, atq; virtuosam, licet inermem; quod in re veritatem obtinet. Atque hanc Gentem suam trahere originem dicunt ab antiquâ illa, de qua in Articulis præcedentibus mentionem fecimus, Persarum Gente, quæ cùm sub Saracenorum Arabumque dominio, in eorundem Gentem

quoad

quoad mores fidemq; tranſierit, uſque hodie Tat appellatur. Dicitur autem & hæc Sophi, quippe quod calamô atq; ingeniô conſilioque ſincerè fideliterq; Regi deſerviat & Religioni. Minimè verò gaudet nomine Ghizilbaſc ſingulariter ſumpta; tametſi ſi utraq; Gens iſta ſic ſimul ſumatur, prout ex his tota completur Perſarum Gens modernorum, Ghizilbaſc apud ipſoſmet nominetur: ſecùs apud Turcas: hi namque præfato nomine raró dignantur Perſarum Gentem, ſed communi ſolùm nomine Agem vocant, prout & Arabes ſic tantùm eandem nominant.

Hæc denique modernorum Perſarum Gens antonomaſticè compellatur Sciahi Seven, puta, Gens amans Regem ſuum, ſed & in libris atq; ſcriptis Fars dicitur, ſeu ſapiens, ſicut illa antiqua. Ut non immeritò hic advertenda ſit hallucinatio recentiorum quorundam Hiſtoricorum de modernis Perſis diſſerentium; videntur namque hujuſce Gentis nomen aut ignorare, aut pleniùs non intelligere vel explicare, dum ſcilicet eandem Sophi appellantes, neſcio quâ eruditione aut interpretatione, in quiunt idem eſſe, ac Gentem dicere ſapientem; cùm potiùs hoc vocabulum Sophi, quod provenit â nomine Saf, ſit adjectivum aliud quidpiam ſignificans, ſcilicet puram, ſinceram gentem: neq; tribuitur Perſis, ut nomen Gentile, aut nationale, ſed in ſingulare maximæ in Regem atq; fidem ſinceritatis atque fidelitatis encomium. Ut proinde nomen Sophi juxta recentiorum quorundam explicationem intellectum, nihil ſit aut ſignificet apud Perſas, niſi fortaſſis apud Græcos.

Tandem animadverſione dignum ultra occurrit Lectori circa modernæ Perſarum Gentis conſtitutionem: hæc namq; Gens ampliſſima ſub ſe etiã habet plus quàm quadraginta Tribus, qui eſſe ſupponuntur illâ de Gente Turcicâ, quæ ex partibus montis Caucaſi deveniens unà cum Scythis atque Parthis coope-

cooperata eſt ſupramemorato Sciech Sephi ad recuperationem Regni Perſici â Saracenis. Unde Turcicô idiomate Hel vocantur, id eſt, Tribus.

Ex his autem tribubus una eſt alterâ numeroſior, vel populô minor; aliqua tamen uſq; adeo Perſonarum numerô excedit, ut ultra viginti mille habeat ſub ſe domos. Cæterùm tribus hujuſmodi non congregatæ in civitatibus, ſed ſparſim & promiſcuè in regno reperiuntur diſtributæ, in quibuſdam ſcilicet pagis, quos Kiſclac vocant, quod idem ſonat, ac habitatio Hyemalis. Solent namque hic â Menſe Octobri uſq; ad Majum habitare: tùm verò proficiſcentes ad amæniſſimos montes, per trium etiam, quatuorve dierum itinera diſtantes, inibi paſcua inquirunt gregibus ſuis, ipſique ſub tentorijs commorantur vocantque habitationem hanc montanam Jailac, id eſt locum paſcuarum. Unde & abundanter Civitatibus univerſis omnis ſubminiſtrant generis carnicinia pariter & lacticinia. Sed & mulieres ex his ſuô aluntur labore, texendo tapetes inter Perſas frequentes & uſitatos: viri autem fermè omnes milites quoque Regis ſunt, omnique proinde contributione immunes, cui cæteroquin cives ac ruſtici totius Perſidis ſubiacere debent.

Ex his igitur potentiſſimus Perſarum Rex neceſſitate adactus ingentem ſubito conducere valet exercitum; illa imò militia, quæ Corci, ſeu regni cuſtos Perſis dicitur, tota veluti ex electioribus hujuſmodi tribuum congregata eſt viris. Generoſiſſimos porrò ſingulari arte atq; ſedulitate nutriunt equos, prout & illi inter Perſas æſtimatiſſimi equi, quos Turchmen vocant, apud eoſdem reperiuntur.

Ut ſanè non inaniter Perſæ moderni ingenioſâ politicâ tribus haſce ſparſim inſertas regno habeant ſuo, nempe quas veluti venas arbitrantur, unde ſibi vita & omne commodum promanat. Aſt neque ſolos inter Perſas, ſed & apud Turcas ex

his tribubus inveniuntur non pauci, ducti ab ijſdem captivi cùm â Perſis Meſopotamiam accepiſſent: veruntamen & hi, alienô quantumvis ſub jugo, ſuam in regnum & regem Perſarum retinent ſincerum devotumq; per omnia animum, ut vel inde adhuc Sciachi Seven, id eſt, Regis Perſarum amatores vocitentur.

Unum eſt, quod quantùm recens facinore, tantum honeſtiſſimâ inter Perſas redolet laude de tribu Turchman cognominata. Vixerat hæc longâ inter Turcas captivitate, intolerabili ſanè jugô penè oppreſſa; aſt tandem ante novem circiter annos fidô atq; animosô in Regem Perſarum zelô recalcitrare adverſùm hoſce Tyrannos cogitans, plus quam quindecim millia congregavit, pertinaci erectâ cervice in Turcas immanẽ molita eſt, & inflixit cædem, priſtinamq; amatam ſibi dum quæſierat perſidem, non intacta Tyrannorum manibus evanuit, ſed alacres ab ijsdem perpeſſa inſecutiones, aheneô perduraverat marte, arripientibus arma nedum viris, ſed & mulieribus, cæteròquin pugnandi arte non ignaris; adeo, ut illo in conflictu Turcarum ſex Baſci cum magnâ militum copiâ hos perſequentes crudelam perpeſſi ſtragem terram mordere coacti ſint; ſic optatam in libertatem ad Perſidem tandem redeunte illâ Turchman tribu, cujus viros omnes Rex illicò in ſuos fecit milites conſcribi, nec non amæniſſima quæpiam habitationum loca ijs concedens, multis & eoſdem privilegijs evexit.

Hæc de Perſarum origine, totaq; Gente modernâ, & primo ejuſdem rege pro nunc Generaliter dicta ſufficiant. Tum verò ad particulariora deſcendere libet. Quoniam etenim Schah Sophi Rex modernorum primus Perſarum, & Regni eorundem, & religionis commune ab ipſiſmet caput æſtimabatur; ordo poſtulat, ut, poſtquam de Origine hujuſce Gentis, & communi Originatore memoratô diſſervimus rege, tranſeamus tandem

ad

ad ea, quæ religionis ſunt, dicturi poſt hæc plura, quæ regni ſunt, atque ad politicum Gentis hujus pertinent ſtatum.

ARTICULUS SEXTUS.

De fide, Præceptis, modoq́ orandi, & jejunandi Perſarum modernorum.

AD uſque raucedinem jam declamarunt ingentia tot Hiſtoricorum volumina, totumque penè Orientem Machumeticâ infectum perfidiâ conteſtantur, atque adeo neque Perſidem, cæteroquin cultam, & ſapientem, hôc venenô immunem. Unde & hodiernum uſq; diem Perſæ fidem dant Machometo ut Dei Prophetæ, ipſiuſque Generi, & ex fratre Pronepoti, Hali, tanquā Vicario ejuſdē legitimo, atq; duodecim Himam, qui ſunt ex generatione Hali, ſcilicet duo filij, cæterique Nepotes & Pronepotes ejuſdem. Hos porrò Himam vocant, id eſt, Primates, aut Anteſignanos Eccleſiæ Machumetanæ juxta ſectam Hali, atq; adeo, ut legitimos Machumeti Halique venerantur ſucceſſores; quam quidem ſucceſſionem ſuæ remanſiſſe Genti aſſerunt per Sciech Sephi, per quem & in domo Regum ſuorum in omnem ſtabilitam eſſe credunt poſteritatem: unde & Reges ſuos ut legitimos pariter Machumeti Halique ſucceſſores credunt in ſpiritualibus æquè ac temporalibus, tametſi utrumq; deſpoticum eorundem ſit dominium, ut tum ex dictis conſtat, tum ex dicendis ultra conſtabit.

Ex illis porrò duodecim Himam unum, nomine Mehdi, vivum in corpore credunt è terris raptum, locum verò commorationis ejuſdem ignorant. Crediderit hoc forſan & mens Chriſtianâ, aſt eô utique ſenſu, quo veluti Dathan & Abiron ex Dei maledictione terrâ abſorptus ſit, aut curru certè igneô, non ut Elias veri Dei Propheta per Ventorum Turbinem in cœ-

lum,aut Paradyſum, ſed ad Plutonis per averni tenebras delatus ſit Regionem. Illis interim (proh pudor ſanæ menti) in hoc forſan Elias eſt, quod pallium ſuæ poſteris reliquerit nequitiæ, quô uſq; adeo operiuntur, ut ſolem gratiæ in Dei veri agnitionem,ſanctamq; fidem ad magis intima cordis eorum penetrare neutiquam patiantur. Sed & male ſani hunc ſuum Pſeudoprophetam ſceleratum, tandem extemplo ſperant, creduntq; venturum, & miraculis olim in mundo coruſcaturum; Tumque (dicunt illi) ob tantam ſuam miraculorum virtutem atque potentiam, nedum Rex noſter, ſed & alij totius Orbis Monarchæ, Reges, atque Principes eidem aſſentientur. Quod ſi malè ſani perfidum hoc cæcô præſagiô vaticinamini Antichriſtum,fraude verſutiâ perfidiâq; omnem Vniverſi ordinem inverſurum, talem vobiſcum ut venturum credimus, ut Dei prophetam negamus, & quem vos miraculorum gloriâ coruſcaturum ſperatis, nos blaſphemiarum omniq; ſcelerum genere in animasDeo Sanctas debachaturum formidamus Chriſtiani. Hanc porrò opinionem ſuo de Mehdi è terris ablato, & rurſum in terras venturô,ut articulum fidei defendunt, quamvis ſapientiores & ipſi quidam Perſæ occulto inter ſe rideant rude hoc figmentum, & ludicram de Mehdi exſpectationem cœterorum. Circa quod illud non inaniter dicendum occurrit, quod quemadmodum Magnus Afer Hypponenſis Aurelius Auguſtinus hæreticos dicit eſſe Simias Catholicorum, ita & Perſæ moderni infideles, ſimiæ fidelium Chriſtianorum quodammodo ſint habendi, dum quædam noſtris doctrinis conformia, minimè verò eadem ſentire conantur. Eſt namq; hæc eorundem de Mehdi opinio ſomnium quoddam affine veræ noſtræ de Elia confidentiæ, & præſagium veluti affine noſtræ de Antichriſto doctrinæ. Quarum quidem & plurium hujuſmodi opinionum fundamenta eſſe poterant reliquiæ quædam notitiæ de lege Dei, veraque fide

circa

circa Eliam, Enoch, atq; Antichriſtum, ſeminatæ antiquorum Perſarum tempore, quô Sancta fides atq; religio, ut ſupra diximus paſſim in Perſide pullulavit, & floruit. Jam verò ad ſingularia quæ fidei ſunt eorundem deſcendendum.

Totô igitur Oriente Machometi perfidiâ obcæcatô, ejuſdem pars principalior, Perſidis regio, cum diſciplinatis magis hominibus virtutem amantibus præ alijs Regionibus abundaret, retentô ſibi quopiam, tametſi imperfectiſſimo ſanæ rationis lumine, minùs rigorosè memoratam ſectata perfidiam, cultioribus adhuc ſeſe diſciplinis exhibuit ſtudioſam, ita ſanè, ut, tametſi Machometi receperit fidem, in multis tamen ſanâ carentem ratione agnoverit, imò perſarum nonnulli eandem planè ut fabuloſam reſpuerint.

Cæterùm fides Machometana, quam communiter tenent, ab ipſiſmet, ſi ita loqui fas ſit, Perſarum Theologis ſentitur, & definitur eſſe illa, *quâ homo adultus corde tenetur credere, & quæ corde credit, ore proferre.* Eorum porrò, quæ ijs taliter corde credenda, oreq; proferenda ſunt, primum eſt atteſtatio quædam palam in ſubſcriptâ formâ ab ijſdem proferenda.

Leh hileh ılleh Hala, Mehemed Raſul Hala.

Id eſt:

Non eſt alius DEus, niſi DEus, & Machomet Apoſtolus DEI. Hæc proinde atteſtatio eſt infallibilis quaſi teſſera fidei eorundem: Unde & alios quinq; articulos ſuam ad fidem neceſſarios deducunt.

Primus eſt, ut adultus credat atque ore profiteatur unum eſſe Deum, & hunc quidem æternum â parte ante, quà ratione eum appellant hôc nomine, Azeli; ſimiliter & æternum â parte poſt, quô titulô eum nominant Abedi. Sed & nominant hunc Deum, Sermedi, quô vocabulô perfectiſſimum conteſtari nitun-

tur esse Dei, quod nulla etiam negatio, sive privatio anteccesserit. Habent insuper consimiles his terminos, quos arbitror, ab ijsdem esse desumptos ex antiquis Theologorum Christianorum libris, qui olim in Oriente sanctâ sanaq; doctrinâ clarverê. Unde & Deum appellant Omnipotentem, Omniscium, liberum, alijsq; eum collaudant ab attributis.

Secundus est: ut adultus credat, oreq; profiteatur, Deum esse justum, justè omnia sapienterq; gubernantem, nec non & æquissimâ justitiâ pro meritis, & demeritis cuilibet olim retributurum

Tertius est: ut credat adultus, & ore profiteatur, dari actu, esseq; Prophetam, purissimum, sanctissimum, omni peccati labe tam propriâ, quam alienâ, parentum scilicet voluntate, contractâ immunem, absque (inquam cum Theologo Christiano) actuali atq; originali peccato. Unde & prophetas suos dicunt esse impeccabiles: quam tamen conditionem, soli Persarum Theologi, minimè verò Arabum admittunt, aut Turcarum. Hi namque etiam Prophetas posse peccare docenr, adducentes exempla de Prophetis, quorum sacra meminit scriptura. Persæ cæterùm explicant eos non peccasse, sed, tametsi quædam egerint, solâ apparentiâ mala, omnia tamen in bonum ordinaverint finem; alioquin etenim si peccassent, minimè utique pro Prophetis fide dignis haberi potuissent. Hi ergò, utpote sanctæ Orthodoxæ, atq; Apostolicæ eruditionis ignari, ignorant quoq; gratias gratis datas, de quorum numero prophetia, ad gratum facientis gratiæ distinctionem stare cum peccato posse. Sed verò ita Prophetarum impeccabilitatem profitentur, ut de suo singulariter propheta sentiant, vel ex hoc solo puritatis, innocentiæ, atq; impeccabilitatis capite, & tam originali quam actuali sanctitate, habere se posse in eo verum, dignumque mediatorem inter Deum, & homines.

Quar-

Quartus articulus est, ut credat, atq; oretenùs confiteatur adultus, unum esse Antesignanum & Ecclesiæ suæ Primatem, seu Pontificem, primi Magni Prophetæ Vicesgerentem, Rectorem, judicemq; populi in his, quæ fidei sunt.

Quintus tandem est articulus, ut credant, & profiteantur adulti mortuorum resurrectionem, sanctorumque in alterâ vitâ communionem.

Quid verò hæc, nisi somnia sunt fidei Christianæ? Quid, nisi veritatis vestigia, quæ tametsi ob cœcitatem mentis, supernaturalisq; defectu luminis clarè â Persis non penetrentur, caligante tamen naturalis rationis dictamine sunt apprehensa? Palpatis reliquias fidei Christianorum, quas vobis cæcutientibus ultro in viâ obiecerê, dum vestrâ cesserant regione: ast cruda vobis sunt omnia, stomachoq; sanctô igne non efferuente, indigestibilia. Tu Lector Christiane perdende. Nunquid repudiatâ Deorum multiplicitate simplissimam Deo vero tribuis Vnitatem? Nunquid esse omni positione perfectissimum? Nunquid agnoscis omnipotentem, omniscium, primò liberum, justum, sapientem, vindicem, remuneratorem? Cum his proinde vel Persæ (odorantes, ut dixi, relictam Christianæ olim eâ in regione florentis fidei fragrantiam â longè) tecum sentiunt, tametsi malè sentiant vitiãtes omnia, atq; adulterinô amore Mæchatoris Machometi fidem comprimis prosequentes. Dic sodes, quid de Mediatore inter Deum & hominem rectiùs excogitari possit, quam purissima sanctitas, sanctissimaque puritas, originalis actualisq; immunis maculæ? Hanc verò dum immunitatem pluribus suis ascribunt Pseudo prohetis, vitiant sanum, quo nobiscum Christianis feruntur, sensum, agnoscentes Machometum, Hali, posterosq; suos Prophetas sanctissimos, impeccabiles, atque fide dignissimos, dum illi mendacijs, sceleribus, omniq; â capite usque ad calcem impietate, diffusâ veluti leprâ,

dum

dum vixerant, intumuerint, dum mortui sunt, Cerberi jam facti commilitones, nedum homines juvare nesciant hic desolatos, sed & æternum ipsimet desolati sanctam illam *Civitatem* veriq; Dei residentiam abjecti*(a) circuibunt, & famẽ patientur ut canes.* Quam igitur ploranda, atq; dolenda Gens ipsa Persica tibi Christiane, tanquam in multis tibi benè consona sentiens, juxta illud Psalmi *(b) In multis erant mecum*; super quæ liceat ponderare Augustini Verba adversum Donatistas inquientis: *Baptismum habebamus uterq;, in eo erant mecum; Evangelium uterq; habebamus, erant in eo mecum: in Schismate non mecum. In multis mecum; in paucis non mecum: sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum.* Vos ergo ô Persas ter infelices, quid supra memorata, aliaque complurima nostræ fidei affinia proderunt, qui alijs perfidiæ adhæretis dogmatibus, nescientes, quod, *(c) qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Sed ad plura de fide Persarum redeamus.

Supramemoratis itaq; quinq; fidei, an magis perfidiæ suæ articulis, quos Archen, & Usuldin vocant, duo addunt alia dogmata, seu requisita fidei, quæ Fruh il din appellant, id est, ad fidem consequentia. Primum porrò est oratio, secundum verò jejunium. Nos de utroq; pauca quæpiam audiamus.

Carnalibus ergò spurcitijs tametsi Gens ista collotenùs immersa sit, orare tamen non desinit, licet intentione rectâ mentem ad Deum elevare non possit, quem & genuinè non agnoscit. Necessariam tamen, necessitate quidem medij ad salutem, omnes sub Machometanâ lege militantes, sentiunt orationem, quam & Namaz vocant, eandemq; particularibus quibusdam ritibus, & multivarijs superstitionibus, curiosisq; commiscent cæremonijs, hic brevitatis causâ omittendis, solisque ijs, quæ communiter, & ut plurimùm â Machometanis fieri solent, recensendis.

(a) *Psalm. 58. v. 7.* (b) *Psalm. 54. v. 19.* (c) *Jacob. 2. v. 10.*

Quin-

Quintuplex proinde habent tempus orationis; quam equidem nec inchoare audent, niſi certas quaſdam corporis partes, ut infra dicetur, lavent: unde ut quinquies orant, ita quinquies lavantur; adhibitis inſuper inter orandum certis quibuſdam genuflexionibus,quas Rucuhet vocant. Quæ omnia Gentiles iſti, ad confuſionem ſanè eorum,qui veram Dei agnoſcunt Majeſtatem, omni tamen mentis evagatione circa mundana diſtrahi non cauſantur, maximô peragunt animi fervore, atque devotione. Primum igitur ijs orationis tempus eſt in Aurora, quam Orationem Namas ſubhi vocant, ſeu orationem matutinam. Hâc porrò in oratione tres tantùm facere ſolent genuflexiones, quas quidem faciendo, capite inclinatô terram impingunt, dicendo ſemper: Ala Acber; id eſt: Deus magnus. Subſtantia autem orationis Gentis hujus primariò conſiſtit in atteſtatione quadam, quâ oretenùs profitentur, tam in orationis principio, quam in fine, non eſſe alium Deum, niſi Deum, Machumetũ verò ejuſdem eſſe Apoſtolum,ut dictum eſt: quod hiſce proferunt Verbis. Leh Ila Illah Hala, Mehemet raſul Hala. Ego verò contra eos nefandum hunc Pſeudoprophetam Deo ſociantes, ſæpiùs, cùm ijſdem præſens eſſem, illud repetij: Leh Ila Illah Hala, Jeſuh il Miſih Hibin Hala. Id eſt: non eſt Deus,niſi Deus, Jeſus Chriſtus Filius DEI. Quæ non raram eiſdem erant in diſplicentiam, omnis tamen contradictionis ratio in eos devoluebatur, quippe quod careant veritate favente ſibi. Addunt ſecundario Verba quædã deprecatoria, quæ cum genuflexionibus ſuis ſemper ingeminant. Sed & pro Epilogo orationis dicere tenentur aliam quandam orationem, quæ ab ipſis Fath il chitab dicitur, ideſt, apertio libri: eo quod quando Curan aperitur, dicta ſtatim in principio libri hujus oratio habeatur: dicuntq; Machometani orationem hanc pari devotione, atque orationem Dominicam nos Chriſtiani: contentum au-

tem hujus Machumetanarum orationum Achillis, eſt Deum laudare ut Dominum Univerſorum, atq; ut miſericordem, & miſeratorem, nec non Principem & Regem diei judicij. Unde & in hac Deum ferventiſſimè adorare, omniqúe devotione deprecari non deſiſtunt; quatenùs in viâ eoſdem (quam malè putant) rectâ firmos ſtabiliat, atque conſervet, ultroneè gratias agentes pro tali ad fidem ſuam vocatione, quippe quam alijs â ſe gentibus concedere non voluerit. Veruntamen arcuum atque ſagittarum bonitas non proderunt ſagitanti, qui circa metam â rectâ habendâ intentione, vincibili decipitur ignorantiâ.

Cæterùm qui ſuâ magis fervent devotione, an magis ducuntur deceptione, dicunt in orationis fine coronam quandam, conſtantem ex tribus poſtis, in quarum qualibet triginta tres ſunt globuli. In prima porrò poſtâ triginta tribus vicibus juxta globulorum numeros dicunt Ala Acber; in ſecundâ toties Allam dulilla, id eſt: Laus Deo. In tertiâ totidem pariter vicibus Ala Acber: id eſt; DEUS magnus.

Finem tandem orationis faciunt, ſalutando inclinatô capite Angelum bonum, quem ad dexteram eſſe dicunt; dein verò & Angelum malum, quem eſſe opinantur ad ſiniſtram: illum porrò venerantur, ut ejuſdem per diem fruantur cuſtodiâ; hunc verò, ne inferat nocumenta. Peractis itaq; ſalutationibus ambas in cælum elevant manus, motôq; ſemper, & tremulô capite Deum deprecantur ſuper delictis ſuis, ſicq; elevatis ambabus manibus rursùs faciem tangunt ſuam, quaſi ſeſe Dei ſui ſignô munientes; dicenteſque Alem Dulilla rabel Halamin: ſeu: Laus Deo, Univerſorum creatori. En quam in ſuo orandi modo Perſæ multivarijs devotionibus, atque intentionibus ſimias agant fidelium, atq; Chriſtianorum. Secundæ tempus orationis meridies eſt, quam proinde meridianam orationem vocant Namas Zohri, hæcque tribus pariter conſtat genu-

genuflexionibus. Tertium orationis tempus eſt Veſpertinum: dicuntq; veſpertinam hanc orationem Namaz Heſri, & faciunt quinque in eâ genuflexiones. Tempus autem orationis quartæ, eſt ſolis occaſus, vocantque Mehribi hanc orationem, & complent genuflexionibus quinque. Quintæ deniq; tempus orationis ante vel poſt cænam obſervant, vocantq; orationem hanc nocturnam Namaz Heſci, quam quinq; pariter genuflexionibus peragunt.

Ubi ultrò advertendum, quomodo vel ipſæ Gentes ad orationis â Deo exaudiendæ acceptandæq; meritum atq; valorem, mentis & corporis â crimine puritatem neceſſariam agnoſcant: quâ proinde intentione non niſi corpore loti orare præſumant. Duplex autem apud eos eſt lotio. Ordinaria una, quam vocant Habdeſt: hancq; lotionem ſeu affuſionem aquæ per manus faciunt, in quibuſdam corporis partibus, lavando videlicet, manus, faciem, brachiâ, & pedes. Nedum ergò nullius faciet orationem valoris, ſed & in eorundem ſententia peccabit intermittens hujuſcemodi aquarum expiationem. Aliâ verò utuntur lotione extraordinariâ, quam Guſil vocant, quâq; utuntur, cùm forte ſive uxoribus, ſive concubinis commixti, alijſve carnis inquinamentis ſeſe noverint maculatos; tunc etenim totum tenentur lavare corpus, æſtimantq; hujuſcemodi lotionem, ut unicum peccati contracti antidotum, placandiq; Dei remedium: eô ferè modô, quô Chriſtianos inter Sacratiſſimum æſtimatur atq; ſuſcipitur pænitentiæ Sacramentum, in peccatorum remiſſionem. Ut diſcant vel inde per Gentiles ſolâ non deleri oratione peccata, quaſi complura orationi opera ſuperaddita incaſſum cenſeantur. Et tametſi lotio illa perfidis nihil fructificet, peccatoris tamen neceſſariam coram Deo edocet humilitatem.

Cæterùm aliter Chriſtiana vos edoceret ô Perſæ fides: a-

quam vobis in oceano errorum profundissimo fluctuantibus tanquam primam post naufragium tabulam objcit, Sanctissimum Sacræ ablutionis Sacramentum. Secundam verò tabulam confessionis salvificæ remedium præscribit. Ille ergò spiritus Domini, *qui* olim *(a) ferebatur super aquas*, Spiritus inquam Sanctus, qui super Christi Dei filij verticem, cum Jordanis intraverat aquas baptizandus, è cælis descenderat, descendat super vos *(b) illuminet corda Vestra & intelligentias Vestras* ad San ctæ fidei, verorumq; agnitionem Sacramentorum, quæ crudè adeò â vobis somniantur. Vestram nos cæteroquin præ cæteris magis disciplinatam ploramus indolem, qui, dum vobis Veritas ad ostium stat & pulsat, his in occulto Superstitionibus nugamini; ideo forsan aperire nolentes, quia meritis vacui, sanctaque fide denudati, in Divinæ conspectu gratiæ formidatis apparere. Verum Persidem ego de fide amissâ contestantem audire me arbitror his *(c) Exui me tunicâ meâ, quomodo induar illa?* Lubenti fors olim rursùs adaperies Christo tuo, eundem ad pessulum ostij tui inquirens, verùm & rursùs conqueri audebis; quoniam *(d) elongavit fugiens.*

Machometani interim Legis periti usq; adeo lotionibus præfatis, atq; genuflexionibus geniô suô implicantur, ut sanctitatis in his collocent substantiam; de quibus & Theologi, casistæ atque moralistæ Persarum, Arabum, atq; Turcarum, tot conscripsere tomos, quot vix Baronius in texendis mundi & Ecclesiæ histórijs, quales si quandoq; amice Lector, mecum pro curiositate evoluisses, plures Æsopo fabulas retulisses, ac ille tibi. Vidisses imò, & sine modo demiratus esses, qualiter memoratæ tres nationes (quarum ego Persicam alijs magis sapientem ac disciplinatam potissimum miror) circa nugas has atque futiles observationes, acerrimis inter se litigijs dissidere, & infantium more de putrido pomo, aut vetularum de ovo intus fæti-

(a) *Gen.1.v.2.* (b) *ad Philipp.4.v.7.* (c) *Cant.6.v.3.* (d) *Psalm.54.v.8.*

fætido, vel demum gallinarum ad inſtar de grano in ſtercore comperto decertare.

Satisfacturus tamen majori Lectoris curioſitati, addo ridiculam quandam circa Orationem ejuſq; valorem Perſarum, Arabum, atq; Turcarum opinionem. Dicunt namq; moderni Perſarum Superſtitioſi Doctores; quod, ſi quiſpiam ſeſe ad orationem, verbi gratiâ, matutinam præparans, conſuetâ, ut ſolent, lotione, ante tamen orationem hujuſcemodi, pulicem, culicem, pediculum, ſimileve quoddam minutiſſimum etiam animalculum occiderit, invalidè planè, Deoq; injuriosè oraturus poſtmodum eſſet: oporteat proinde, lavare ſeſe denuò, atq; mundare, tumq; demùm orationem fore acceptam. Cui quidem ſententiæ Arabes abſolutè renuunr aſſentiri, admittentes in his caſibus quandoque validam, invalidam quandoque orationem; quâ etiam ratione Turcarum Legis Doctores inquiunt, occiſorem involuntarium, vel inadvertentem hujuſce animalis validè oraturum, neque iterandæ obnoxium eſſe lotioni. Uſq; adeo amentes ſunt, qui Dei ſpiritu non reguntur, ut inter ſe & Deum muſcas arbitrentur obſtaculum ponere, qui malè ſanâ ratione Divinæ ipſimet nubila opponunt gratiæ.

Jam verò ad jejunia eorundem deſcendamus: ſecundum namque ad fidem & Sectam Machumetanam conſequens ſeu conducens jejunium arbitrantur; quod quidem per triginta dies obſervant. Aſt noſce quæſo amice hunc jejunandi modum. Semel in anno omnes apud Machometanos lunaris obſervatur pro jejunio menſis, qui eiſdem Ramazan dicitur; ita, ut viſo novilunio incipiant jejunare, perſiſtentes hoc ſuo in jejunandi modo aduſq; novilunium ſubſequens; quô redeunte inſtituunt per triduum ſubſequens ſolennem quandam feſtivitatem, quam Hidramazan vocant, in Dei per Machometum Prophetam ſuum honorem: rursùs nonne Chriſtianos circa paſchalis

tridui quadragesimali exantlatô jejuniô solennitatem in honorem Dei per Christum suum celebrari solitam æmulantes, atq; imitantes? Verùm propiùs imitarentur, si vel jejunia observarent, quæ Christianos inter in Spiritus recollectionem, macerationemq; carnis sunt instituta; cùm interim Gens isthæc non nisi spiritum Dæmoni devoveat, carnalibus satagat illecebris; &(verbô dicam)sola commutet manducandi tempora,noctemque vertat in diem. Totô namq; diei decursu totaliter quidem abstinent, nocte verò edunt, bibuntque ad satietatem, donec cælum serenâ facie illucescat. Quæ pauca forent in DEI & Prophetæ sui obsequium; sed & (Proh pudendum in scelera fervorem) studiosiùs hocce jejunij tempore carni tenentur inservire, ne quisquam eorum jejunium frangat, accedatuè mensam, priusquam thoro cum conjuge vel concubinâ carnaliter commixtus; quod si ad hujuscemodi ante mensam non potuerit, tenebitur eò satagere post illam. Atq; hoc quidem opere iniquissimo magis sese meritoriè coram Deo per Machometum complere arbitrantur præteritum jejunij diem: Sicq; triginta noctibus, quantum possunt, gulositatis atq; lasciviæ student excessibus. Idque ad institutionem sibi â Machometo traditam: Cap. de Vacca. per hoc edictum. *Licet vobis nocte jejunij accedere ad uxores Vestras; ipsæ sint indumentum vobis, & vos indumentum ipsis. Novit Deus, quod vos fraudatis Vosmetipsos, & clementer agit vobiscum, & parcit vobis. Igitur commiscemini cum illis, & inquirite, quod præscripsit vobis Deus, & comedite & bibite, usq; dum distinguere possitis filum album â nigro ex illucescente aurorâ: deinceps complete jejunium usq; ad noctem, & ne commisceamini cum illis. Hæc sunt præscripta Dei; igitur ne tangatis eas.* Quid insanius in Dei obsequium excogitare potuisses Dæmonis Propheta? Quid verò stultiùs vestro vos â Machometo potuissetis suscipere? Nunquid non hunc mediatorem Vestrum Sanctissimum

mum, & coram Deo creditis inculpabilem; quippe non nisi gulæ & lasciviæ sectatorem atque Magistrum?

Sed nedum hæc omnia absurda tanquam positiva observant præcepta, sed & decem habent negativa: quorum primum est, non bibere vinum. Secundum, non tangere sanguinem hominis, vel alterius animalis. Tertium, non tangere mortuum sive cadaver, hominisne sit, an alterius animalis. Quartum, non tangere hominis, alteriusvè semen animalis. Quintum, non accedere, tangereve mulierem actu menstruum patientem, alia verò animalia menstruis fluxibus subjecta, non tangere vel comedere. Sextum, non tangere, neque comedere carnes porcinas. Septimum, non tangere canem. Octavum, non bibere omne, quod inebriat. Nonum, non tangere, neque tangi ab omni homine non Machumetano juxta Hali Sectam, neq; cum illo bibere, aut comedere. Decimum, non bibere, neque ullum in usum sumere aquam mortuam, è paludibus aut lacubus; sicut neq; illam quæ debitâ caret latitudine aut profunditate. Aquam enim, ut inter hos munda, & lotioni, alterive usui apta censeatur, non sufficit esse ex puteo, fluvio, rivulove haustam, sed debet puteus, fluvius, rivulusve hujuscemodi ad minus profunditate tres, sicut & latitudine tres germanicas exæquare ulnas; quam proinde solam securâ possunt bibere conscientiâ, aliosve in usus adhibere. Hæc porrò præcepta universa tametsi gravi absq; peccamine transgredi neminem posse sentiant, multoties tamen prævaricantur, & legem quam cæcâ tenent ratione, quoad omnia usque adeo non curant, ut exquibusdam infra dicendis fusius constabit. Cæterùm & ipsa Persarum Gens in his quæ fidei sunt, unius non est animi, prout sequenti articulo singulariter studui recensere.

AR-

ARTICULUS SEPTIMUS.

De Gentis Persicæ, in his, quæ fidei sunt, subdivisione in diversas Sectas, & de quibusdam circa has notatu singulariter dignis.

QUoniam verò, ut sæpè memoratum, subtilioris genij circumvicinis suis Persarum Gens est; & vel eo artium liberalium sicut & literariæ eruditionis cupidior; contigit, ut intuitu,& revolutione moralium complurium ex antiquæ Christianitatis voluminibus documentorum, aliorumque perversorum Arrij,Nestorijq; dogmatum studiô, in quatuor ipsimet Persæ sese disiunxerint sectas; contrariantibusque ad invicem sententijs permultis,Machometi fidem & perfidiam diversis veluti quatuor canalibus totam suam diffundant in regionem.

Harum autem Secta prima est,Mezheb mutechelim : id est: Secta verbum loquentis. Quæ talis ideo nuncupatur, quod sectatores ejus adhæreant quidem Verbo Machometi; loquendo tamen circa leges ejus, earundemque sensum ex professo explicando.

Secta secunda Mezheb Fuka dicitur, estque illorum qui legunt & amplectuntur Verbum Machometi, ut jacet, omnem prorsùs explicationem reijcientes: dicentes imò; solum scire Deum, quid Machomet dicat; nobis verò (inquiunt insani) non nisi ejusdem dicta sequi incumbit, benè seu dixerit, seu malè. Nunquid verò Gens cæteroquin sapiens cæcis jam oculis manum mittis ad aratrum, nesciens an in sterili fertilive aratura sis agro, eoque fructus, an Zizania daturô? Ast irrationabili planè sensu meliores hi inter eos æstimantur Machometani. Aliorum certè judiciô; si inter cæcos luscus Rex esse potest, debetq;

debetque; debebit utiq; Secta prior, utpote qualicunque suô rationis lumine dogmatizans, & commentaria promens in Machometi verba, excellentior censeri ante hanc, quæ cæcâ non nisi pertinaciâ ad Dæmoniaci hujus prophetæ somnia, mendacia, perjuria, omnisque generis facinorosissima documenta, ut pisces ratione carentes, ad escam irruit, nesciens, anne quod avidô adeo inconsideratoque appetitu arripit, nutrimentum ultra sibi ad vitam dare valeat, an hamô subterlatente transfigat. Cæterùm hujus sectæ complurimi sectatores Turcæ sunt, qui ferè omnes ob innatam sibi ingenij cruditatem & ruditatem, nihil humanâ decoquunt ratione, sed plenis avidisque in omne scelus faucib⁹, cæcâq; mente deglutiunt omnia Machometi dogmata, ignorantes, quoniam ille Plutonis dapifer animas esurientes, pice, venenô, draconis adipe pascit.

Tertia porrò secta Mezheb Suphie appellatur, suntque hujus sectatores in Machometicâ fide corrupti quidam Nestoriani. Dicunt namque hominem per operationes bonas Deitatis dignum fieri posse, & sortiri in se naturam divinam; quemadmodum Nestorius de Christo asseverat. Unde & hi sectatores bonis operibus, jejunijs, alijsq; carnis mortificationibus jugiter intendunt, existimantes, se sic purificatâ, atque spiritualizatâ naturâ humanâ, divinam dein in sese recepturos purissimam sanctissimamque. Et hæc quidem secta ipsummet gratiæ sanctificantis statum, quô Christiani felices sumus, longô veluti afflante ventô, gratiosumq; spirante odorem animadvertit, mente tamẽ male sanâ apprehendit. Etenim Dei gratiâ *(a)* Dij utiq; sumus, *& filij excelsi omnes.* Cæterum hoc non ex operibus dictum est; sed Dei misericordiâ naturam (ut cum Theologis loquar) participamus reverâ divinam, adoptivi effecti Dei filij, fratresque Christi per gratiam, qui Dei filius est per naturam. Bonorum alioquin operum agnitione secta isthæc sapi-

(a) *Psal. 82. v. 6.*

entior eſt, populô illô hæreticorum ævi noſtri, qui aſininâ eſurie ad pabulum accelerat gloriæ, renuens bonorum operum cæli eſcam promereri labore; ſane, ſicut *(a) dignus eſt operarius mercede ſuâ*, ita ille omni indignus retributione. Hujuſcemodi porrò ſectatoribus uſq; adeo Perſis hodie non abundat, neq; illos paſſim, palamue novit, niſi quod nonnulli Perſarum Principes ſectâ hujuſcemodi adhuc infecti clàm illâ ferveant, continentes, utcumq; poſſunt, â dictatrice carnalium operum Machometi lege.

Deniqe quarta eſt ſecta, quam Mezheb Huchema, id eſt: ſapientium ſectam appellant: quiqe hâc tenentur, artibus potiſſimum liberalibus ſtudent, atq; antiquis vacant Philoſophis, uſqe adeo de Machometi, aliavè lege non curantes; tametſi extrinſecè ad oculum præſtantes omnia, quæ ſuperſtitioſi cæteri Machometani ſolent: totô verò geniô ſtudiôqe Philoſophicis incumbunt rationibus,& diſciplinis. Et quamvis ſecta hujuſcemodi â Machometanis, ut Atheiſtica reijciatur, ſicqe â ſectatoribus ſuis palam fieri, aut exercitiô, moribuſve demonſtrari minimè auſit; omnes tamen ferè Principes, atqe Magnates, Rex imò ipſe, comprimis præſentis Genitor, ſecuti ſunt,ſeqͧuunturq; eam. Quod verò infideles Aulici clã atheiſtæ ſint, miratus non ſum, ubi nuper ad manus Itinerariũ devenerat Athei, unde legi, plorandum eſſe in aulis principum, ut exule quandoqe pietate, & effræni malitiâ,Deum in animo negent, ne habere, quem timeant, videantur.

Illud ſolùm memoratâ de ſectâ referre placet; eſſe ſectatores ejuſdem Europæis comprimis amicos,atqe addictos, quippe quos ſe ipſis melius colere, atq; inſequi rationem ac ſapientiam ſupponunt. Unde & cum his avidiſſimè de rebus Philoſophicis, atqe moralibus, virtutes etiam ſpectantibus, imò non raro de Chriſti fide diſſerere ſolent.

(a) *Luc.. 10. v. .7*

Ho-

Horum pariter ſectatorum permultos ad veræ æternæque ſapientiæ Scholam adduxit, verus ille orientis, magiſque Perſidis dicendus Apoſtolus, multis inde laudibus commemorandus, ſanctæ memoriæ Reverendus Pater Amatus, natione Gallus, è Societate JESU. Erat quippe hic nedum nomine, ſed & re Amatus, amatiſſimus imò ipſe in Perſide, ob ſingularem vitæ integræ puritatem, doctrinam eximiam, diverſaque demum, quæ mirabiliter poſſidebat, linguarum Genera. Qui prout Apoſtolicô intùs urebatur zelô, ita nullis exterorum oculis torpens aut tepidus apparere voluit, uſque adeo, ut quod Chriſtianæ ſemen fidei ad fructus abundantiſſimos totâ penè in Perſide feliciter ſeminaverat; id ipſum etiam in occultis Barbarorum Majoris Scythiæ terris cum Dei gratiâ diſpergere nullô non labore conatus ſit: Veruntamen impeditus â magno quodam Perſarum Satrapa. Ille ſiquidem tum Vice Rex Scythiæ minoris, videns Amatum hunc Chriſti fidelem, ſuis jam in finibus adeſſe, omnique zelô, pietate, modeſtiâ, paupertateque ad ſummam intuentium ædificationem incedere, majori in eum confidentiâ ductus, utpote, cujus olim in regiâ Civitate in ſcientificis egerat diſcipulum: Eja, inquit, quid hiſce finibus in remotis atque peregrinis pie intendis agere Pater? Quid nobis extrema hæc mundi, & Barbarorum Vixhominum confinia incolentibus adeſſe geſtis? Cui amatus; Ago, Princeps præpotens, ago, quod & olim in Perſide agere me vidiſti, atque audiſti, omnique conatu curo, cui obligatus ſum, ſalutem populi in tenebris habitantis, unde & tuos jam pertranſiens Dominiorum fines, docendo ignorantes, Divinique palam edicendo veritatem Evangelij, Scythiam uſque intendo Majorem, daturus & inter hos Sanctæ ſpecimina Veritatis, ut quà carent, Divinorum notitiâ, eâdem per me inſtructi, perditionis ſuæ plorandam evadere gaudeant maledictionem. Quæ

ſanè verba, utpote linguâ, quæ Divini calamus ſcribæ erat in animo Devoti hujus Scytharum Principis benevolentiſſimam erga Sanctum Dei miſerationem ſcribentis, procedentia, profundiſſimam cauſare poterant admirationem, ut ſingultante pectore Princeps Patrem Amatum allocutus ſit verbis olim ex ejuſdem doctrinâ, cum in regiâ Perſidis extitiſſet, deſumptis: ita ergô ab illo ſciſcitabatur. Et nonne Pater mi tuo olim in Perſide docuiſti ex Evangelio *(a) Margaritas nullatenus ante porcos eſſe mittendas*? Num verò, tametſi ſanctæ opinioni tuæ notũ non ſit, nos tamen reverâ neutiquam latet, non adinveniendos toto penè in orbe homines porcis, omniq; brutorum generi ſimiliores, feros & beſtiales, atque vicinos nobis Scythiæ Majoris incolas: quomodo igitur dilecte nobis ab olim Præceptor, quomodo precioſas fidei tuæ, tantique â nobis æſtimatas hos inter Barbaros proijcies Margaritas? Sed & aliis humanitatis rationibus atque argumentis ſuam conteſtabatur benevolentiam Perſa Princeps, quibus & mentem viri memorati impedire, & negotium intentum, ſi non injuſtum, infructuoſum ſanè valuiſſet perſuadere. Cum verò animam Amati totam non niſi ſalutis animarum, ſanctæq; converſionis videret amantiſſimam, eô uſus eſt argumentô. Poteris (inquit) Amate nobis, huic tuæ ſatisfacere menti, illudq; & majori cum fructu præſtare in finibus noſtris, quam Scytharum & Barbarorum alienis. Ageſis Dei vir, tuâque doctrinâ Perſidem ultra noſtram non dedignare: in eâ, ſi quid obligationis animo habueris, cum noſtro, noſtrorumq; Comprincipum, ipſiuſmet imò regis permiſſione, ſecurus exequere. Sicque, poſtquam per dies aliquot benignâ Amati fruitus fuiſſet Princeps converſatione, eundem benè habitum, optimâ tandem commoditate, honoratiſſimaque Aulicorum ſuorum catervâ ſtipatum in Regiam dimiſerat Civitatem.

(a) *Matth. 7. v. 6.*

Jam

Jam verò, ibi quid ageret, in præsto erat DEI Ministro. Populum ille nullô non trahere innocentiæ exemplô in sui amorem, Regemq; omni pietatis & optimæ famâ conversationis sibimet benevolum reddere: usque adeo; ut â moderni Genitore Regis citiori ultra opinionem benevolentiâ, licentiam obtinuerit, ædificandi suæ Societatis domum, communicatô bsii per Regium decretum fundô amplissimi cujusdam atque amænissimi in Isfahan Horti. Verum maturum jam ex messe mortalitatis manipulum Amatum, & pietatis quoniam fructibus abundantissimum, tandem in cæli horrea collocari voluit Author ipse pietatis, quem & post aliquot menses ex fragili vitâ in stabilem suscepit immortalitatem. Vidisses hic, Lector amice, ad sepeliendum defuncti corpus, postpositô infidelium timore, confluxisse fidelium & Christianorum copiam penè ingentem. Penes duos namq; suæ Societatis JESU Sacerdotes, feretro comites habere meruit, Sacerdotes Armenos omnes duodecim Ecclesiarum, quas hi in Regiâ possident: sed & Archi Episcopus, alijq; multi nobiles, atq; Proceres aderant, & demum multus Persarum utriusque sexûs populus. Summâ igitur devotione, spectantibus ad stuporem infidelibus efferebatur ad sepulturæ locum corpus defuncti, quem populus omnis jugi lacrymarum profluviô plangere, amarissimèque deperditum suum Patrem Habib, id est, dilectum & Amatum deplorare non desistebant.

Quod igitur hodiernum usque diem immortalem eloquitur laudem pientissimè defuncti viri Dei Amati, illud est; quod nedum memoratam domum atq; altare Altissimo; sed & suâ solertiâ comune inibi curaverit Gymnasium, quô omnes Civitatis Armeni Schismatici confluere audeant, Christianæq; fundamenta doctrinæ jugi successorum suorundem patrum eruditio-

ne capeſſere poſſint: unde vel hodie Dei Eccleſia quotidiana ſe ſumere incrementa, valeat gloriari.

Porrò familiariſſimam quoque ſapientiſſimis cum Perſis clam inierat converſationem, & hiſce continuat diebus, Venerabilis Pater Raphaël Capucinus, triginta duobus jam annis circiter Miſſionarij functus Officio in Perſidis Regia. Et eouſque vir ille ob eruditionis & pietatis famam innotuit, ut â majori ferè uſque minimum Perſarum dignoſcatur, digitô igitur ab infantibus per plateas circumiens demonſtretur, omnis ſpeculum auſteritatis vitæ, doctrinæ, ac pietatis; comprimis verò ob ſingularem & excellentiſſimam, quâ mirabiliter pollet, in Mathematicis eruditionem, amatus â Perſarum Sapientioribus, quippe qui maximô memoratas in diſciplinas feruntur ſtudiô, atq; amore. Unde tantam etiam in æſtimationem evehebatur memoratus Venerabilis Pater, ut Rex Præſentis Genitor, omni eum honore atque amore, multis imò quà publicis quâ privatis dignatus ſit colloquijs, ſingulariorem ſemper in ejus converſatione ſentiens animi lætitiam, eamque ſignis & nutibus exterioribus plurimis manifeſtans. Quorum majorem alibi facturus ſum mentionem.

Unde de quartâ hac Perſarum ſectâ Mezheb Huchema liquido conſtare Lectori poterit, quâ ratione de Machometi ſtultitijs, tametſi ad oculum populi complurimas obſervent, modicum tamen curent, naturalibus magis innitentes rationibus, & Mathematicis diſciplinis, imò & alijs quibuſcunque ſaniori menti conſonis eruditionibus. Ut & proinde ad petitionem Sapientium ſectæ hujus omnem virtutem æſtimantium, Reverendi Patres Carmelitæ Diſcalceati Perſicô interpretati ſint Idiomate ſummam Angelici Eccleſiæ Doctoris D. Thomæ Aquinatis, quam contra Gentes Angelicis exaraverat argumentis.

Qui

Qui proinde Perſæ ex quartâ hac ſunt ſectâ, ſicut & ij qui ex tertiâ, qui numerantur ab ipſomet incipiendo Rege, uſque ad infimum in Curiâ vel dominio regni ſui, ſicut & alij compluri-mi, adeò dociles reperiuntur, atq; ad ſalutarem Chriſti fidem diſpoſiti, ut ex animo magis in hanc, quam in aliam ratione vi-deantur inclinari, tametſi factô Chriſti legem non arripiant aut ſequantur: Ut ſanè de hac Perſarum Gente dici poſſit, quod (a) *Meſſis quidem eſt multa, operarij verò pauci*, quippe ad tantum perfidorum numerum tametſi ſapientiâ & pietate, non tamen multitudine ſufficientes Chriſtianæ fidei promulgatores.

Libeat hic ultrò percipere Lectori amico fructum quem Deus per me indignum, cum quodam hujus ſectæ ſapiente Per-sâ præſtare dignatus eſt: de quo ſolùm in Dei gloriam mentio-nem fecero, & ſectariorum hujuſcemodi bonam animi ad fi-dem Chriſti diſpoſitionem, citra omnis ſaporem jactantiæ ve-lim commendare. Chariſſimus mihi multoque amicus ex ca-pite quidam erat Mirza, id eſt nobilis, Regiq́ue intimus. Is, ut paſſim ſolebat, Sacroſanctum Chriſti quadam nocte lege-rat Evangelium, quod Arabico idiomate ſcriptum ſuâ cuſto-diebat in domo: ad illam autem Chriſti deveniens ſententiam. (b) *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem homi-nis non habet ubi caput reclinet*: hujus protinꝰ dicti ſenſum rima-batur, diverſas ſibi interpretationes cæcâ mente ſomnians: ne-q́ue verò adinveniens argumentum, quod erudiret ignoranti-am ad quietem, negotium hoc illico opportunâ datâ occaſio-ne diſtulit cum Chriſtiano pertractandum. Poſterâ porrò die, Dei utiq́ue inſtinctu, uterq; in aulâ regia conveneramus propè cubiculum inacceſſibile Regis, ut illud Perſæ vocant. Cum ecce mihi ociùs ad ſe vocato ſuam adaperuit quæſtionem, hiſce me Verbis rogans. Dic quæſo Amice, meq; ſuper arduâ qua-dam Evangelij Veſtri intelligentiâ inſtrue, Quid eo in textu ve-

(a) *Matth. 9. v. 37.* (b) *Matth. 8. v. 20.*

veſtro â Chriſto oretenùs edicto intelligitis. *(a)Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet?* Ego porro ſuper inſolitâ miratus quæſtione infidelis ejuſdem, blandè ſubridendo ab eodemmet repetij, diceret quantociùs, quid ſuo ipſe ſenſu de hoc animadverteret: curioſitate etenim rimabar curioſum hoc Perſæ Ingenium, nedum ſpiritus in eo ſancti molimina præſumens, quippe, quod curioſitate ſæpius tacta gens iſthæc indaget multa ſuper Evangelijs, Sacramentis, cæteroq; vivendi more Chriſtianorum. At verò ille jam nolens ceptô cadere zelô inquit: Complurima ſunt quæ mihi nocte hâc imaginabar, ipſamq; diluculo cariturum jam fermè dolebam, aviditate negotij ſerio pertractandi: tùm verò, quod meo adinvenire genio poteram, ominabar, miramque hoc deſuper textu concepi explanationem, cui hic narrandæ tempus, amice, deficeret; præſtabit porrò, ut, ubi finitis Regis Servitijs, aulicisq; abſtracti curis domi convenerimus, complura tibi ſuper his, quæ ſenſeram, valeam ennarrare. Curialibus itaque negotijs finitis,meridianô tempore in domo ejus convenientes, blandiſque colloquijs prandio aſſidentes recreati, lautitiem, quamvis pro ejus dignitate magnificam, deſpeximus ambo, ſanctâ magis eſurie ſuper Evangelij Intelligentiâ cruciati. Solutâ proinde comeſtione, dimiſſiſq; ſervis familiaribus, quantociùs collocuturi ſolitarijs paſſibus conclave noſtrum metiebamur, illeq; adaperiens mentem ſuam ſuper citato Evangelij textu, ita ſe faſſus eſt intelligere eum. Ego, inquit, amice, multo rem voluens cogitatu conclusi tandem, Chriſtum tuum ideo in citata prorupiſſe Verba, ut oſtenderet, neque ſe, neq; qui ſequi eundem vellet, determinato eſſe circumſcriptibilem locô, prout peccaminoſi nos, carnalibus atque corporeis ultra modum immerſi, unde locorum definitionibus neceſſe eſt, ut vulpes foveis, & cæli volucres

(a) *Matth. 8. v. 20.*

nidis

nidis nos fatigemus inveniendis; cum verò econtra Christus tuus naturam sese patefaciens sortitum per bona opera divinam, inde humanis se contestatur non subjacere quoad præsentem vitam miserijs, sed capite liberô, quæ mollia mundi sunt, aspernari. Inde & amarissimas dissolvi ceperat in lacrymas, deplorando multipliciter miseriam sortis suæ, quippe quod carnalem nesciat frænare naturam, ignoret vitare vitia, passionibus demum supprimendis longè sit impar, careatque spirituali Christi felicitate, quam sibi totaliter, ut ille, possidendam propriæ defectu innocentiæ, & patratorum reatu nunquam quidem optare valeat obtinendam; vel ex parte tamen aliqualiter pariformi spiritûs desideraret adversus carnis onera insolentissima libertate posse gaudere.

Nunquid verò miseram hanc miserrimi conditionem poteram non plorare? illius sanè lacrymæ jugiter ita deciduæ, cor etiam meum, si lapideum erat, non bis, sed toties, totiesque cadendo, poterant, debuerant imò in magnam commiserationis abyssum excavare. Malam igitur, bonamque eidem intelligentiam exposui; Deum incarnatum esse, & non bonorum meritis operum sortitum primo divinitatem suam Dominum nostrum; item aspernari quidem tam ipsum, quam sequaces ejus mundi carnisq; illecebras; vitæ tamen miserias humanæ cæteris etiam abundantiùs perpeti: hac imò ratione Dominum nostrum omni vitæ austeritate, omni devotione, humilitate omni, passionibus & miserijs multis, ut in eodem suo habetur Evangelio, antecessisse, & *dedisse* vel ideo (a) *exemplum nobis, ut & nos ita faciamus.* In illo porrò (b) *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*: ipsemet (inquiebam) ut invenies, suam Christus contestatur miseriam; quam proinde, si sustinere sibi fidat, qui in Evangelio sese obtulit, dicens (c) *Magister, sequar te, quocunq; ieris*:

(a) *Jo.13.v.15.* (b) *Mat.8.v.20.* (c) *Ib.v.19.*

ſuſcipiat quantociùs,ut filius hominis, non curando, ut,ceu vulpes ſit in foveâ,vel in nido volucris; ſed (*a*) *abneget ſemet ipſum,* ut dicit alibi; *tollat crucem ſuam*,ſequaturque eum, ſi etiam ſibi, ut Chriſto, non ſit locus in diverſorio,ſed in ſtabulo; non in Regis curiâ, ſed in carcere; non in mollibus veſtimentis, ſed in nuditate; non in ſubtilibus cervicalibus,ſed in cruce. *Sic* etenim (*b*) *oportuit & Chriſtum pati, atq; intrare ingloriam ſuam,* quam non ſibi, ſed nobis mereri opus habeat. Sunt namq; miſeriæ vitæ hujus (ut, inquiebam, in Evangelio invenies) apta alterius beatitudinis obtinendæ media, atque gradus, per quos & Chriſtus bonô Magiſter præiturus exemplô, aſcendit in cælum, ſedetq; ad dexteram Patris ſui. Sed neque aliô, quam rebellem adversùs noſtram bellando carnem, miſerias tolerando vitæ hujus, Divinæq; Chriſti fidei per paſſionem & crucem ejus adhærendo potentes erimus evincere mundum, & adipiſci cælum; teſtante ſic Apoſtolo Joanne (*c*) *Hæc eſt Victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.*

Altiſſimo verò ſibi hæc ipſe cordi ſumere non dubitabat, magnâq; mecum conſolatione perfruitus, concepit nonnullam in fervido animo, quam tamen mihi conticuit, ſcintillam fidei Sanctæ: me verò â ſe dimiſsô, tres circiter inſumpſerat menſes, ruminando,quæ audierat per me dicta, attenteq; volvendo, quà revolvendo, ſacra â me ſibi recommendata Chriſti Evangelia. Cùm demùm gratiâ divinâ plenius ſpirante contineri ultrò non voluit, ſed unâ ſabbathorum nocte ad horam nonam,ſex ſervis ſtipatus meo inſperatus comparvit in habitaculo: cujus inopinatum eo in tempore adventum quantum demirabar, tantundem deſuper & congratulabar. Ipſe porrò longiori omniſsâ ſalutatione, nullô ſe modô me, domumne meam,vel minimum acturum ad incommodum; ſed alio ſuper negotio, quàm potu, eſuve tractaturum adeſſe proteſtabatur.

(a) *Luc. 9. v. 23* (b) *Luc. 24. v. 26.* (c) *1. Joan. 5. v. 4.*

Præ-

Præſtitâ porrò hoſpitalite eidem debitâ, ſuper commodâ ſatagebamus occaſione ventilandi, quorum causâ advenerat, ignota mihi, paulò poſt verò animitùs ab eodem expoſita. Quid tandem amice (inquit) quid agere valeam, ut Chriſti tui, quam ita animô proſequor, verè ſuſcipiam ſanctam ſanè, atque immaculatam Religionem? Ego novalium gaudiô plenus, rei facilitatem quomodo comparandam, omne gravamen quomodo floccipendendum, jugum deniq; Chriſti ſvave, & onus permultis expoſui leve; omniſque diſcurſu noſtrô nox abbreviata ſopijt Machometi perfidiam, & Chriſti fervorem ſanctæque lumen agnitionis plenius ſuſcitavit: ac poſterâ, quæ erat Dominica, die, in cunctanter ambo ad Venerabilem ſupramemoratum Patrem Raphaëlem acceſſimus; ubi & Neophitum hunc Perſam reliqui, ultrò ab eodem in fidei documentis, quà par eſt, ſerie in ſtruendum.

Hæc inquam abſque jactantiâ dixerim, quorum & plura in Dei gloriamSanctæq; conſolationem Eccleſiæ Orthodoxæ edicere valerem, niſi propriæ exoſus laudis, ijs deſuper loquendi materiam reliquiſſem, quibus ſatis omnia conſtant. Unum memoratum hic retuli, ad demonſtrandum qualiter Perſæ nominatarum tertiæ, & quartæ ſectarum ſectatores, pronô ferantur animô in Virtutem, Chriſtianamque pietatem: cujus pariter gratiâ præ omnibus (ut alibi de his plura) mundi nationibus unicè amant, veneranturq; Europæam, ſacratoſque Patres ac Religioſos, non ſolùm pacificâ inter ſe dignantur habitatione; ſed & palam ſine averſione contra ſectas ſuas audiunt è ſuggeſtibus, aut obuijs quibuſque occaſionibus in favorem fidei Chriſtianæ diſſerere. Recordor imò Magnatum Curiæ Regnique Perſici, tam ad me, quam alios ſæpè dicentium. Quid Europæis Veſtris religioſis in Patriâ noſtra? Nunquid ignoramus, hos ſuam deſerere, noſtramq; ſtudio frequentare, atque

incolere regionem, ut populum nostrum alienæ tradant fidei, & Christo suo lucrifaciant? Hunc illi utique in finem nostris finibus tantam monstrant vitæ austeritatem, abjectam seligunt conditionem, quiq; satius vivere alibi valerent, hic in anxietate vultus sui vivunt, ut dogmata sua introducant, Gentemq; nostram in suas partes deflectant. Hanc nos eorundem non ignoramus intentionem; ast patimur, amamus imò, & veneramur eos, quoniam assidui virtutum sunt sectatores.

Hæc de Persarum diversas in sectas subdivisione, cujus etiam occasione pauca hæc occurrenter placuit referre. Ut verò quæ secundum suam observant fidem, etiam innotescant; solitas eorum festivitates, aliaque adhuc superstitiosas eorum observationes continentia nunc breviter adhuc recensere suscipio, antequam ad politicum regis regnique statum pertingam describendum. Sit igitur,

Articulus Octavus.

De modernorum Persarum festivitatibus, peregrinationibus, ritibusq; ac ceremonijs circa mortuorum Hali filiorum sepulturam.

ALiquas celebrant Persæ festivitates in Machometi, Hali, & filiorum ejus memoriam, totiusq; progeniei gloriam ac splendorem, ignorantes, cæli in hos æviternam esse maledictionem. Prima porrò, potissimaque eorum solennitas illa est, unde novi sumunt auspicium anni, appellaturque festivitas hæc ab ipsis Nouruz, seu novus dies.

A quo igitur Persarum incipit annus naturalis seu solaris; sic stante discrimine inter annum lunarem, quem ex cursu lunæ juxta lunatici Machumeti observationem desumunt, ab illa videlicet lunâ computando, quâ factâ est Machometi migratio ex civi-

civitate Meche ad Medinam; quamvis potiùs fuga infamis & exterminium fuerit; quippe, quòd ob ſcelera ſuâ etiam inter infideles ſuum primo non obtinuerit locum, aut communem Sanctitatis (nempè quæ nulla erat) æſtimationem. Cæterùm Machometani migrationem iſtam Hogiret vocant, indeque, ut dixi, ſuorum deſumunt computum annorum.

Modernorum autem Perſarum Gens, inſiſtens quoad hoc, & alia plura, obſervationibus Perſarum antiquorum, hanc eodem ritu obſervant feſtivitatem, quô ipſi obſervare ſolebant in ſtatu felicitatis & regni ſui, tametſi modo deperditi. Quamvis etiam obſervent computum â lunâ, utpote ad deſumendum annum ſuum Eccleſiaſticũ, quem ſervare tenentur ut Machometani. Annum verò ſolarem obſervant ut ſapientes, rati ſecuriorem eſſe ſolis, quàm lunæ curſum; unde & certiores ominantur rerum eventus, caſus, effectus, ſiderum concurſus, influentias, alioſq; effectus elementares, & meteoricos deſumi certiùs poſſe arbitrantur.

Hæc porrò ſolennitas in decimâ tertiâ, quartâ, aut quintâ menſis Martij evenire ſolet; quippe quod in harum unâ, Sol ex Hut ad Hamel, ut ipſi dicunt, id eſt, ex piſce in arietem tranſmigret: ex quo ſolis in aliud ſidus tranſitu annum ſuum politicum, naturalem, & ſolarem deſumunt. Hâc quidem ratione.

Cùm Aſtrologus eorundem determinatam illam edixerit diem, quâ dictus ſolis ex piſce in Arietem futurus ſit tranſitus; illicò ante ſolis ortũ Rex cum Magnatibus ſuis, ſupremoque Aſtrologo ſuo Regiam ingreditur Aulam ampliſſimam huic ſolennitati deputatam: ubi ordine ſeſe ſtatuentes, attentè primò percipiunt ea, quæ Regis Chroniſta altâ voce proclamat; quæ quidem Lectio ſeu declamatio nil aliud refert, niſi omnia ea, quæ caſu, fortunâ, fato, conſilijs, armis, & qui-

buſcunq; demùm eventibus circa Regis regnum, & curiam annô illô elapsô contiggerê. Unde & ominantur, quid inchoando mox anno, eoque perdurante, ſive ad priſtinorum temporum reſtaurationem, ſive ad felicitatis eorundem ulteriorem ſit obſervandum continuationem. Dùm porrò lectio hujuſcemodi cæteris ſummo in ſilentio attendentibus durat, ſolicitatur Aſtrologus ſuis in obſervationibus circa ſolis curſum, ſuiſque ad intuentium delectationem fatigatur ſphæris, & aſtrolabijs dirigendis, cæliq; conſtitutionibus inveſtigandis; ubique poſt longum tempus deprehenderit, quonam in puncto, aut minuta contingat ſolis in arietem tranſitus, eô ipſo temporis punctô ſilentium jubet â lectione; ipſe verò cum tripudio aſſurgit Aſtrologus, palam apprecans, ut recedant vetera, nova ſint omnia. Tum protinùs & regem veneratur, novumq; illi & felicem anni exoptat introitum, toti Regis familiæ pariter optimis auſpicijs plenum. Sequuntur hunc Proceres, Magnateſque aulici ordine ſuô omnes & ſingillatim, ita, ut poſt Aſtrologum, totius regni nomine, tum verò & ſuô, gratulabundus accedat Primus Regni Miniſter, Hedima Dolve. Deinde Pontifices eorundem ambo; tum verò & cæteri: quorum ordinem ſupra art. 2. poſueramus, juxta munus & conditionem ſuam.

His ita peractis Regi deponitur è capite Tulbant, illa videlicet faſciarum Vinctura, quâ utcunque Orientales caput obvolutum, illigatumque geſtare ſolent, imponiturq; eidem regale precioſiſſimum, atque à majoribus ſuis regibus ſibi hæreditarium diadema, ab ipſis Perſis Teg nominatum, de quo ſupra articulo quinto plura poſuimus. Porrò unà cùm Rege omnes Principes deponunt Tulbant, ſeu faſciam ſuam ex capite, illud hôc ſuô Teg, ſeu diademate, felicitatis & fidelitatis ſignô proteſtativô communientes, precioſiuſq; quidam, nonnulli minùs precioſum pro ſtatus ſui conditione aſſumentes: demptis

ptis duobus Pontificibus illis, Aſtrologô, Chroniſtâ, cæteriſque, qui ſunt de Gente Tat, de quâ & ſupra articulô citatô.

Quibus peractis ociùs Mareſchallus Aulicus ſummô veſtimentorum incedens ornatu, aureum manu baculum geſtans, exit ab interiori Regis ad aulam exteriorem, voceq; prægrandi, toti jam Curiæ acclamat Regis clementiam ad annum felici auſpiciô inchoatum, hortaturq; Univerſos, unanimi per Regis gratiam hilaritate gaudere, in ejuſdemque honorem debito cum applauſu primam hanc novi anni tranſigere feſtivitatem. Hoc jam auditô proni omnes genibus in terram flectunt, debitâ Regem ſuum in interioribus aulæ penetralibus exiſtentem devotione adorantes, omnique exultantium animorum promptitudine auſpicatiſſimam novi anni precantur inchoationem; intonantibus illicò, per omnes aulæ fores Regijs tubicinibus, alijſq; varia inſtrumenta ſuô more cum omni gaudiorum jubilo ſvaviſſimè tangentibus.

Poſt hæc reverſus in Regis aulam interiorem Mareſchallus, totius nomine Curiæ auſpicatiſſimum reprecatur eidem inchoati ſolaris anni auſpicium. Tum demum ſurgit Aſtrologus Regius, vernaculâ perquam elegantiſſimâ coram rege perorans, eundemque ſuper his commoneſaciens, quæ conjecturali arte ſuâ inchoati decurſu anni futura ipſe præviderit; ſeveram ſuadet in criminoſos juſtitiam, ſed & erga ſuos clementiam commendat; Magnates verò, univerſoſque demùm regi ſubditos ad omnem hortatur devotionem, atque fidelitatem.

Tum verò Rex oratione peractâ cum ſuis exſurgit; qui denùo ordinatim omnes ad eum accedunt (Pontificibus exceptis) genibuſq; flexis adorant, & pedem eidem dextrum exoſculantur, hôc tanquam devotiſſimô fidelitatis ſignô eidem in conſtantiſſima ſeſe obſequia conſecrantes. Quos porrò & Rex affabili dignatur alloquio, annum pariter eiſdem jubens felicem.

Tan-

Tandem aulæ hujus interioris Regiæ portæ adaperiuntur, exitque rex in fastu atq; ornatu suo, & magnis stipatus comitatibus ad aliud quoddam sese confert Palacium, sublimis altitudinis: unde & Alakapi; id est: sublimis porta dicitur. Est namq; ædificatum supra portam illam, quæ est altior & sublimior, omnibus quinquaginta portis domus Regiæ. In eo pariter est limen illud, quod pede nemo calcare ausit, sed osculari solum potest; quod à Principibus etiam fit, & satrapis in juratæ signũ fidelitatis atq; devotionis erga regiæ domus limina: tunc quidem cùm solenni forsan inauguratione benevolentiâ regiâ altiores evehuntur ad dignitates.

In hoc igitur superbissimo palacio, versus magnam illam plateam, quam Petrus de La Valle describit, sitô, Rex assidens suis, diversissimis indulget jocis, & curiositatibus eâ in plateâ exerceri solitis, cùm interim & Bachi celebrat inter crateres solennitatem. Reperiuntur ergo visu inibi generosissimi sexdecim equi, aurô gemmisque compti, & aureis ligati catenis; quô numerô potentissimnm Regis in amplissima sexdecim regna dominium indicatur. Catenis item aureis ligati visuntur aliâ in plateæ parte leones, tygrides, elephantes, & complura hujuscemodi animantium genera, quæ præstitâ regi genu flexione, primò veluti eundem venerabunda, tum vero vicissim, atque ordinatim suos exhibent saltus & ludos, quos hominum directione norunt, in regis delicias & oblectamentum, majoremque festivi plausus splendorem.

Sed & peractis hujuscemodi spectaculis, conveniunt luctatores nudati, suum invicem aliquantô temporis spaciô, robur attentando: tum & gladiatores arte congrediuntur suâ. Hos demùm sequuntur Equites, Principes, nobilesque aulici diversis exercitati ludis, miram singulariter exhibentes in equis dexteritatem, sclopetis, frameis, lanceis, præcipuèque sagittis.

In

In medio namq; plateæ altissima quædam trabs pyramidis adinstar erecta est, longitudine ducentum ulnas excedens; cujus in cacumine subtilis quædam lamina in sagittarum scopum pendet affixa, quò quidem collimant, neq; aliàs sagittas jacere artis æstimant, nisi ex equo, illoque velocissimè currente, & jam cursu suô trabem penè prætervolante. Unde Lectori pensandum relinquo, quantam ille ominetur dexteritatem necessariam, ad scopum hujuscemodi, quem, dum equus trabem prætervolat, vix sagitator oculo percipere potest, attingendum. Trabs illa Kabac dicitur. Cæterùm qui laminam illam, seu scutum trabi appensum sagittâ in terram dejecerit, bravium obtinet, atq; ad Regis vocatus præsentiam, exhibitæ capessit munera virtutis.

Finitis itaque ludis atq; exercitationibus, præsto sunt Vice Reges, Duces, Principes, alijq; Dynastæ, qui aliquô in regno fruuntur dominiô, sua, in obedientiæ servitutisq; Regi debitæ contestationem, munera illicò deferentes; sicq; cum novo anno nova contestantes obsequia. Horum porrò quilibet talia Regi defert munera, qualia ex proprio statu, locisque dominij sui producere valet. Principes, exempli causâ, qui in districtibus Ghilan suum exercent dominium, sericeas in copiâ Regi afferunt materias; quippe quibus loca illa abundant. Alij equos, alij camelos & mulos, sicut & alij tapetes, feltra, aromata, fructus, & similia plura deferunt munera. Pariformiter & qui sunt Vice Reges in confinibus Indorum, Scytharum, Arabum, Turcarum, & Moscovitarum ea mittunt, quæ in illis Regionibus habentur. Hæc porrò munera cùm juxta debitum offerentium ordinem in Plateâ coram Rege deponuntur, omnia per deputatum Regis scribam annotantur, Rege interim cessante bibere, & incipiente comedere in convivio apparato, duranteque per tres circiter horas, resonantibus, more

ſuô, tympanis & muſicalibus inſtrumentis conſuetis. Cæterùm qui delata Regi munera conſcribit ſui vix tertium poſt diem ſortitur laboris finem, ob munerum diverſitatem & abundantiam: quæ tamen omnia fideliter, atq; ad amuſſim annotata ſupremo Regis tradit Miniſtro in debitæ annotationis, ritique computûs ratificationem. Is porrò omnibus ſeriò penſatis, vocari illicò jubet procuratores Principum illorum, qui per hos dona miſerê Regi, illoſq; ſi ab oblatis laude digni, Regis nomine laudat; ſi à munerum exiguitate reprehendendi, reprehendit; committens eiſdem ad illos congratulatorias, aut reprehenſorias à Rege litteras.

Atque hæc eſt ſolennitas Nouruz, ſeu novi anni: quô etiam tempore mutare, aut conferre ſolet Rex officia Proceribus regni ſui; quo item Regis aſtrologus ſuum in lucem edit Almanacum pro anno inchoato. Duratq; ſolennitas iſthæc apud Perſas ſeptem diebus, quibus omnis generis exercere recreationes aſſolent; ſolitumque eſt inter eos vel maximè ſpectaculum Taurorum atq; luporum, quos ita inſtruunt, ut non ſolùm ferinô ſuô modô invicem aggrediantur, & impetu; ſed & diverſos, eoſque curioſiſſimos exhibeant ſaltus, ludoſque, quorum & intuitu ipſe non rarò Rex delectatur.

Alia paulò poſt ſuccedit eiſdem feſtivitas, quam Haſciur vocant; in quâ perperam decem conſumunt dies, deflendo mortem Haſan Huſein filiorum Hali, deteſtandoq; ac mille modis maledicendo horum interfectorem Jezid Hibin Mohuie, olim Regem Damaſci, qui eoſdem nedum odiô inſatiabili perſecutus eſt, ſed & è medio abſtulit in valle Kerbela propè Babylonem; ubi illos Perſæ hodiernum uſque diem corporibus ſepultos credunt, atq; ut Martyres venerantur; ita, ut annis ſingulis iſtô tempore, quod paucis ad feſtivitatem Nouruz contingit diebus, ingens Perſici populi multitudo eo confluat, &

hanc

hanc Hasciur festivitatem maximâ (quamvis inanis sit) celebret devotione. Inde etiam est, Persas adeo venerari, desiderareque Babylonis terram, acsi terra esset sancta ipsorum; non minùs atque Christiana pietas Jerosolymæ adoptat, & universæ terræ sanctæ possessionem. Etenim cum prædicti Hasan, & Husein essent Machometi ex filiâ suâ Fatmâ nepotes; præsumpserê adversùs Damasci regem præfatum, ejusdem sibi arrepturi regnum: qui porrò injustam hanc eorum dominandi cupiditatem expertus, omni excufsâ ulteriori consideratione, ad mortem usque persecutus est eos. Quos proinde, cum Persæ sequaces sint Hali, ut ejusdem filios Martyres Sanctos Venerantur, per decem dies amarissimè eorum obitum deplorantes.

Hac ergo in solemnitate mares omnes Persarum æquè ac fæminæ, viri, puerique, nobiles demùm & ignobiles inexplicabilem animorum planctum miris clamoribus, & gesticulationibus demonstrare curant; per vicos omnes, plateas, ipsis imò in templis non desinentes exclamare, in hæc quidem condolentiæ verba Arabica: Vah veilah Hasan, Husein. Id est: Væ nobis! Ubi sunt Hasan Husein? nempe dilectissimi filij Hali. Hæc porrò dicentes, & caninâ rabie exclamantes, plurimi eorundem in majorem mortificationis, devotionis atq; planctûs ostentationem, prægravibus pectora contundunt lapidibus, salivas ore, & lacrymas oculis copiosissimas effundentes. Pueros quoq; denudant suos ipsimet Parentes, quos & carbonum nigredine pingunt, ut totis corporibus furiæ appareant infernales. Itaque promiscuè indefessi totam circumeunt civitatem prædictis verbis mortem Hasan & Husein exclamantes, fatui omnes Pseudo Prophetarum, atque Dæmoniacorum Martyrum ploratores.

Ultimâ tandem harum die, quæ Katil dicitur; id est, dies

 occi-

occiſionis, & in quâ eos occiſos dicunt, extremô anguntur conatu, ad oſtendendam animorum triſtitiam, & mærorem, an magis furiam; quippe horriſono ululatu, fletu & execratione inclamantes adversùm illum Damaſci Regem, Ottomannoſq; Univerſos. Tam deniqúe confuſa, terribiliſque eſt illius diei facies, ut extremum diem judicij adeſſe Lector ominareris.

Hac quoque in Solennitate conciones faciunt, atque proceſſiones inſtituunt, ita quidem; ut armis muniti magnâ incedant copiâ, his veluti mortuos ſuos contra Jezid, & inimicos eorum defenſuri; cum quibus tamen ſe magis ac alios vulnerant, ut infra dicam. Cæterùm vel ſola illa lethalia animarum ploranda ſunt vulnera; dum etiam Gens infatuata inſanô planctu dæmoni blanditur, mille penè malitijs ejuſdem dilaniatur. Porrò in proceſſionibus hiſce duo deferunt feretra precioſiſſimè adornata, ac ſi in ijs defunctorum jacerent cadavera Haſan, Huſein. Circa hæc funeſtiſſimâ harmoniâ intonat atrox corona perfidorum, luporum, leonum, atque taurorum, & horribilium omnium more beſtiarum Univerſi inclamantes, & miſerabili hôc leſsô feretra dicta conducentes in primum Meſgid, ſeu templum illorum. Tum vero feretris inibi depoſitis Orator Regius funebrem dicit ſermonem, excurrens primùm in occiſorum laudes immortales; dein verò in æviternam occiſoris maledictionem exaſperatus auget furorem populo; ſuam tandem hâc execratione claudens orationem, contra Jezid & Ottomannos.

Nehledber Jezid, ber Omer, Oſman, Abubechir.

Maledictio ſit ſuper Jezid, Omer, Oſman & Abubechir.

Populus verò horriſono pariter furore voriferans reſpondet

Hezar, Hezarunbar.

Id eſt. Talis maledictio, & anathema ſit infinitis vicibus ſuper illos.

Tum

Tum porrò comburunt ſtatuam illius Damaſci Regis Jezid, quam antea ſibi ex charta turpiter factam parant; quidam verò in ſuorum honorem innocentium occiſorum (quos inſani dæmonum miniſtros non agnoſcunt) acutis ſibi novaculis, aut frameis, in capite, facie, brachio inſcindunt vulnera, ſuo ſic ſanguine debitam, & conſtantem Prophetis ſuis conteſtantes devotionem. Atque huic quidem lugubri functioni adeſſe rex ipſe ſolet.

Cæterùm in die illâ Turca, aut Scytha nullus publicè apparere auſit, quemadmodum Judæi Romæ in ſeptimanâ ſancta non audent timore juvenum,& vulgi palam incedere. Dicunt etenim Perſæ, Turcas Scythaſq; non minus ſuorum Haſan & Huſein inimicos eſſe, ac ille fuerit Jezid; quippe quod & illi Patrem horum Hali non agnoſcant ut unicum, legitimumque Machomet ſucceſſorem.

Itaque dies decem maleſani cultores abſumunt in illorum mortis commemorationem, qui inferni jam habitatores exiſtunt deperditi. Utinam verò à Chriſtianis ediſcerent ſaniora, dum hi ſeptem ſingulariter diebus memoriam agunt, illiuſq; ſanâ mente paſſionem deplorant, atque mortem, qui verè Dei Propheta, Salvatorq; eſt Mundi, Chriſtus JESUS. Utinam inquam Sapientes Perſæ textum ſaperetis Iſaiæ, illud de Dei filio, in noſtram ſalutem morti tradito edicentis. (a) *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper illum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſq; in viam ſuam declinavit: & poſuit dominus in eo iniquitates omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ovis ad occiſionem ducetur,* & *quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet: & non aperiet os ſuum.*

(a) *Iſaia* 23. *v*. 5.

Ipsi verò procedunt in vanitatibus suis, insanâ magis pertinaciâ ducti, quàm rectâ ratione sapientes; ut sanè dicere ausim, Persas, tametsi à ratione naturali, quâ magis sese pollere, bonisq; insudare disciplinis, præ cæteris sibi vicinis nationib' demonstrant, promereantur & præ illis sapientiū titulū; in his verò quæ fidei sunt, cæcô etiā mentis oculô ad insipientes prolabi observationes, prout & ex dictis meridianâ clarius luce constat. Ast, occasione memoratæ festivitatis funebris, liceat enarrare factum mirabile, & laude dignum de Christiano in Christi fidem zelo. Quod breviter quidem aggredior.

Interfuerat ante aliquot annos cætui illi, ubi de Hasan Husein innocenter (ut putant) interfectis concio erat, Episcopus quidam Armeno-Persa, Stephanus Manug nomine, qui adhuc in vitâ existens, Christi meritò Martyr putandus est. Is namque durante illa funebri concione actuali, altâ incepit adversùm concionatorem voce reclamare, totum quod diceret inane, & ipsissimam esse falsitatem: omnes enim ex viperinâ Machumeti generatione, sceleribus & iniquitatibus esse plenos; duosque hos pariter, de quibus tanta orator ediceret, morte omni fuisse dignissimos: quorum proinde non absque scelere memoriam colerent; cum Christi econtra Domini atque Dei agere deberent festivitates, quippe verè innocenter mortui pro eorum omniumq; hominum salute. Quæ, inquit, dum recordari omittitis, facinorosis & scelestissimis populorum tantorum seductoribus malè sanâ semper devotione intenti, maledicti estis, atque abjecti ex gratiâ Dei cæli, omni digni cum perfidis vestris damnatione.

Considerare jam valuerit Lector amicus, quale in animis suis resenserint vulnus proterui & rabidi cultores malefactorum. Quô non furore in eum irruerint? Quibus non eum vulneribus dissecârint? Omnis imò jam jam in eum fremebat populus,

pulus, dentibusq; ſtridebant in eum, ut Judæi in Stephanum, jam enſes vibrabant ſuos, jam pugnis appetebant, jam pedibus inſiliebant. Aſt parvula adhuc latuerat ſcintilla miſericordiæ erga Chriſtianos, in quodam Regis Miniſtro, olim quidem Chriſtiano, tunc verò abnegatâ jam fide Machometano; cui cùm propè ſtetiſſet memoratus Epiſcopus, libertate etiam invitus gaviſus eſt. Is enim ferinam populi rabiem intuitus, commiſeratione ductus, pallium ſuum Chriſti famulo ſuperinduxit, quod cum tangere auſi non fuiſſent impij, prohibuit, ne hic veritatis Annunciator Evangelicæ, in mille, ut perfidorum furia dictabat, partes diſſecaretur. Cæterùm quod ille quæſierat, martyrium non refugiebat, ſed ſuo jam volutatus in ſanguine ultrò rogabat famulos ſe protegentes, abſtraherent quantociùs pallium, abirent, ſeque pro Chriſto ſuo mortem ab impiorum manibus obire paterentur: illi verò has ejuſdem lacrymas preceſque nihil exaudientes, nolenteſque ipſimet impientiſſimæ concedere rabiei locum, magnâ cùm charitate atque honore Dei ſervum ad ſuum detulere Conventum.

Atque tanta eſt, ut audiſti, Lector amice, infelicium iſtorum de Hali ut legitimo Machomet ſucceſſore, univerſâq; illius progenie, fides, zelus, & æſtimatio: qui, licet in perfidia, ſimiæ ſunt, ut ſæpe audiſti, Chriſtianorum, non diſparem Hali, & progeniei ejuſdem cultum exhibentes, ac ſanctis, Prophetis, & Martyribus Chriſtiani. Cæterùm & in hoc Chriſtianos æmulantur, quod, quemadmodum hi duodenum ſuſcipiunt, & venerantur numerum Apoſtolorum, ita & illi duodecim illos ex progenie Hali, quos inter duo ſunt ejuſdem filij Haſan Huſein, ut veros Seniores, & Legis Machometanæ propagatores venerentur, atq; agnoſcant. Sed quid colligendum amice? *Noñe (a) duodecim ſunt horæ diei?* olim inquiebat Chriſtus ſol ipſe omnis juſtitiæ atque veritatis, indicans Apoſtolos Evangelicæ

(a) *Joann. 11. v. 9.*

Legis

Legis ſuæ, quibus ille diem agnitionis Sanctæ toti mundo induxerat? Duodecim igitur illi Hali Poſteri, nonne duodecim ſunt horæ noctis? Cæcam illi, perfidamque, & omni rationis lumini adverſantem Lunatici Machometi legem veluti funeſta ſidera, æviternæq; cometæ damnationis indicunt.

Sed verò ſuæ taliter infelices populi perfidiæ adhærent, ut eam ſolam, quæ ſecundùm Hali eſt, Machometi legem, revereantur ut ſanctam; quâ etiam ratione Turcas, alioſq; aliarum ſectarum viâ in Machometi legem abeuntes, hæreticos nominare ſolent; quippe quod iſti quatuor illis credant Antipatriarchis, Omer, Oſman, Abubechir & Hali, quorum tres priores omninò abhorrent Perſæ, eorundemq; ſectas ſequantur. Quidam imò Perſarum peritiores, aliqualem habentes de rebus fidei noſtræ notitiam, conſilijſque pro temporum diverſitate in Oriente adversùm diverſas hæreſes congregatis, nonnunquam iſta mihi diſcursûs gratiâ edicebant. Sicut, amice, veſtra in religione ſunt nonnulli renuentes ſubijci uni capiti unumq; Chriſti Vicarium & Succeſſorem in Petro, alijſve huic ſuccedentibus Pontificibus Romanis agnoſcere nolunt, & confiteri; & proinde hi, quippe quod contra veritatem vobis probatiſſimam cæcâ proterviâ inſurgant, ſuoſq; in errores abſque fundamento ſolâ perverſi judicij pertinaciâ divagentur, jure à vobis hæretici dicuntur, odioque ubiq; habentur: ita pariter & nos noſtrâ in religione Turcas, Scythas, cæteroſq; omnes juxta viam Hali non abeuntes, ut hæreticos reijcimus, odioque proſequimur.

Denique Perſarum populi, quemadmodum Chriſtiani Sanctiſſimam Dei venerantur Matrem, ut virginem, etiam poſt partum illibatam, ita ij opinione inſanâ, & craſsâ nimis ignorantiâ æſtimant mulierem quandam, quæ Machometi eſt filia, Fatma nomine; non obſtante, maritum ejus Hali fuiſſe, diverſoſque

ſoſque ex his utriuſq; ſexus proveniſſe proles; quodque publicâ etiam laſciviâ infamis fuerit Fatma illa, eò ſceleſtæ atque fornicariæ vitæ, neſcio, quô Diabolicæ charitatis motivô inducta, ne videlicet ſcandalizarentur, aut angerentur illi, qui ſuâ fors capti eſſent pulchritudine. Hanc nihilominùs publicæ tot infamiæ notis affectam inſani perhibent illæſam adhuc ſervâſſe virginitatem. Deteſtabilis ſanè temeritas & quantum rationi etiam,humanoque judicio adverſa, tantùm ſanæ mentis amatori exoſa. Aſt hæc eſt Machumeticæ ſanctitatis ſphæra, ut carnalitatis vitiô, prout alibi dicam, circulô veluti inevitabili omnem ſuum clauſerit vivendi modum. Quid igitur mirum, quòd, cùm Prophetam, qui ipſa erat laſcivia, ſuſceperint, ſuſcipiant, venerenturque laſcivam ejus & filiam; de qua ultro nota canere facinora enormia caſſum atque ingratum laborem duxi. Unde de feſtivitatibus populi hujus plura dicamus.

Celebrant porrò alias inter feſtivitates Perſæ moderni quandam, ab ipſis vocatam Hid il Achavet, ſeu feſtivitatem fraternitatis, quam juxta curſum Lunæ obſervant, in memoriam diei illius, quâ Machomet ſuum generum & Patruelem ſibi adſcripſit fratrem, eundemque ſucceſſorem conſtituit ſuum,& in Eccеſia ſuâ (quæ quidem nulla eſt) locumtenentem, contradicentibus Ottomanorũ Pſeudo-Patriarchis Omar Oſman & Abubechir. Unde etiam eſt, Turcas non ſolùm hanc non celebrare, ſed & cane pejus & angue horrere, atque vel auditu odiſſe feſtivitatem. Cùm verò ab adverſo Perſæ majores atq; minores, omniſque demùm conditionis utriuſque ſexus maximas in die illâ patrare ſatagunt lætitias; ſtudentes autem ſingulariter devotioni, ſuiſq; pro facultatibus eleemoſynas largientes, gratiaſque agentes Deo, qui hac in mortali vitâ tam ſanctum iiſdem caput, atque Rectorem dare dignatus ſit, Hali videlicet,

cùm progenie ſuâ, quam Dei Propheta in ſuam adſcripſit fraternitatem. Hac etiam in ſolennitate Prophetam imitantes ſuum ipſi invicem in fratres quoque ſuſcipiunt; atque hoc quidem coram quodam eorundem Sacerdote, aut Sacrorum Miniſtro, cui hujuſmodi fraternitatem confirmare incumbit, adhibitâ quadam oratione vernaculâ in benè auſpicandam ſpiritualem hujuſcemodi fraternitatem. Unde ſentiunt hi Machometi & Hali ſectatores, in miſerâ hac periculoſaque vitâ ſubjectos eſſe mortales multæ rerum viciſſitudini; atque inde ut modicum à proximis, & qualecunq; habeant juvamen, hanc ineunt fraternitatem, quâ ſe ſpirituali veluti charitatis vinculo adſtringunt, ut,quibus invicem præſto eſſe poſſint in neceſſitate, poſſibili conatu, quâ precibus, quâ bonis temporalibus frater ſuccurrere fratri ſic teneatur aſſumpto.

Aliam quoque obſervant omnibus Machometanis communem ſolennitatem. Etenim poſt tempus jejuniorum, Ramazan, celebrant Hidramaſan,ſeu feſtivitatem trium dierum, de quâ jam ſupra à nobis facta mentio, articulo ſexto dum de Perſarum jejunio ageremus. Et in alia feſtivitate quam ſemel in anno juxta lunæ curſum obſervant, vocantque ſolennitatem ſacrificij, Arabico idiomate Ghurban, ex præcepto Machometi comedere tenentur de carnibus cameli, ſicut & in templo infra memorando camelum offerre, in memoriam ſacrificij Abrahæ. Dicit enim, mentiturque nequam Camelarius Machomet, Abrahamum Deo non Iſaac, ſed Iſmaël voluiſſe immolare; cumq; ab Angelo prohibitus eſſet, vidiſſe ad latus inter vepres, non arietem ſed camelum, & per hunc proinde ſacrificium ſuum obtuliſſe Deo gratiſſimum. Uſq; adeo hic camelorum nugator ſacras hiſtorias vertit in ſomnia: uſq; adeo ſapiens Perſis hujus eruditione (ſi etiam eruditio dicenda ſit, quippe mendaciorum inductio) facta eſt inſana.

Porrò,

Porrò, ut jam de locis peregrinationum, quos Persæ visitare assolent, quæpiam dicamus; primus est in civitate Meche, ubi sepultum suum colere solent Machometum. Atque huc nedum Persæ, sed & Machometani quicunq; magnâ è diversis locis confluunt devotione per annum. Quamvis Persis difficilior eò sit via, scilicet, vel per Turchiam; vel per Arabiam felicem, quâ securiores pergunt. Unde etiam intuitu perdifficilis itineris ad hunc Sanctitatis (ut stulti arbitrantur) locum, excusatos magis habent eos, qui Sophi Regis esse atq; appellari volunt, eosque tales esse permittunt, tametsi in hoc loco sancto Meche civitatis non fuerint; debent tamen, aliqua loca ex infra citandis visitasse, ut supra dictũ est, et paulò infra in hoc articulo dicemus. Cæterùm hac in civitate Templum est, quod Arabes Beitula, seu domùm Dei; aut Beitilchelie, id est domum Abraham appellant, de quo & in sequenti articulo dicemus. Hoc autem Templum Machomet & posteri ejus Kahbe appellant. Quod quidem nomen juxta veram interpretationem significat os illud solidum, quod à latinis talus appellatur; unde & taxillorum ludus conficitur, quô pueri præcipuè in oriente ludere consueverê. Dum ergo hoc templum à Machometanis vocatur Kahbe; idem est dicere, ac Templum habens tale os; quod scilicet aliàs in animali, basis est & firmamentum totius corporis, omniaq; membra fulciens & sustentans. Unde hôc vocabulô eo collimaverit Machomet, ut indicaret, Templum hoc esse bassim & fundamentum, omnium suorum superstitiosorum dogmatum. Quâ etiam ratione in mediũ templi illius unum hujuscemodi os Cameli aurô gemmisque ornatum appendit; quod & omnes eò peregrinantes pronô poplite adorare tenentur: tum, quia hoc os fundamentum, ut dixi, basisque esse creditur omnis fidei, & devotionis suæ; tùm etiam, quia illud de primo credunt esse came-

lo, quô usus est Machomet Dei Propheta, quemq; omnium maximè dilexit. Perpendat jam hic humana ratio, quam absurdas, absurdus hic Camelorum mercenarius de camelis & ossibus excogitaverit nugas, verè vel à pueris ludendus: ut ordo planè non sit imaginationis, quânam ratione persarum populus, cæteroquin sapiens, his adhærere possit; nisi eò recurramus; absente Dei gratiâ, superniq; defectu luminis, humanam etiam non posse non caligare rationem, quin in multis aberret.

Alter peregrinationis locus est in valle Kerbela propè Babylonem, sepultura videlicet Hasan Husein filiorum Hali, quò & annuatim complurimi peregrinantes deveniunt, de quo jam supra facta mentio.

Famosa autem, atque superstitiosis hisce numerosa est peregrinis Civitas Meseed in Chorasan versùs Scythas, ubi inhumatum corpus cujusdam Pronepotis Hali, nomine Himam Reza multâ venerantur insaniâ. Sumptuosissimum etenim inibi exstructum invisunt templum, maximis thesauris à diversis Regibus & populis ditatum. Siquidem non solùm reges Persarum cum suis, sed & Indorum cum Indis, Scytharumque reges cum Scythis suis, multis illud usque hodie ditant muneribus: hi in super asserentes, Templum illud, cum putatitio sancto suo Himan, non ad Persas, sed ad se de vigore pertinere. Persæ tamen tantâ hunc in locum inclinantur devotione, ut omnia bona illorum, qui sine legitimis se succedentibus hæredibus, vitâ funguntur, jure ascribant huic suo Himan Reza, ejusdemque templo. Ad hanc igitur domum opulentissimã totô anni decursu devotionis gratiâ abundantissimi confluunt Persæ, cujuscunque sexus & conditionis, diversa diversi pro status sui possibilitate munera deferentes. Sed & plurimi, antequam moriantur, pro ultimâ etiam voluntate testatam relinquunt, certam substantiæ suæ parsimoniam templo deferendam illi: tùm verò

verò & corpora ſua eò inhumari jubent, tanquam in loco, inſanâ ſuâ imaginatione ſancto, quippe in quo Himan ille Martyrium per eoſdem creditur obijſſe. Unde & civitas ipſa Meſced dicitur, quod idem ſignificat, ac locum Martyrij, ſeu in quo Martyr quidam obijt; tantumq; aucta eſt, ut non ſolùm à Vice Rege in habitetur, ſed etiam templo illius ſingularis præſit præpoſitus, quem Muteveli nuncupant. Tantâ porrò is gaudet authoritate, ut ſummo ab omnibus haberi debeatur intuitu; cujus & officium non per ſucceſſionem hæreditariam alteri communicari poteſt, ſed ſolâ regis & duorum Pontificum electione templo illi præficitur. Cæterùm ſtultè ijdem Perſæ credunt, quod illi, quorum corpora hac in Meſced Coraſan ſepulta jacent, in die judicij extremo obligati non erunt ad reddendam ſuis de operibus Deo rationem, idque ob merita ſancti hujus, quem ſuum appellant apud Deum fidejuſſorem, qualiter & eum nominant hoc vocabulo, Himam Zamin, quod idem eſt, ac fide juſſor. Quanti verò valeat hujus Himan Sanctitas, Lectori curioſo paulò liceat enarrare; veritate quidem mihi perſonaliter compertâ, ut mox referam.

Ante ſex circiter contigerat annos, puellam quandam in illâ Civitate Meſced, nobilis Perſæ matris filiam dilectam, clandeſtinè fuiſſe defloratam; quod ubi tandem poſt tempus conjecturare, ipsâ imò filiæ confeſſione reſcire debuit mater, verita confuſionem domui, familiæque ſuæ inde orituram, molita eſt falſitatem affigere ſancto ſuo Himan Reza, dæmoniacô cogitatu, pariter & effectu. Juſſit igitur filiam manè ſummo adire templum Himan, ibique cùm adhuc compareret nemo, altâ exclamare voce, ut inquiſitorum quidam accurrerent, quibus deflorata, & imprægnata protinùs aſſeveraret, adfuiſſe ſibi in templo per noctem recluſæ ſanctum Dei, Himan Reza, ejuſdemq; perpeſſam accubitum virginitate etiamnùm carere, ſan-

ctâ autem gaudere fæcunditate ob prolem à ſancto ſuſceptam. Neque caruit fine ſuo intentio frivola, atque malitioſa; cum enim ſub tempus paululum delituiſſet impertinens; ſummô illicò manè acclamavit, ut quantociùs templi cuſtodes & miniſtros, quippe proximos, accerſiret, illiſque ſupina palam faceret mendacia. Detulerê hi ocius ut veritatem, quô collotenùs mendaciô meretrix innatabat, ad templi Præſidem, iſque fallacem ad ſe vocitatam ſuper tranſactâ rei ſerie penitiùs inveſtigans compoſitô mentiendi ordine audivit à filiâ, quô ipſa fuerat à genitrice inſtructa. Jamque tum infidelis veritati, factus fidelis mendacio, portentum augurabatur prægrande, gratiamque mulieri à ſancto præſtitam, ut divulgaret, tubicines quaquaversùm in hilaritatis ſignum audiri juſſit; & accurrentibus gregatim populi turmis, totam intonare juſſit per Civitatem ſancti Himan honorem, portentumque nocte cum virgine patratum per omnium ora circumvehi. Non latitare potuit exiſtentem inibi Vice Regem populi rumor, totiuſque penè civitatis acclamatio inquieta; ut illicò & ipſe, cum totâ Civitatis nobilitate Templi præpoſitum accedere non dubitaret; & quemadmodum vulgùs omnis, ita & hi felices arbitrabantur ſe quilibet, qui ſancti Himan videndam obtineret puellam concubinam. Inito deniquе conſilio, cujuſnam iſthæc, à ſancto tacta, digna ſit in uxorem, diſcuſſis multorum votis concluſum, ut æquitati conſentaneum, non alteri, niſi Templi ſummo Præpoſito in conjugem fore adſciſcendam; ſancitô hoc equidem in effectum redactô. Proh ſtupendam mortalium cæcitatem! Si Himan veſter verè ſanctus eſſet, ut miſeri creditis, & portentosè mulierem impræguaſſet; nunquid non magis peccabilem inter vos virum ſanctâ hujuſmodi genitrice indignum reputare poteratis? Si ſemel ut ſuam ſanctus in templô aſſumpſit; illi relinquitote, qui iteratò utiq; eam viſitabit,

no-

nolens alteri concedendam. Sic denique Himan Vestrum in vias Hali, & Machomet Abavi sui abijsse creditis, ut & in morte carnis insudare vitio credatis omnes, quos, dum viverent, malignos spurcitiarum habuistis antesignanos. Hæc mihi fideliter mercator quidam Vice Regis illius Armeno-Persa, nomine Aristoteles, religione Christianus, qui, dum actu fierent, illa in Civitate extiterat, mendacesq; Matrem ac filiam noverat, retulit in Regiâ Isfahan: quæ & ego in Regis curiâ ridiculosè, ut novalia tunc recentissima primus enarravi, ridentibus quoque Persarum in aulâ doctoribus hac super insaniâ. Sed sub eam ipsissimam temporis horam, adfuerê Nuncij ad aulam Regiam, missi singulariter ad portentum hoc gloriosè edicendum, tùmque primum rei ut certæ habebatur fides cùm plausu vulgi, ast multiplicibus, ut ipsemet advertere potueram, sapientiorum in animo cachinnis.

Tandem præcipuus quidam peregrinationis locus est Civitas Ardevel, ubi olim resederat sæpe nominatus Schieh ille Sephi, atq; etiamnum corpore inibi humatus jacet, sub sumptuosissimo pariter templo, omnis generis redundante thesauris. Frequentatur ut plurimum devotionis gratiâ locus iste à Persis: quin imò cum Reges coronantur, ejusdem sepulchri habere benedictionem tenentur, vel per se imediatè, vel per alios, suô nomine eò peregrinos acceptam. Cæterùm & hac in Civitate hospitalia quædam sunt magnifica, in quibus plurimi aluntur Persarum, nedum ij, qui necessitate alimoniam quærunt, sed & ij, qui spontaneâ sese devotione relictis opibus ad pauperiem devoverunt.

Hæc porrò sunt loca, quæ, ut supra nominavimus, aut saltem ex his aliqua, visitasse opus habent, ij qui gratijs & privilegijs Sophi modo supramemorato frui desiderant. Ex quibus, quid nisi plorandam Lector amice, Persarum conijcis insaniam.

niam? Jam verò, cùm Machomet ex ſanis fecerit inſanos Perſas, occaſione inſaniæ horum, agamus & quæpiam, de inſaniâ ipſius, ejuſdemque originem, verſutiam, dogmata, & viperinas plures rideamus traditiones.

ARTICULUS NONUS.

De Machatore Machometo, ejuſdemq; Pſeudo-Prophetia, ortu, & propagatione.

OMiſſis multis, quæ multi de Machometo Orientis noſtri monſtro edicunt: cùm tamen & Perſæ, de quibus hoc in libro meo ſermonem inſtitui, eundem ut Prophetam Dei verum arbitrentur, quantùm veritatis neceſſitas, ſtudiumque brevitatis admittit, pauca quæpiam referre conabor, ubi & ejuſdem Pſeudo prophetiam, atque permultas Curani fabulas, manifeſta mendacia & contradictiones attingam, in confuſionem ſequacium ſuorum, & ædificationem atq; conſolationem Chriſti fidelium. In Arabiâ porrò mendacibus ſuis dogmatibus Machomet fecerat incrementa, prout & ipſe Arabs, atque in Arabia natus erat, non in civitate quidem aut oppido, ſed ſub tentorio, quibus tam Antiqui quam moderni Arabes pro domibus utuntur, atq; cum illis peregrinantur, circumvagantes in montibus, vallibus, atque deſertis Patriæ ſuæ, miſerrimi hyeme, æque ac æſtate. Fuit autem, ut ſui tradunt, ex tribu Cureiſci. Quæ quidem nobilior tribus erat ex omnibus duodecim Arabum tribubus. Matrem habuit Emna, quam aliqui Judæam fuiſſe aſſerunt, alij Chriſtianam Arrianam; complures verò, maximè Arabes, Arabem. Patrem verò habuit Habdala, qui in tribu ſuâ octo habuit fratres potentes atque divites inter Arabes. Mortuo porrò Parente Machometus à Matre datus eſt in tutelam Avunculi ſui Abas; qui illi (ju-

(juxta morem Arabum) commiſſit paſcere camelos, illiſque invigilare. Poſt verò tempus aliquod eundem promovit, ut mercaturam per camelos exerceret portando merces Avunculi ſui, aliorumque mercatorum Arabum ex Arabia ad Damaſcum & Syriam; rursùſque inde alias in Arabiam, datâ illi hoc pro labore debitâ, ut cæteris camelarijs mercede. Et quoniam hoc officium inter Arabes honorificum æſtimatur; Machomet ſic in eo ab avunculo ſuo collocatus, ut ſagax erat, perſpicaxq; ingenio, ambitioſuſq; novitatum amator, clam illicò addiſcere cæpit ſuperſtitiones arteſq; magicas â Monachis quibusdam Arrianis, perverſiſſimiſq; Chriſtianis, quorum ſub id temporis plurimi per Damaſcum & Syriam reperiebantur. Sicq; ab his veneficâ arte, omniq; Arrianæ perfidiæ veneno imbutus, hujus etiam in forma baptizatus, perſpicax naturæ lumen, aptumq; in verſutias genium, idoneum præſtitit Dæmoni inſtrumentum ad male ſana dogmata cum omnis generis ſuperſtitionibus introducenda. Igitur Camelarius hicceMachomet tranſactis quibusdam negotiationis ſuæ vicibus, portare cœpit unà cum mercibus ex Damaſco & Syriâ, dæmoniacas novitates & inſtructionum dogmata; primùm quidem incipiens nequitioſiſſima hujuſcemodi eructare verba in domo avunculi ſui, cujus ſub tutelâ, atq; mercede ut Camelarius vixerat: qui tamen dicta ab eo ſolùm riſerat, blandè eundem primâ fronte ſuper dictis inauditis commonefaciens; donec ob ſimplicitatem cordis ſui â vafro deceptus, & verborum nequitiâ captus ex increpatore, factus eſſet aſſenſor Machometi. Tametſi verò & paulò poſt aliqui ex fratribus atq; amicis perverſo ſenſu adhæſerint Abas & Machometo: complures tamen erant, qui moventes capita ſua, atq; multoties in verſutiſſimum Machometum cavillantes repudiabant inſanam doctrinam, in hæc nonnunquam verba indignabundi prorumpentes. Ex pueritia nunquid

nebulo puer camelos eſt inſecutus quibus & hodiernum uſq; diem inſervit? Nunquid his itineribus & mercaturis continuò oneratur? Unde proinde Divina illi ſapientia? Unde ille, ut nobis annunciet voluntatem Dei templi noſtri, miſſus ſit? Atq; inde horum unus, Machometi item avunculus, magis ejusdem aliunde agnatam penetrans malitiam, non ſolùm non audiebat eum; ſed ad mortem imò perſequebatur: volens quandoq; in publico eundem trucidare, quippe nugatorem, deceptorem, quiq; familiæ ſuæ totâ Arabiâ honorificentiſſimæ tantas inferret maculas. Aſt hâc ſuâ intentione cadere debuit, atque aliorum interventu hujus ſui avunculi manus effugit Machomet; qui hunc propterea, DEI ſui vice loquens, appellavit Abugehil; id eſt: patrem levitatis; itemque ex parte DEI ſui ſuo in Curano, vindicabundus eundem vocat Abulehet; id eſt: patrem flammæ, ſeu hominem, dignum igne, gehennâ, unâ cum uxore ſuâ, quæ & erat infenſiſſima vafro: de qua hic proinde etiam mendosè finxerat in eadem ſectione Curani ſui, qualiter DEI ſubjaceat minis, caſtigata in inferno per hoc, quod humeris ſuis onere inceſſabili ligna portet, queis ardeat in inferno maritus ſuus, quippe quod noluerit audire ſuum Prophetam. Cæterùm complures huncMæchani Machometi avunculum ſecuti, rejecerê vilitatem camelarij illius, malignaſque ejuſdem artes & dolos animadvertentes nullô non odiô perſecuti ſunt eum.

Donec tandem permiſſio DEI indignantis, forſan ob Chriſtianorum in Oriente ſcelera, viam admiſerat Machometo, & ſub hoc, generis humani adverſario Leoni infernali, ut rabidis faucibus circuiret, quærens quem devoraret. Uſque eò etenim Mæchanus iſte inter Arabiæ populos ſe ſe à DEO templi ipſorum ad nunciandum ejuſdem voluntatem mentiebatur Prophetam, ut tandem ſuccreſcente multorum magis magiſque adhæren-

rentia, ſtygis hicce miniſter exaltatus cum ſecta ſua, peſſimæ ſuæ virûs eruditionis palàm diffunderet.

Ubi tamen ſciendum, non omnia Machometi dogmata, fuiſſe omni à cognitione aliena inter Arabes, quod forſan occaſio eſſe potuiſſet, ne ſaltem de facili aut ita ſubitò illi adhærerent. Sed aliunde jam obſervaverant quædam ex his, quædam verò non abſimilia illis, quæ Machomet ijſdem tradidit: ut paululum explanabo. Circumciſio etenim Arabibus in uſu erat ante adhuc Mæchani adventum, introducta apud hos per Judæos antiquæ legis promulgatores. Sed & erat inter Arabes, confuſa quædam & imperfecta DEI unius, & Creatoris cognitio: cui & in quolibet anno ſacrificia offerebant, in quodam templo illius nomini dicato, quod, juxta traditionem ſuorum antiquorum, dicebant, eſſe domum Abraham, in qua unum ille adoraverat DEUM, & ſacrificia immolârat. Unde & vocitabant illud Beitula; id eſt: domum DEI; qualiter & hodie ab ijs nuncupatur. Item Beitilchelil, ſeu domùs Abrahæ. Huc etiam quolibet annô undecunque conveniebant devotionis causâ, Arabes antiqui, offerentes hic DEO Creatori ſuo ſacrificia. Uſu & illis erat, licet non ita frequens, lotio corporum in aqua: ſicut & oratio facta versùs meridiem, ubi erat conſitum templum ſupradictum: & denique ante templi feſtivitatem obſervabant antiqui Arabes aliquot jejuniorum dies. Et hæc quidem omnia, ut narrant Hiſtorici Syrorum Judæorum, Armenorum, ipſorumque Arabum, qui de antiquis populi hujus referunt moribus; ante Machometi adventum in uſu habebant: ut proinde nugator iſte, omnia Arabiæ nova non attulerit; ſed comprimis curaverit adorari ab illius populis, ut vir DEI, ejuſq; verax Apoſtolus. Quod quidem ſic permittente DEô, perfacile erat diabolo; quippe, qui arte ſuâ, vel ex inſenſatis aliàs locutus eſt lapidibus, ad populorum à vero DEO ſeductio-

nem; poterat utique talia ex fœtidiſſimo Machometi ore effutire verba, ut homines cæcâ jam mente præditi crediderint Prophetam, quem dæmonis neſcirent cooperatorem. Sic proinde ut Propheta ſuſceptus ab Arabibus, cepit ſuperaddere his quæ aliunde illi jam obſervaverant. Etenim templum Beitula, ſupranominatum, appellavit Kahbe, ſumpto nomine ab oſſe cameli, quod inibi ſtatuit adorandum. Sed & lotionem corporis in aquâ Arabibus jam antea conſuetam novis ceremonijs atque iterationibus auxit. Orationem versâ facie ad meridiem, ubi poſitum eſt præfatum templum, fieri, quemadmodum inter Arabes antea conſuetum erat, ſtabilivit. Jejunium Ramaſan, quod ante templi feſtivitatem aliquot antea celebraverant diebus, Machomet cum ſuis in triginta dies extendit. Hæc ergo & ſimilia antiquis Arabum obſervationibus ſuperinduxit, & vel ideo tantam non paſſus inter eos perfidiæ ſuæ reſiſtentiam, quin peſtilens virus valeret introducere, quod uſque hodie, tametſi in multas ſectas diviſum, toto penè craſſatur in Oriente, formidabiliſſimum inter omnia flagellum Chriſtianorum.

Porrò flagelli hujus initium ſi vafri computamus à nativitate Machometi, erat juxta communem Orientalium atque occidentalium Chriſtianorum computum anno poſt ſalvatorem Orbi natum Quingenteſimo ſexageſimo ſecundo. Illi verò, qui perfidi hominis mores atque dogmata ſectantur ut Apoſtolica, Machometani, computum ordiuntur non ex tempore ejus nativitatis, ſed ex die diſceſſionis illius ex Civitate Meche in Medinam urbem, de quâ infra ſermo nobis redibit. Anno verò Quadrageſimo ætatis ſuæ, aſſeverant, incepiſſe vafrum fungi officiô Prophetæ ſancti, commiſsô ſibi ſingulariter à Deo per Angelum Gabrielem: ut infra lectu habebimus.

Hic igitur Mechanus nullam calluit literaturam, Alphabetum imò & Arabicum ignoraſſe, ut tradunt ejuſdem ſequaces, de

de hac quidem Prophetæ ſui (ſed fatui) ignorantiâ gloriantes: quamvis alibi ſibi contradicant; ſiquidem in ſectione Sanguiſugæ legitur, Machometo dictum ex parte Dei per Angelum Gabrielem, legeret quantociùs ſemper in nomine Dei miſericordis atque miſeratoris, utque taliter ſcribatur, vel ſcribat ipſe librum, quem nunc Curanum appellant. Dum item ultimum vitæ punctum nequiſſimus ſibi appropinquare ſentiret, quod piam illicò poſteris conditurus teſtamentum, calamum dicitur, chartamque quæſijſſe: unde utique colligi poteſt, vel ſciviſſe Machometum literaturam, vel falſo plurima à poſteris ſuis ei, imò ab ipſomet ſibi affingi; forſitan & in hoc volentibus feliciſſimos nos imitari Chriſtianos qui Dei Sanctiſſimam legem per rudes nobis Apoſtolos traditam ſupernâ gratiâ ſortiti ſumus, loquente ex his ſpiritu, qui non erat ab homine.

Illô igitur maturô ſuæ ætatis tempore, quadrageſimo videlicet anno Machomet plenus jam Arrianâ audaciâ, æthnicâ, & Arabicâ perfidiâ, magiciſque comprimis adhærens ſuperſtitionibus, magnum ſibi diverſarum congerie ſectarum formaverat in animo confuſionis chaos, quibus jam ſano deturbatus à ſenſu, cepit fortiter à Dæmone agi, ut impie ſibi immiſſas adverſùs veram Chriſti fidem evomere non cauſaretur blaſphemias. Malignus etenim ſpiritus, cui jam totus erat appropriatus vafer Mæchanus, alternis eum diebus determinatô temporis ſpatiô, aſtantibus hominibus quoque multis, in terram horribiliter deijciebat, impiumque in modum collaphizabat contundebatque; unde factum, ut nequam ſui etiam impotens ſerpentis in morem per terram volutatus, lacrymas oculis, omnemque ſpurcitiam naribus atque ore emittens, eô, ac communiter obſeſſi Dæmoniaci facere ſolent, modô, varia omnia, mirabilia, & penitus diſparata Verba, ſenſuſque effutiret imperfectos.

Denique & his in casibus confusè omnia proferre cepit, quæ fatuus cæteroquin ruminatus erat, De Deo, De Angelis, De Prophetis, de Moyse, De Vacca, Monte, Poëtis, hominibus, Arabibus, Christianis, arboribus, stultis, Elephantibus, plantis. Item de Jerusalem, de circumcisione, de Græcis, de Maria Virgine, de Persis, de inferno, Diabolo, paradyso; de se ipso, de mulieribus, de Joachim, de Christo; de Curano suo, de Bestijs, cælis, stellis; similibusque omnibus inter se confusis, atque disparatis. Quod sanè in solitum fatuumque effutire, maximum circumstantium causare poterat terrorem; sed & magnam admirationem, siquidem vel Dæmonis dictamine, vel naturali sibi, & aliunde Mercatoribus (qualis ipse erat) communi verborum elegantiâ, ordinatâque terminorum combinatione (uti in suo videre est Curano) proferebat.

Hæc ergò, quam stulti credunt ex mendaci Pseudo Prophetæ testimonio, fuisse apparitionem Angeli Gabrielis, violenta mentis & Spirituum concussio, perversa supinæ malitiæ semina reliquerat in corde decepti deceptoris. Unde posteris temporibus, tametsi non caderet adeo violenter terræ allisus, semper tamen (ut stulti dicunt) timore, tremore, atque reverentia in Angelum suum visitatorem ferebatur, & furiosorum, obsessorumve more, subitò quandoque sese ex amicorum conversatione segregans exibat, hinc inde sese in Angulos abscondens, genua flectens, cælum aspiciens, manibus elevatis complaudens, caput gyrans, suspiria emittens, altum vociferans, similesque permultos motus inordinatos, ridiculosos que visu præstabat gestus; quod dum ille faceret, dicebant sui: perfidum suo jam denùo conversari cum Angelo, & devotiora miscere colloquia, quæ nutus illi, & fatua signa exteriora sibi indicarent. Neque errarunt utique, Machometum cum Angelo miscuisse colloquia; etenim & Lucifer Angelo-

rum

rum peſſimorum Angelus erat collocutor: Gabriele non niſi ad ſalutis nuncia à Deo deputatô.

Hæc omnia uſque adeò ſubitò palam eſſe non poterant; ſed charior inter cæteras, atque fidelior Machometi mulier, de quâ infra, nomine Haſce, videns mirabilem, atque horribilem illum inſani caſum, pluresque ex hinc mentis abſtractiones (quin potiùs infatuationes) ex eo ad ſe reverſo ſollicitè ſciſcitabatur: ecquid portenti inſperata, & nunquam viſa hæc omnia indicarent? Tum verò ille aperiens confeſſionem, an magis confuſionem ſuam; adfuiſſe ſibi Angelum Gabrielem Dei vice, cujus & Majeſtatis timore ac reverentiâ perterrefactum in terram ſe cecidiſſe, ſicque jacentem, ut viderant, audierantque adſtantes, datô ſibi propheticô ſpiritu, edixiſſe, quæ edicenda ex parte Dei erant. Inſanô porrò virô inſanior jam facta mulier nullâ non voluit tripudiare lætitiâ, ſuper marito, propheticô ſpiritu tam manifeſtâ viſione donatô, quod & ipſum omni feſtinatione cæteris palàm fieri ſategit mulieribus Arabum Seniorum: quæ & ſuis hoc illico nunciantes maritis, factô de domo in domum rumore indies majori, curioſos inſanæ novitatis ſtimulaverant viros, ut ab Haſce rogare non dubitârint: indicaret ſibi quantociùs, ſi quo forſan tempore vel horâ Machomet ſuus ſimili cum Angelo gauderet viſione, ſuaſque proferret iterato prophetias; quatenùs & ipſi futuri ſic oculati rerum teſtificatores, in Prophetæ Dei honorem atque exaltationem indubij valeant propendere. Cùm poſteris ecce diebus, ut ſuum ſortiretur diabolus fraudis exitum; iterato ut antea furore concuſſerat, atque in terram horribiliter alliſerat Machometum; feſtinante illico ad cæteros muliere, multôque hominum affluxu congregatô. Sic igitur viſio tam abſurdi, horrendique ſpectaculi ab homine dæmoniaco, occaſio prima eſſe potuit, ut cæci aſtantes cæcô judiciô ominarentur, firmâq; imò opinione

pinione ſentirent, DEI hunc magnum eſſe Prophetam, quippe talia, tamque mira, & modô nunquam visô edicentem. Conſtituêre porrò virorum tres, quos fide habuerant digniores, ſed & jam dæmonis fraudi peridoneos, primum Omar, ſecundum Oſman, tertium Abubechir, quorum ille quidem Oſman, ſuô inter Arabes tempore celeberrimus erat ſcriba, Rhetor, atque Poëta; Omar verò atque Abubechir maximâ nobilitate, authoritateque inſignes. Qui proinde ſequaces erant, atq; impij promulgatores inſanæ perfidiæMachometi. Similiter & Hali,Gener & patruelis ejuſdem, vir artibus, quà magicâ, quà militari eximius. Cæterùm priores tres potiſſimum Machometo adhæſerant, ſemper eidem aſſiſtentes, cum viſitationem haberet diabolicam, ſcribenteſque, comprimis Omar, omnia, quæ ille horribili ejulatu edicebat, ſuper oſſibus Camelorum, tabulis, corticibus arborum, & quâlibet aliâ materiâ ſcripturæ aptâ, ſibique pro manibus exiſtente. Durabat autem hujuſcemodi dæmone dictante lectio, ultra quandoque, quandoque & infra horæ ſpatium, juxta fortiorem, minuſvè fortem maligni ſpiritûs agitationem. Scripta dein ad certum locum ex hoc fine deſtinatum, veluti ad commune Archivium deportantes, omnia inibi inter ſe revidebant, omnia in conclavi, ubi & quantum intellexerant, melius diſponendo, & accuratiùs alijs in tabulis annotando. Tum verò primùm proponebant populo, de conſenſu, atque induſtriaMæchani eidem dicentes. En tibi popule; DEUS & Dominus templi noſtri hæc jubet, & dicit per Apoſtolum ſuum. Illis porrò ut fide dignis, atque ad hoc authoritate publicâ deputatis, omnem populus adhibuit fidem, gratias DEO protinùs unà referentes, qui tali, tantaque doctrinâ viſitare eos dignatus ſit.

Eruperat igitur inſanabilis perfidiæ hujuſcemodi peſtis,omni jam ſubitò, quem afficeret, exitioſa: dæmoniacaque hæc Mæchani

chani prophetia undecim penè annis intonuit in civitate Meche, crebris ſemper Angeli habitis à perfido viſitationibus; donec tandem ex oriente Majorum Arabum in eum conſpiratione, patefactiſque enormibus quibuſdam ſceleribus ejus, fugâ ſibi nequam cunſulere debuiſſet, Arabum cæteroquin conſiliô occidendus.

Igitur ex civitate Meche fugitivus abſceſſerat Mechomet in Medinam urbem; ubi porrò, ut ſuæ maneret perfidiæ nomen, & non malâ de causâ eo adventâſſe eundem populo conſtaret, diabolicum denuò protulerat inventum; dicens: ſe ex Meche diſceſſiſſe, quippe ubi templum Domini ſanctum, & ab hoc demum ipſo civitas eademmet ſancta eſſet, ut ſcrupulo duceretur, expediatne ſibi, adhuc mortali, in loco tam ſancto habitare. Inde ergo inquiebat ſe Medinam adveniſſe, tanquam qui illius ſanctæ Civitatis incolam ſe ſe profiteretur indignum, hic jam Dei verbum habeat ultrò ſeminare. Rideat nonne mens ſana hæcce ſomnia? an magis ploret ſomniantem populum, mendacibus hiſce nugis jam totâ ratione obvolutum, nullâ jam Evangelicâ tubâ ad ſanam Chriſti fidem ultrò excitandum?

Ex hac itaque tranſmigratione Machometi in Medinam, atque inde de civitate in civitatem, numerant ſequaces annos ejus, ſecundùm citiorem, ſerioremve adventum; non verò ex nativitate ejuſdem: quippe quod dicant, in ſua nativitate illum Prophetam non fuiſſe, neque boni quidquam per adoleſcentiam egiſſe, donec à Deo electus in Mecha Dei Propheta, inibique frequentibus Angeli colloquijs inſtructus, Apoſtolicum munus inceperat, migrando inde in Medinam; ubi primùm inceperat ſingulariter reſplendere prophetia ejus ad populorum illuminationem: quâ proinde felici peregrinatione, numerum annorum adventûs ejus inchoant, vocantque eam Hogiret; & ab ea ſecundùm eorundem communiorem computum jam vertitur milleſimus annus.

In dicta porrò civitate Medina, per annos duodecim ſimiles iteratò habuit Angeli, qui dæmon erat, revelationes: & demùm ubique locorum exiſtens præſtigijs hiſce vexabatur & nugis: donec animam aliunde diabolo jam debitam, eidem & redderet; jubens dum in vivis eſſet, ut corpus emortuum deferretur in ſanctam illam Civitatem, quam reverentiæ causâ vivus reliquerat; Meche videlicet, ubi ſuum eo in templo poſt mortam requieſcere deceret corpus. Vixit autem homo, utinam nunquam natus, annos ſexaginta tres, quorum omnes ex quadrageſimo ſtultitijs fatuiſq; ſuis dogmatibus impendit, omnem quidem doctrinam ſuam, in, & ex præfatis duabus urbibus, ut draco venenum ad diſſita etiam loca eructans; ut patet ex ipſomet Curano, cujus articuli omnes, ſeu ſectiones, quas ipſe, Surat, vocavit, ſunt vel ex civitate Mecha, vel Medina. Verùm, ut inſana mens ſibi contradicere etiam inadvertenter ſolet, ad palam faciendam mendacem intelligentiam ſuam; ita & Machomet ipſe Propheta falſiſſimus, ſibi manifeſtè contradixit, dum quodam in loco, omnes ſuos articulos, ſeu ſectiones, id eſt, Suras, ſemel & ſimul in unà ſibi ex his civitate à Deo veniſſe aſſeverat.

Jam autem mortuô Mæchanô, nulla non lis, rumor, odium, atque confuſio, oriri poterât, prout & ſubitò exorta eſt inter populos Pſeudo-Prophetæ hujus, tam confuſa, inſana, ac diſparata edicentis doctrinam ſectantes, deque legitimo ejuſdem ſucceſſore nulla non dubia vertentes.

Sed verò eviceratt andem multos inter ſtrenuè competentes Omar cum ſuis adhærentibus, adversùm alios, præcipuè Hali, de quo in ſuo loco. Is porrò ut legitimus Machometi ſucceſſor, zeloſuſque Curani interpres ac propalator, armis pariter, atque adhortationibus dominari cepit animô, regnôque Arabum, & devaſtare porrò Imperium Romanorum: atque ita Plutonis excrementa terris numerô atque dominiô incre-

crevêre, ut fætorem perfidiæ intolerabilem Orienti diffuderint & Occidenti, cum extremâ, ut usque hodie experimur, nauseâ Christianorum, atque utinam non attentatô toties Universali Evangeliæ veritatis exterminiô. Quid verò ad hæc dicamus, amice Lector, nisi, quod magna sunt Dei judicia, & viæ inscrutabiles, in cujus manu sunt omnium jura regnorum, quique gratuito sceptra confert, aufferre & illum pro placito nemo prohibebit.

Hæc porrò origo est prophetiæ infernalis, ejusdemque in mentes hominum irruptio, cujus tamen inania dogmata, mendacia atq; falsitates noli me prohibere, ut paulo perscuter, amice Lector, patefaciendo fabulas per quàm ridiculas, & contradictorias, disparatasque nugas complurimas, quibus totus Curani nucleus, neruusque omnis doctrinæ Machumeticæ, veluti fundamentis ex sterquilinio assumptis innititur, absque sanæ dictamine rationis.

Primam quidem ipse fidem atq; authoritatem Curano suo, omnique avernali prophetiæ, ut faceret; splendidô comprimis miserabilem, quam à Dæmone perpetiebatur, afflictionem, mendaciô depingebat, ut crederetur reverentialis in Angelum Gabrielem timor, quo in ejus conspectu & apparentiâ concussus, ad terram sese semper prosternens tantam se adorare mentitus est majestatem. Jam verò crassum penè adversùs hujuscemodi mendacium, quis sanâ non ratione insurgat: sed relinquamus, alioque utamur argumento. Dicitote quæso excæcati Machometi cultores; num vestrâ in Arabiâ, & compluribus, quas possidetis terris, nunquam videritis mulierculas, vetulas, simplices, nulliusq; pariter literaturæ compertas, hasque sæpè sæpius vestri more Machometi, subito in terram casu ruentes, mirabilia de diversis mirabili verborum elegantiâ effutire, quas tamen & vos malignô agitari spiritu, aut Epilepsiâ

ominamini laborare? Complurimos ego ipſe homines, in Arabia, & Turcia vidi oculatus, viros æquè, atque mulieres, è quibus neque Prophetam vobis, neq; elegeratis hactenùs prophetiſſam, tametſi æquè inſana, ac Machomet Veſter edixerint. Hic igitur unde unicus vobis à Deo propheta? Malæ forſan dicetis, peſſimiq; exempli vitæ fuiſſe tales, unde ominari non liceat, niſi vel morbô, vel ſpiritu maligno in pœnam delictorum, vel inſaniâ aut malitiâ hos agitari: id ultra vobis permiſero; aſt ubi hæc vobis de Sancto vos inter etiam reputatiſſimo, nec tamen prophetâ habito edixerim; quam tum Machano veſtro peculiarem excellentiam attribuetis? Sceih Omar Ibin Faret, Sanctus in lege Sancti veſtri, Ægyptiacus, inter vos nominatiſſimus, omnis ac Machomet literaturæ, ut ipſimet de utroque fatemini, expers; nonne taliter & ille ſæpè ſæpius caſu ſubito in terram corruebat, diverſiſſima de diverſiſſimis exclamans, prodenſque, & majori quidem elegantiâ elocutus, ac Machomet ipſe veſter in Curan ſuo? Nonne eorum, quæ effutiebat, ſerios habuit amanuenſes? Nonne ex his, quæ ſexaginta annorum ſpaciô edixerat, librum hi compoſuêre majorem, atq; elegantiorem Curano? Is nonne hodiernum uſque in diem magnâ apud Arabes gaudet æſtimatione? Verbo: liber ille, Divan Sceich Omar Ibin Faret, ſeu dialogus ſenis & Venerabilis Omar filij Faret, quantæ inter vos audit æſtimationis atque laudis? Jam verò quis Machometanorum veſtrorum hæc Omar aſſerit, dixiſſe ex aſſiſtentia, dictamineque Angeli Gabrielis? Si hunc afflante incognitô quodam ſpiritu ſuo protuliſſe aſſerueritis, uti & aſſeritis; quæ major erit veſtro de Machometo ratio, qui caſu, ſtultitiâ, ſomnijs licet par, ſuppar tamen erat elegantiâ proferendi Omar veſtro? Reſponde ad hæc; atque ubi majorem pro Machomet edixeris rationem, illlam impugnabo veritate falſitatis univerſæ experte. Illud cæterùm, quod
veſtris

veſtris vobis in partibus palam edixi, replico: O ſtulti Machometani! Per vos ſi non æquè, ac per nos, ſpiritus Angelicus à Deo miſſus, ſpiritus eſt pacis, tranquillitatis, charitatis, ordinationis, & ſuavitatis; in eo, in quo habitat, habitans ſine perturbatione, & indecentiâ? cùm veſtrum econtra Machometum, ſpiritus agens in bella, diſcordias, confuſiones, ſubverſiones, atque amaritudines, viſitans eum in contuſione corporis, omnique morum indecentiâ, quomodo propheticus, quomodo Angelicus, quomodo Divinus eſt Spiritus?

Quid verò jam ultra edixerim? hanc corporis agitationem violentiſſimam, clamores hos inſanos, dogmata inordinata, edicta ſpurcitijs plena, nunquid indicio erant, nedum Chriſtianis, ſed & Judæis, compluribuſque imò Arabibus, unde evidentiùs conclusêre, malignô Machometum veſtrum ſpiritu agitari, qualem & eum multi palam edicere non formidarunt? Unde conijcies amice Lector, nec inter Arabes, alioſve infideles ſanctæ æſtimationis univerſaliter extitiſſe Mæchanum.

Aſt vafer cum ſuis, illis comprimis tribus, Omar Oſman, & Abubechir, ora ſibi obloquentium protinùs obturare non diſtulit, cum enim nominatos tres, in ſui, ſuæque perfidiæ defenſores juratos, individuoſque haberet comites, eum utique ſine proprij honoris diſpendio non relicturos; aptum excogitaverat adversùs vulgum ſimplicem correptionis modum. Finxerat ergo ſuo in Curano, & quidem in Surat Neba, id eſt, in ſectione prophetæ, Deum per Gabrielem, pro ſe Machometo, tanquam magno ſuo propheta, ſequentia edicentem. Quid petunt, ſive quærunt homines de prophetâ meo? Quomodo diverſi ex ijs, diverſa de illo ſentiunt? Et aliqui quidem dicent: Quis eſt Machomet, niſi Camelarius ille, atque vilis, & ignorans homo, quem cognoſcebamus? Alij verò dicent; malô torquetur ſpiritu, habetque Angelum Sathanæ, cujus agitatio-

ne in hæc, atque similia somnia prorumpit. Tale igitur donum prophetiæ unde convenit illi? Hæc, hisque similia homines meo sentiunt de propheta. Præsumpserat etenim vafer, hôc Dei nomine edicto à se prolatô, atque per Interpretes, scribasq; suos populo sibi contradicenti palàm factô, fore, ut majori in perfidiam suam assensu ferantur: unde ridiculosa hæc edicta, in illa habet sectione. *Quidne quærunt homines ex Propheta meo magno, qui homines certè sunt circa illum ita discrepantes. Certè in fine scient. Iterum dico: certè in fine scient. Nonne fecimus, terram, ut cunas infantium, quæ solent esse in motu? & montes fecimus paxillos ejus, quibus stabilis facta est? & creavimus vos pares, marem & fœminam,* & *fecimus somnum vestrum suavem? & fecimus noctem pro indumento, & diem pro actione? & ædificavimus super vos septem cœlos, & fecimus luminaria lucentia? Et descendere fecimus aquam dulcem ex nube Muhsirat, ut illâ mediante exire faciamus granum, plantam, & hortos fertiles? Certè* (inquit Deus à Machomet somniatus) *dies distinctionis* (scilicet dies ultimus) *est limitatus, & est dies, in qua* (puta Angelus) *sonabit cornu, sive tubam, surgentq; homines in exercitu; & tunc aperietur cœlum, eritq; cœlum apparens in tot portas: & montes ambulantes, & erunt apparentes, ut aër calidus: & tunc infernus erit justus superbis dignè in eo dormientibus. justè non gustabunt in illo quidquam frigoris & potûs, nisi calorem, & malum pro mercede correspondente demeritis ipsorum; quia illi fuerunt tales, qui non cogitabant dare rationem: & sunt illi, qui mentiti sunt mendacio his nostris versibus miraculosis, & omnis res est contenta in libro* (scilicet Curano.) Et *gustate* (dicit; inquiet tunc Deus inobedientibus, & ressitentibus libro huic) *non augebo vobis aliud, nisi pœnam: At verò timentibus deliciosos hortos, uvas, & vasa terrea, & scyphos magnos; & non audietur in illo* (utpote Paradyso) *nisi dictum hoc: salus! salus! At mentiens non ita, cujus merces erit*

à Do-

à Domino suo; cui ille erit redditurus rationem, qui est Dominus cœli, & terræ, & eorum, quæ sunt in illis. Cernis amice, quomodo scelerator ex paradyso Cauponam faciat, cellariamque vini potatoribus expositam. Sed tandem verò fabulosum suum, concludens discursum ait. *Ecce jam admonuimus vos de pœna proxima, & de die, in quo videbit homo, quod antecesserit, sive fuerit in manu sua. Et tunc dicet infidelis, sive incredulus: utinam essem terra.* Hæc & similia in suæ pallium nequitiæ versutus finxerat: cum autem insinuat, quod infidelis, seu suo Curano incredulus in illa die dicturus sit: *Utinam essem terra*; eo collimat; siquidem Mæchanus hic alias inter fabulas, nugatur & isthac: in die videlicet judicij, non solùm homines comparituros, sed & bestias, brutaque omnia animantia ante DEUM: hæc porrò tunc querelas proment suas adversùm homines illos, à quibus ultra modum per vitam hanc vexata sunt, aut afflicta; unde & his juxta culpam DEUS injuncturus sit pœnam. Cæterùm cum bruta plus nimio hominibus hac in vita infesta aut insolentia, sive usui humano fideliter deservientia, nec beatitudinis præmiô, nec inferni pœnis capacia sint, sentit ea nugator, vel in nihilum redigi, vel in terram converti. Itaque infidelem & peccatorem illâ in die sortem sibi bestiæ electurum dicit, clamaturumque: *Utinam essem terra.*

Porrò insanus hic Erebi propheta non omnes peccatores in æternùm damnandos asserit; sed illum qui dum viveret, Curano credidisset suo, quocunque etiam in peccato hac ex vita migraverit, passurum quidem pænam aliquam in inferno, severiorem aut longiorem juxta criminis enormitatem, suô tandem tempore avocandum in paradysum. Non Machometanos autem, Curanique sui desertores, æternis addicendos inferorum pænis, è quibus nulla unquam futura redemptio.

Pulchrum sanè parturijsti infelix terra prophetam; sed magis

gis sunt infelices, qui humanâ prætermissâ ratione in eum fide feruntur, non advertentes quod secundum sua etiam fundamenta, fideique dogmata nullius reverà Prophetæ titulo gaudere possit. Placeat vobis, o miseri, ut vestra vobis doctrinâ palam faciam, quà ratione Mæchanus iste Dei Propheta verus nec sit, nec esse possit.

Per vos etenim verus Dei Propheta essentialiter requirit sanctitatem, puritatem, innocentiam, nedum ex parte suâ, sed & suorum ex parte parentum: cæteroquin, ut sentitis, neque dignus inter Deum & hominem mediator erit, neque infallibilem circa hæc, quæ annunciat vobis, promeretur fidem. Dico, *per vos*, nostri enim sentiunt Theologi, gratiam gratis datam, qualis & prophetiæ donum est, etiam stare in peccatore, nec essentiale esse prophetæ, esse sanctum, purum, innocentem, seu ex suâ, seu parentum suorum parte. Vestræ igitur secundum vos rectæ (tametsi reverà falsæ) opinioni liceat subsumere. Totum contrarium vestro de Machometo fateri cogimini; perperam igitur ut Prophetam agnoscitis. Quod si subsumptam probare vobis necesse sit; nunquid Machometi Patrem Habdala, Auum Habd il mutalib, Abauum Hasuin, tritavumque Habdmanaf agnoscitis? Horum igitur sanctitatem unde probare potestis, qui non valetis certam in ijs probare fidem; utpote qui de Deo juxta legem Moysi aut Christi (quorum veram vos ante Machometi vestri Prophetias doctrinam fuisse sentitis) nullam genuinam habuere cognitionem, sed confusum aliquod obstrusumque tantummodo lumen, Arabum modo, quorum & vos fidem Arabum cum dogmatibus ante Machometum creditis, ut plurimùm rejecistis? Parentum porrò Majorumque Machometi vestri sic improbatâ sanctitate, plenâ vos unà mecum voce conclamare oportet, Machometum origine sanctum non fuisse, quippe ab infidelibus, vel dubijs saltem

tem fidelibus natum. Si origine non ſanctus, nec ſanctitatem à Parentibus traxit, quomodo Propheta verus, quomodo dignus inter vos & DEUM mediator, ſiquidem talis actuali ſecundùm vos originalique juſtitiâ, ſuâ, parentumque parte præditus eſſe debet? Aſt ipſammet Prophetæ veſtri perſonam penitiùs intueamur? In quadrageſimo ille ætatis anno, uti perhibetis, donum à DEO obtinuit prophetiæ; tempore porrò antecedente, vel in lege Moyſis, ut quidam putatis, vel in lege Chriſti, ut alij ſentitis, vel demum, ut vultis alij, in lege propria à ſe inventa ſteterat. Certam igitur nunc, ſi de fide recta Machometi hujus prioribus annis habita non habetis cognitionem, unde veram in eo fuiſſe probatis ſanctitatem per vos eſſentialiter requiſitam, ad hoc ut ei à Deo Prophetiæ donum infundi potuerit. Certè qui de fide incerti eſtis, ſanctitatis certitudinem habere minimè valetis. Sed ultra eſto, fuiſſe eundem in fide quadam certa, imò ſub lege vixiſſe Chriſti: id vobis non ſufficiet ad veram ſanctitatem fidelitatemque Machometo veſtro adſcribendam: ſi etenim aliqua ex his fides erat ſancta, illa nempè, quam Machomet tunc tenuiſſet; certò illam ultro in quadrageſimo anno, & poſteris improbare non potuit, ut falſam; omnes autem improbavit, & Moyſis, & Chriſti, & cujuſcunque fidem alteris Prophetæ, ſua ſoliſſima Curani ſomnia, ut vera à Deo dictata dogmata effutiens; omnes igitur ipſe agnovit falſas. Unde in quacunq; fuerit; in falſa fuit ante quadrageſimum annum, ſi in falſa, infidelis: ſi infidelis, veſtrô ipsômet jam ſenſu donô prophetiæ incapax. Cæterùm nolim ego hic recenſere flagitia perhorrenda, & Chriſtianis auribus per quam odioſa facinora ab hoc Pſeudo-Propheta perpetrata, quæ tametſi quidem ab ipſiſmet Machometanis reticeantur, rei tamen veritate aliunde conſtant: unde inſignem malitioſi non probare, ſed improbare poſſes ſanctitatem, amice Lector. Ejuſdem ſolummodo

do prophetiam eventilemus, viſuri, quid fabularum, mendaciorum & contradictionum congeſſerit in eandem.

ARTICULUS X.

De fabuloſo & mendaciſsimo libro Curan, cæteriſq; compluribus delirijs Machometi, & ſuorum ſequacium.

PRophetia porrò Mæchani hujus قران ſeu Curan dicitur: quod Arabico idiomate ſignificat librum ad legendum. Curaniſtarum etiam traditione incepit à Surat, ſive ſectione ſanguiſugæ, dictata Machometo per Angelum Gabrielem in civitate Mecha; hancque ſectionem in ſua lingua vocant سورة العلق *Surat ilhalak*, id eſt: caput de ſanguiſuga. Audi porrò veſanam inſaniam, quam vafer per Angelum ſanè non Gabrielem veritatis dictatorem, ſed dæmonem mandaciorum patrem dictatam evomuit. Ita igitur incipit Angelus ejus. اقرء باسم ربك id eſt: *Lege in nomine DEI Domini tui, qui eſt Creator, & qui creavit hominem ex ſanguiſugâ; etiamq; lege, quoniam liberaliſſimus eſt, qui prædeterminavit totum, quod eſt, & erit in mundo, cum calamo in tabula raſa. Et talis eſt Deus tuus, qui docuit hominem aliquid, quod ipſe neſciret; attamen homo ſuperbijt: quem dum vidit ſuperbientem, denegavit ei ſcientiam illam. Profectò Domini tui eſt regreſſus, &c.*

Vide Lector, qualiter hominem ſomniet è ſanguiſuga creatum. Tum verò diſparatiſſima loqui pergit, quæ hic recenſere longius foret.

Vocatur autem & liber iſte مصحف Muſahf, ideſt, continens aliquid, ſeu habens ſuperficiem: Arabicè enim Sehaf, ſuperficiem ſignificat. Dum igitur dicitur Muſaf,

ſaf, idem eſt, ac liber ſuperficie paginas continens: quamvis antonomaſticum apud Arabes Curaniſtas hoc ſit vocabulum, idem ſonans ac liber Canonicus. Sed & فرقان Firkan nuncupatur, id eſt, faciens differentiam ſive diſtinctionem; eò quòd hujus libri ſectatores inquiant, hôc ſe librô ab aliis eſſe diſtinctos, omnemq; fidem aliam eſſe abrogatam, & exterminatam.

Conſtat porrò liber hic phraſibus, vocabuliſque permultis ex linguis Hebraicâ, Syriacâ, Chaldaica, verbis imò alias penitùs inauditis; unde non poteſt non inferri, à Diabolo univerſa eſſe conquiſita, à rudi verò homine Camelario, qualis Machometus erat, ad inveniri minimè potuiſſe. Hac etiam ratione Arabes Caraniſtæ, coacti ſunt in multis linguam mutare Arabicam, addendo vel diminuendo, ut ita eam interpretationi libri hujus tam confuſa & diſparata loquentis, redderent accomodam atque intelligibilem. Liber denique non abſimilis turri Babel, ubi omnigena linguarum & veritatis confuſio. Sunt namque & ſingularia qnædam nomina, quæ vel in alijs Arabum libris non inveniuntur, vel etiam inventa, id ſanè non ſignificat, quod hoc in Curano ſignificare debent. In multis imò categoricus nullus ad inveniri poteſt intellectus. Ita tamen ignorantia ejuſdem ſactatores excæcavit, ut ſi quandoque à quopiam ſuper unius ſic inexplicabilis textus intelligentià requiratur, in ulteriorem falſitatis picturam, ſuæque ignorantiæ excuſationem dicere ſoleant. الله يعلم *Hala jehlam*: id eſt, Deus ſcit. Sed & hoc proverbio paſſim utuntur in ſenſibus aliunde claris, volentes ita ſublimitatem ſubtilitatemque myſteriorum, falſo hoc ſuo in Curano contentorum, indicare. Unde etiam cautum eſt inter eos, librum hunc Curani interpretari aut legere aliâ linguâ, præterquam Arabicâ; quippe quam ſentiunt linguam eſſe ſacram, ſanctamque, quâ Deus ſuo locutus ſit Machometo, dictumque eidem librum per Angelum

dictaverit Gabrielem. Cæterum, quod verius nemo non arbitretur, ideo librum hunc aliô idiomate, tradere legereve non audent., quod ſic deperderet verborum energiam, verſuumque leporem & elegantiam, unde conceptus tolleretur fucatæ veritatis, quam ſub vanâ eloquentiæ umbra, phraſique Arabicâ verſutus ementitur Propheta: unde forſan & vulgus ipſe nugas rideret & fabulas inſanientis.

Dicite verò; Virgilius in Poëticâ, in Rhetorica Cicero, quantô verborum ornatu edixerê ſua, bonas in ſuper morum inſtructiones, ad audientium legentiumve conſolationem & fructum afferentes? Nunquid inde à cæcâ Romanorum Gentilitate ſunt adorati tanquam Divini Prophetæ? eorum nunquid libri pro miraculis reputati? Ipſimet noveritis, quantum hoc abfuerit à mente Romanorum. Quâ igitur vos ratione, nugas, fabulas, mendacia, deliria, periuria, aliaque id generis maligna, ſcandaloſa, perverſa, incredibilia edicentem veſtrum Dei Prophetam creditis Machometum, illis nominatis, alijſque compluribus ſcriptoribus, ingeniô, ſapientiâ, elegantiâ, veritate, morumque integritate totô pondere inferiorem? Ordinem ille quem obſervat, dum eadem de re centies millies ſub uno modo, ſub alio rurſus atque alio vocabulo tractat, confundens omnia ſine methodo? Niſi fors illud procedere ſit methodicum, quod dictatore confuſionum patre Dæmone, eſt indicem texere fabularum & mendaciorum. Quamvis nec horum indicem fecerit; quippe quod ex centum & quindecim Curani ſectionibus nulla alteram rationali ordine inſequatur. Sed erat hoc Dæmonis inventum, aptiſſima rudis populi decipiendi, & inaudita rerum varietate ingenia inculta obruendi norma; ut,quæ capere non poterant rationi adverſantia figmenta, altioris Divinæque intelligentiæ crederent à Propheta dogmata edicta. Materiarum cæterùm confuſionem ſupra ut pluri-

plurimùm ennarravi, nil opus esse sentiens, ejus hic indicem texere, quippe qui horreo talem rerum Babylonicam confusionem.

Altius item figitur Machometanorum cordibus pertinacia credendi dogmatibus Prophetæ sui: ut etiam constanti fide sentiant, singulare hoc esse doctrinæ illius, quod ob divinitus jam inditam sibi excellentiam, nil opus sit, eam miraculis confirmandam, ut olim fides Moysis, & succedens ei salvifica Christi fides, qui suorum semper confortabat sermonem *(a)* sequentibus signis. Quod si tamen eisdem objiceretur; cur non, etsi minimè necessè erat, ad demonstrandum tamen donum tantis prophetis commune, adjunctam etiam habuerit Machomet virtutem miraculorum patrativam, quemadmodum communiter Prophetæ cæteri, uti nos de Moyse, Elia, Elisæo, & singulariter Christo nostro credimus? inquient, quædam imò etiam Machometum perpetrasse miracula; quæ curiositatis ergo, tibi Lector amice, promam, ut nedum semper, quod stupeas & mireris, sed & quandoque quod rideas, & illudas, subministrem.

Ferunt ergò Machometani Prophetam suum à Judæis qui ejus mirabantur doctrinam, quondam esse rogatum, patraret quantociùs in eorum quæ dicit veritatem, miraculum quoddam, oculis humanis perceptibile, ut tandem & à signis prophetam crederent ipsi æque, ac Christiani, qui id ipsum desiderarent. Cùm illicò, inquiunt, Machometum jussisse, lunam protinùs in duas dissecari partes, sectamque subito in cælis lunam apparvisse. Certò insani, non reliquerê posteris seu Judæi, seu Christiani hoc à se visum, atque à Machometo perpetratum miraculum. Sed forsan aliquando memoriæ dabunt, & veritatem contestabuntur, ubi Lunam viderint à Machometo redintegratam. Ast integrata jam est; vel rectè lunam,

(a) *Marc. 16. v. 20.*

quam tantopere veneramini non videtis. Quod ſi adhuc diſſecta eſt; magnum certè Univerſum patitur veſtro Machometi miraculo exigentiam in ſublunaribus, quæ tantô tempore plenô lunæ influxu carere debet. Sed mentiri vos in veſtri Prophetæ gratiam veſtri docebunt Aſtronomi, qui totidem per annum plenilunia deſcribunt. Igitur à Machometo etiam miraculosè redintegrata ſit luna oportet, quod vos non ſcitis; unde ad miraculi exitum forſan non exſpectaſſe vos auguror. Aut ſi virtute naturali redintegrata luna eſt; quid Machometi virtute indigebat miraculosâ, ut diſſecaretur? Philoſophicis ſi jam erudiamini diſciplinis, idem quod ſidus diviſum naturaliter uniri potuit, nunquid non naturali etiam virtute ſecari? Sed utrumque falſum eſt, totumque mendacium eſt miraculum. Nam quomodo luna redintegrata ſit, quæſiti, ad commune veſtrũ effugium confugietis الله يعلم *Hala jehlam*: Deus ſcit. Sed nunquid Judæi aut Chriſtiani huic miraculo præſentes illudq; in veræ Prophetiæ teſtimonium â Machometo petentes, eidem, ejusdemq; doctrinæ exinde temporis adhæſerê? Horum ego nullius vel nomen ſcio, & nec ullius tu nomen dices.

Alterum, quod ſuo de Machometo ſentiunt prodigioſum, illud eſt. Narrant Machometum nocte quapiam, dum ſuâ cum uxore Haſcia accubuiſſet, ſubito per Dei viſum ad cælos eſſe portatum, ut videret arcana, quæ homini loqui non licet. Ita porro ſubitò atq; velociter tali reverſum dicunt ex viſione, ut dormiens adhuc Haſcia, de ſui mariti abitu redituquè nil penè ſenſiſſet. Quantum verò mendax abfuerit â Sanctitate, gratiâ, raptuq; Divini Apoſtoli, ipſo doceberis Lector eventu. Hunc etenim raptum ſuum vafer ipſe ſuâ neſciente uxore, hinc inde palam celebrans ementitus eſt inter ſuos: aſt horum quidam vel â longè mendacium ſubodorantes, aut

dubi-

dubitantes rationabiliter ſuper portenti ſerie, clam uxorem ſciſcitati ſunt Haſciam: fueritne maritus ſuus Machomet unâ ſecùm in nocte dicta? Quæ ociùs confeſſa veritatem, non ſolùm ſibi maritum accubuiſſe ſuum, ſed & totô noctis tempore ſolitis cæteroquin carnis appetitibus plùs nimio fræna laxaſſe, palam edixit; ultroneè ſuæ curioſitatis causâ â ſeſe quærentibus rurſus inquirens: quanam hi ducti ratione ad ſe veniſſent, ſuper nocte cum Marito ſuo qualiter tranſactâ ſciſcitantes? Sed & hi rurſus eidem repoſuerê, qualiter maritus ejus, illâ ſe nocte in cælos raptum eſſe palam edicat, ibiq; mirabilia multa indagaſſe; quæ & nobis auditu mirabilia ex te audire (inquiebant) pro votis erat. Cùm ecce Haſcia ſubridens candidè negaverat univerſa, neſciens alibi, atq; apud ſe nocte illa, & inſolitô quidem laſciviæ exceſſu cubaſſe. Aſt cum toties hoc ipſum repetiiſſet, ut & perfidus ipſe Machomet hoc ſuâ hominibus ab uxore dici audiret, unde & fidem ſuam in audientium æſtimatione periclitari non inaniter arbitrabatur; ut ſcelus ſcelere, & mendacium operiret mendacio, adversùs conſortem effutiit ſuam, illo eam raptus ſui tempore, cum ipſe tunc ei non intereſſet, nactam eſſe occaſionem, fornicarium admittendi, atque nunc imprudenter, licet reverà, edicere, inſolentem ſibi atque ultra modum ſecum ea in nocte virum accubuiſſe. Quis ſanæ mentis mendaciorum nugarumque confictorem non rideat Machometum?

Sed inſani Sectatores Prophetæ hujus Dæmoniaci poſtpoſitô rationis lumine cæcâ eidem adhærent pertinacia; aliudq; non minus mendax atque frivolum de eo narrant creduntque prodigium. Dicunt enim, invitatum quondam eſſe Machometum ſuum, in Judæi cujuſdam domum; atque hujus quidem mulierem, cùm eſſet infenſiſſima Machometo, utpote eam Mariti connubio eripere, ſibique aſciſcere molienti, parato vene-

venenum convivio miſcuiſſe, illudq; ſingulariter aſſato in aniculo eidem appoſuiſſe. Porro ſic appoſito aniculo, divinô (ut inquiunt maleſani) ſpiritu inſpiratus didicit non manducare de illo, ſicque mortem evadere; cæteris ſecum adventantibus ſocijs, cùm exinde comediſſent, poſtea emortuis. Proh, quantum immiſericors veſter erat Propheta! Nunquid ſuper mulieris dolo divinitùs edoctus, ſuos pariter & commenſales, & fidei ſectatores admonere debuit, de aniculo quantociùs ne comederent? Sed ad occulta Dei confugitis judicia *Hala jehlam*, Deus ſcit. Ita ſanè ſcit, vos mendacijs mendacis hominis extollere pravitatem. Scit, millies dignum venenô Machometum tunc fuiſſe, aſt Acheronti diutiùs ſuperſtitem reſervavit, qui ſocios ejus diutiùs tolerare in mundo non voluit, ne peſtiferum tantopere venenum perfidiæ diffunderetur.

Cæterùm quid ſtultiùs ſapere poſſint Machometani, amice Lector, una mecùm ignorabis: ubi reſcieris, hoc quoque eos in Machometo credidiſſe miraculoſum, quòd omnium ipſe potiſſimus inſolentiſſimuſque laſciviæ cultor extitiſſet. Generativam imò potentiam à Deo ei infuſam crediderunt, quippe quæ tanta erat, quantam ſeptem generoſiſſimi fortiſſimique quilibet juvenes valerent exercere. Quid humanæ abſurdius rationi? quid ſobriâ indignius aure? fætidam ſic renum exundantiam cæli credere ſtillicidia? Exhauſit inventum hoc Dæmonis mentiendi artem, & meâ ratione turpius, ſi quid etiam excogitare poſſit, homini tamen perſvadere non poterit; niſi forſan & vobis perverſis perſvaſibile ſit, Plutonis excrementa Jovem hominibus in munera diſpenſare.

Sed, in omnium mortalium horrorem, æviternumque deriſum veſtrum, celebrate ultrò Mæchani veſtri laſcivæ carnis opera; damnationem inde vobis à Deo juſtam, & rationabilem ab hominibus ignominiam promeremini. Prout & promerentur

tur in eo, quòd aliud quoddam non minùs abſurdum, ſolenne tamen (ſi ita liceat ironiæ) Machometi celebrant adulterium, nullâ tergiverſatione negandum, aut honeſtate ſuperveſtiendum. Fatetur id ipſum clariſſimè turpiſſimus adulter ſuo in Curano, cap. de الاحزاب ſeu hæreſibus; ſive de partibus & ſectis. Abſtuliſſe ſe nempè Zaido primo ſuo diſcipulo atque ſectatori uxorem, ſibique in ſuam aſciviſſe. Pulchra etenim erat nimis, & quod vafer efrænis laſciviæ ſuæ judicio ſtatuerit, non Zaidô, tametſi legitimô maritô dignam, ſed jure ſibi tanquam Dei Prophetæ appropriandam. Quod autem deteſtabilius eſt, ut factô execrabili neceſſarius non deforet ſplendor, id Deo adſcripſit, taliter ſibi mandanti. Auferendam videlicet Zaido uxorem ſuam unicam, & adſcribendã ſibi Machometo Dei Prophetæ, aliunde jam novem uxores habenti. Sic ergo pro decem decalogi præceptis decem ſibi præſcripſit uxores, cornutus non à ſanctitate Moyſes, ſed contumax laſciviæ taurus effectus. An legeris inſanius quidpiã amice? An tuæ unquam ſic exhorruêre amantes honeſtatem aures? Sed ut inditâ tibi magis virtute ſcelus deteſteris, en tibi verba à Machometo in illa ſectione edicta interpretatus ſum. *Et cùm tu diceres illi, cui Deus beneficia contulit, & tu quoq; contuliſti. Accipe tibi uxorem ſuam, & time Deum: & abſcondebas in corde tuo, quod Deus operabatur. Et timebas homines; & Deus dignior eſt, ut timeas eum. Cùm ergò Zaidus cognoverit, ſeu defloraverit illam, nos copulavimus eam tibi; ne ſit fidelibus peccatum in uxoribus deſideriorum eorum, cùm cognoverint eas: & imperium completum eſt. Non imputandum eſt ad culpam Prophetæ illud, quod Deus illi ſigillatim permiſit.* Hæc tibi Lector mendacis hujus Mæchani verba ex ipſa ſectione latinum transferre volui in ſenſum, ut perfidi magis ipſe nequitiam penetres; quod & eò facilius continget, ubi Curaniſtarum ſuper hoc Prophetæ ſui adulterio enormi opinionem tibi attulero.

Dicunt etenim Comentatores libri hujus, quòd hoc Machometi factum ſcandalum causârit hominibus: quod ad remediandum, rursùs Machomet juſſerat Zaido ad ſe ſuam reducere uxorem, idque ex timore ob datum fidelibus ſcandalum concepto. Aſt, inquiunt, Deus denuò reprehendit eum, quod ex hominum timore Zaido uxorem reddidiſſet ſuam, rurſumque eidem præcepit Machometo, ſibi de Divino mandato mulierem penitùs copularet, ne illius deſiderio premeretur, angereturve. Quæ igitur humana lex & ratio adulterij fugit, timet, punitque ſcandala, hæc impius in præcepta traduxit divina, ut quod hominum timore prohiberetur, Dei cominatione peragere ſeſe, auſus ſit conteſtari.

Diabolus demùm, ut arbitror, mendaciorum ſuorum neſciens futurum palliare exitum, ad correctionis illicò mendacia confugit, ementitòque Dei nomine in eâdem rurſus juſſerat ſectione. *Non licebit tibi poſthac ò Machomet, ut auferas uxores à viris ſuis, etiamſi earum pulchritudine captus fueris.* Ponderet homo, ſi nunquam ponderavit, ſpiritum contradictionis, omniſque Machinamenta nequitiæ.

Sed hæc ſunt portenta, hæ revelationes Divinæ Dei viro exhibitæ, quas credat ille, qui ratione ſopitâ ſolis judicat auribus. Ut verò rationabiliter in pluribus vaferrimus hic Dæmonis Præcurſor à te rideatur & execretur amice Lector: en plures tibi mendaciſſimi legiſlatoris objicio nugas, & contradictoria figmenta. Ipſe enim ſui in Curani cap. 4. ſub initium novem ciborum genera prohibet; cap. verò de Brutis versùs finem quatuor tantùm prohibita eſſe aſſerit. Primo item & 4. capite vinum prohibet: cap. autem de ape quod النحل vocat, dicit eſſe permiſſum illoque inebriari licere. Prius etiam juſſerat ſuis, ut cùm orarent, facies versùs templum, quod in Jeruſalem erat, converterent; poſt duodecim verò annos, ne videretur

ultra

ultra uti more orandi Judæorum, facies verſus templum in civitate Mecha ſitum, convertere juſſit; uti & uſque hodie à ſuis obſervatur. Sed & de ancillis: prohibuit copulam ijſdem cum Dominis ſuis; poſtquam verò ipſemet amore cujuſdam puellæ ancillæ ſuæ captus eſſet, ut ſe liberè illi commiſceret, non obſtante Chetigæ & Haſciæ ſuarum reclamatione uxorum, quibus hac in re juramentum præſtiterat, contra præſtitum ipſummet juramentum, juſſit, ex Dei nutu licite univerſas proprias ſibi proſtitui ancillas: uti habetur in cap. التحريم de prohibitione, ubi fictitius Machometi Deus, ſic loquitur ei. *O Propheta! cur prohibes, quod permiſit Deus tibi, ſectaris beneplacitum uxorum tuarum? Jam Deus permiſit vobis copulam ancillarum veſtrarum.* En igitur, permiſſum ſibi à Deo fatetur ipſe, quod à ſe ipſo ſibi prohibitum erat. Quis ſpecioſa hæc crediderit mendacia, tam craſsô palpabilis nequitiæ palliô ſuperinduta, cæteroquin non niſi Dæmonis in carne loquentis, ut ita dicam, excogitata deliria? Innumera denique ſunt, quæ ingraveſcente indies malitiâ, vel revocavit, vel enormi mendaciô ſtabilivit dogmata Mæchanus iſte, perfidus omnis luxuriæ & cupiditatum canis, malitiæ avernalis Architectus, deſertorum Arabiæ fera peſſima, & verſutiſſimus camelorum diſciplinator; ita ut ſuo in Curano ultra centum quinquaginta verſus mirâ dictorum oppoſitione, vel obſcurati, vel retractati videantur: atq; hi à Machometanis Menſuch, ſeu aboliti dicuntur.

De inſanis autem pluribus Machometi fictionibus apertiſſimiſque ſtultitijs, quibus ſuos abundare fecerat libros, ridere non deſines, amice, qui leges: pauca ego tibi de his ex mille, placeat, recenſeam. Atque horum quidem primum ſit illud, quod ſuo delirat in libro Sunna, univerſam videlicet terræ molem ſuper cornibus tauri cujuſdam prægrandis detineri; unde

si fors musca aliudve animal eum infestet ut moveat caput, terræmotus exinde causari dicit: quod somnium inane, ab Indorum quibusdam populis edidicisse videtur, qui Baniani dicebantur, suntque de horum sorte gentilium plures adhuc in Perside mercatores. Ast sive de industria adinvenerit, sive ab alijs hauserit hanc de mundi sistemate eruditionem, dignam Astronomis, Geographis, Philosophisque posuit sententiam, ab illis quia nunquam utique auditam, ideo admiratione ridendam. Petite jam Meteoristæ, aut Philosophi quique. Bos ille seu taurus terram sustinens pedes ubi figit? Fænum, cum sit vivens animal, unde sumit? Sed contra Trivialem *Deus scit*, excipite responsionem: & silentio quæsitum inscij resolvent.

In capite porrò de formicâ, Machomet hanc introducit cum Salomone loquentem, sicus & aves cum eodem sua miscuisse colloquia recenset. Fingit quoque Salomonem habuisse exercitum, ex Dæmonibus, hominibus, & volatilibus. Upupam item tulisse literas Salomonis ad reginam Saba, quæ causa fuerint, cur ad regem illa profecta sit. Ubi superaddit; quod dum Salomon per Upupam resciret, reginam Saba ad se venturam, Diabolis illicò suis jusserit, ut reginæ thronum quantocius, dum illa itinere occuparetur, in Jerusalem adferrent. Quod cùm fecissent, & reginæ ex Saba thronum ante illius Jerosolimæ ingressum attulissent; regina protinùs ad Salomonem veniens, suumque thronum eo translatum cernens, potissimâ obstupuit admiratione. Sed & in capite de Saba refert, Salomonem omnes suo sub imperio habuisse dæmones, quiq; in omnibus, tam bellicis, quam œconomicis & artefactis ministrare tenerentur. Tandem verò ibidem, Lector, invenies, Salomonem mortuum; jussisse autem hunc servis suis, ut se in throno suo regio, solitô vestitum ornatu collocarent, & baculô, ne mortuus decideret, suffulcirent: unde Diaboli nescien-

cientes illum esse mortuum, continuò quasi dormientem adhuc timebant aliquanto tempore; donec tandem vermis corroserit baculum illum, statimque ruente fulcrô corruit Salomon; talique ex casu dæmones primùm agnoscentes, non ultra regem vivere, auffugerê, quod antea non præsumpsissent, dum vivum arbitrarentur, cuique in omnibus cæteroquin obtemperare adstrictissimi erant.

Aliud non minùs ridiculum in sectione de Vaccâ, leges, reperiesque: duos Angelos, Harut, & Marut nomine, mulieris cujusdam pulchritudine illectos ad adulterium usque cum eâ devenisse; Deus ergò hoc eosdem super crimine puniturus, temporalem eis, sed ad humiles supplicantium preces mitigatam hanc injunxit pænam, ut pilis superciliorum manerent suspensi in quadam cavernâ versùs Babylonem sita, usque ad judicij extremum diem. Tua nunc adulteria tam infamia & scandalosa, qualem, & majorem nunquid promereantur pænam ô Mæchane? Vestrum vos jam dijudicate Prophetam insani cultores Machometi: quâ ille ultra Angelos à Deo pænâ puniri debuerit, ob adulteria orbi toti tam perhorrenda? Illud forsan male sani respondebitis: concessisse, præcepisse, atque adeo condonasse Deum Machometo adulteria, secùs vero Angelis. Ast ignoratis, malum respectu nullius fieri bonum posse, & quod uni ut peccatum ex se imputatur, alteri sub præcepto à Deo minimè statuitur.

Plura id generis inania continent perfidi hujus suorumque sequacium volumina, quorum ex Alboracho, quem singulariter æstimant, quædam recensebo. Asserit ergò hic liber, Deum ipsum idololatricæ fuisse auctorem impietatis, dum hominem Angelis adorandum exposuit. Item quod Angeli circa figuram capitis & vultûs sint sicut oves, boves, alia pecora, aut bestiæ. Rursus, Angelum Gabrielem quandoq; commo-

visse seu excussisse unam alarum suarum, indeque extinxisse ac diminuisse lumen lunæ, ut hæc usque hodie soli in luce sese æquare nequeat, cum prius tamen ante hanc Gabrielis volitationem æqualis luminis essent. Tauri item mundum sustentantis talem cornuum hic liber refert distantiam, qualis per mille dies velocissimo etiam conatu vix possit transigi. Tantam pariter quorundam corporum describit molem, ut unus oculus ab altero multis distet milliaribus. Sed & cælorum mirabilem leges compositionem, quam ex suo Machometo refert esse ex fumo, mox ex carbunculo, ex smaragdo quandoque; aliquando demùm ex auro vel argento cæli esse fabricam commemorat. Cæterùm solem dicit esse collocatum in fervido quodam & bulliente fonte, hunc verò in quodam serpente, serpentem dein in quadam planitie, hancque rursùs planitiem in quodam monte, quem denique montem unâ manu gestet Angelus ille, qui Universo præest, adusque mundi finem & judicij diem. Hæc & plura nefanda Machomet atque sui sectatores, æmulo planè mendaciorum conatu effutiunt, quæ nec in ratione apparentiam sanam, nec denique aliquem sonant ordinem in certum finem, sed disparata omnia, inferiora sunt Ovidianæ fabulis metamorphoseos, quas vel in finem finxerat Poëta, ut quandam legentibus hystoriæ, aut figmenti redderet amænitatem. Hæc vero irrationabilia sunt, quæ lector audijsti, quibus Alborachus præcipuè, uti lacus bufonibus scatet, quæque seu oculis lecta, seu auribus percepta horrorem pariunt & nauseam, aut certe aliud si quid, præter risum & ignominiam, nihil. Idem pariter alio in libro compereris, qui Agar dicitur, magnâque à Machometanis existimatione habetur.

Porrò præterquã quod nugis atq; mendacijs plena sint omnia Machometi volumina, illud detestabilius est, quod blasphemijs, perjurijs, omnique spurcitiarum genere sint redundantissima.

ſima. Capite namque de Aurora Deum ipſum per auroram & per noctes decem jurantem introducit: in cap. item de fæminis, jurantem per fæminas extrahentes, aperientes, ſeu denudantes, &c. Rurſus in cap. de Sole, Deum per ſolem atque meridiem, &c. in cap. de Zona cæleſti, per cælum habens Zodiacum, jurare aſſerit. Singulariter porrò in cap. de calamo, Deum per calamum introducit jurantem; *quod per gratiam ſuam Divinam Machomet ipſe non ſit Dæmoniacus, aut fatuus.* Cernis amice oraculum quod Dæmon erexit? audis loquentem, quem mendaciorum pater inſtruxit? Plura autem hujuſcemodi juramenta in cap. de ficu, alijſque permultis Curani ſui ſectionibus ingeminat nequitiarum vaferrimus machinator. Sed & Deum, quem cap. de ficu, modo per ficum, modo per olivam, modo per montes Sina, modo per Medinæ civitatem, quam Mæchanus ipſe incolebat, jurantem introduxerat, paulo poſt non volentem jurare contradictoriè affirmat: dum in cap. de civitate illa, DEum ita introducit ad ſe loquentem. *Non jurabo per hanc Civitatem, ex eo, quod tu habitas in illá.* Hâc ille nugarum ſerie Deum luſit, ludendus olim ille irrevocabili Dei juramento & juſtiſſimo vindicis anathemate in perpetuas damnationis æternitates cùm Diabolis pænas laturus. Cùm verò econtra ſuâ nihil formidatâ inſaniâ, in ſectione de Diabolis inquit, ſectatores hos ſuos, *credidiſſe Curano ſuo, & per hoc evaſiſſe fideles, atque Dei & hominum amicos, illoſq; proinde fore ſalutem atque gloriam æternam conſecuturos.* En nedum hominum, ſed & Dæmonum apud Deum ſeſe conſtituit mediatorem; ſuum imò in mundum adventum, & mirabilem prophetiæ gratiam, illud virtutis perhibet habuiſſe, ut rebelles obſtinataſque dæmonum mentes Dei imperio obſequioſas, hominibuſque reddiderit amicas, ut mundo mali nil ultra per Diabolum fiat: unde cùm Machometani Dæmonum maledicunt,

per-

perperam & injuriosè eoſdem maledicere convincuntur. Denique & mentes brutorum æternæ fruitionis capaces eſſe recenſet liber Alborachus.

Hæc de Mæchani Machometi perverſorumque sectatorum ejus nugis & fabulis dicta, ſufficient ad hoc, ut lector amicus Pſeudo-Prophetæ agnoſcat inſolentiam, & luce clarius intelligat, qualiter verſutus, ut mentes falleret hominum, Dei mentitus ſit authoritatem, utque inſana dogmata ſua fide redderet digna, miraculoſam & divinitùs ſibi inſpiratam effinxerit, non aliter ac ſe ſe diabolus angelum fingit lucis. Unum tantùm cæteris hactenus non recenſitis inſanius adhuc inſani referam figmentum. Pulſaverat ſub quodam noctis tempore (ut ipſe fatetur) januam ſuam Dei Angelus Gabriel; cui ipſe protinus adaperiens, ſalutem Dei nomine recepit ab eo: qui & ſecùm ducebat jumentum quoddam, aſino majus, mulo minus, candidum ut lac, nomine البُرَاق *Alborach*, (unde nominatus eſt liber ille Alborachi, mendacijs, nugis, fabuliſque refertiſſimus) Angelus porrò dixerat Machometo. Deus juſſit Propheta, ut nocte iſtâ mecum pergas, viſurus myſteria quæ nullus hominum cernere poteſt. Conſcende igitur hoc jumentum Alborach. Aſt noluit jumentum pati Machometum ſe conſcenſurum; donec Angelus ei improbraret: cur renuis conſcenſum Machometo? ſcito non alium hoc digniorem tete conſcendere poſſe. Reſpondit verò Alborach, nullatenus ſe permiſſurum conſcenſum Machometi, niſi in promiſſis obtineat, ſe quoque unà cum ipſô in paradyſum introducendum. Hoc inaudiens Machometus, non ſolùm promiſit, quod Alborach petierat, ſed etiam quod inter bruta animantia ipſum omnium primum adepturum ſit gloriam Paradyſi per gratiam ſuam. Vides jam Lector mediatorem inter Deum & bruta: tu pro nauſea tua exſpue

ſuper

ſuper eum, tanquam brutorum, beſtiarum, atque dæmonum cum Deo Mediatorem; non verò hominum: quos replicativè, apertè, atque abſolutè dicit, nullatenùs conſecuturos per ſe ſalutem æternam in cap. de Infidelibus.

Cæterum ut ipſe ſibi ſanctitatem & veritatem dæmonis cooperator affingat, atque à ſuis dignus Dei laboretur Propheta; ſic capite de progreſſu ſolis, Deum ſe fingit alloquentem. *Nonne inveni te Orphanum, & protexi te? reperi te errantem, & direxi? & reperi te pauperem, & ditavi?* Talia & complurima mendaciſſima in ſuis habet ſectionibus, quas uti ſupra inſinuavi, de inutibibus & diſparatiſſimis conquiſivit. Incipiens Curanum ſuum de Vacca ſive Bove, terminanſque de populo ſive hominibus: in medio verò omnia confundens, & diſparatiſſima effutiens, impertinenter loquitur, nunc de mulieribus, nunc de menſâ, nunc de brutis, nunc de mure, de ſpolijs, de pænitentia, de tonitruo, de Jona, de Ape, de tranſitu, de antro, de Maria Virgine, de Prophetia, de Alforcan, id eſt, Alcurano, de formica, de narratione, de Aranea, de Romanis, de litera ص *Sad*, de Machomet, de Luna, de ferro, de calamo, de diabolis, de reſurrectione, de faſcia Zodiaci, de Civitate, de ſole, de ficu, de Elephante, & plurimis alijs, quæ te, ſi enucleatim recenſerem omnia, uſque eò commovere poſſent, ut ſtomachante naturâ, hunc etiam meum tantummodo relatorem librum abijceres, atque ob conceptam nauſeam nil ultra legere adoptares.

Concludo igitur, quod de Machometo, ſuiſque nugatoribus adhærentibus hactenus dixi, illud ingemiſcens, qualiter vel clarum lumen naturæ, quod tamen & ipſe Deus eſt, à tenebrarum Principe dæmone, ejuſque miniſtro vaferrimo Machometo abſurdis mendacijs & inconvenientibus obrui, obtrudi, extin-

gui penè omninò ſibi permiſerit, populus tantus, rationali equidem, ut cæteri, animâ præditus. Illud autem à Gentium doctore prædictũ eſt. *(a) Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros purientes auribus. Et à veritate quidem auditum avertent, ad ſabulas autem convertentur.*

ARTICULUS XI.

De Indicibili odio, atque antipathia Perſarum cum Turcis, & è converſo horum cum illis, nec non de quibuſdam circa Machometicas ſuperſtitiones controverſijs, inter eos agitari ſolitis.

PAulò te longiùs Lector amice detinuiſſe videor, de nugatorijs Machometanorum commentis; optaveriſque nonnunquam, ut ſaniorem in Perſidem redux de eâ tibi alia ennarrarem; aſt quoniam de Perſarum, qui equidem Machometani, tametſi ſaniores, ſunt, Religione ſermonem primum inſtitui, datâ ſic occaſione curioſior atque longior meô diſcurſu de Machometo prodivi; jam tibi de Perſis verba facturus, & indicibile odium eorum, atque antipathiam cum Machometano Turcarum populo, multaſque inter hos circa Machometicas ſuperſtitiones ennarraturus controverſias.

Quia igitur *omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur*, ſic atteſtante, qui veritas ipſe eſt; non potuit non omni ſcindi diviſione Machometi fides. Præter ſupramemoratam namque inteſtinam diviſionẽ inter quatuor Perſarum ſectas, quarũ alibi meminimus, Turcæ, & alij, qui ſequuntur doctrinas Omar, Oſman, Abubechir, & Zeid, in quatuor ſecundùm hos ſectas diſcinduntur, ſcilicet Melchia, Hanephia, Zahira, & Behhanaphia. Publicæ porrò hujus, atq; omninò notæ diviſionis Machometanorum, mani-

(a) 2. *Tim.* 3. *v.* 3.

manifeſtum atq; notabile eſt argumentum, deſumptum ex ipſa diabolicæ legis Machometanæ origine. Primitùs enim ipſa fundabatur in maledictâ diviſione & mortali odio, quod non ſolùm illi, qui renuebant ſequi eam, habebant, pares Judæis, qui odiô feruntur inſatiabili adversùm legem Chriſti ſanctiſſimam. Sed & extrema odia patiebatur inter ipſoſmet immediatos, intimos, atque familiariſſimos ſectatores, & promulgatores, Omar, Oſman, Abubechir, Zeid, & Hali, quorum hoſtiles ad internecionem uſque perſecutiones ortas ex ſuperbiſſima dominandi, ſe ſeque exaltandi cupiditate, nemo ignorat. Ut proinde de fide Machometi illud intelligi poſſit: *gladio incepit, & gladio peribit.*

Cæterùm, licet omnimoda confuſio atque diſſenſio ſerpat inter omnes univerſim Machometanos, quibus Turcia, Arabia, Perſia, India, atque Scythia ſive Tartaria ſcatent, ut lacunæ bufonibus; inſatiabili tamen atque mortali odiô præ cæteris erga invicem feruntur Perſæ atque Turcæ. Antequam verò horum narratione particularia attingam, motiva hujuſcemodi odij inſatiabilis paulò commemorabo. Primò quidem, nec omninò irrationabiliter Perſæ abhorrent Turcas, odioque feruntur in eorum gentem, & Tartarorum; quia hi omnes Barbari, inhumani, avari, non liberales, rudes, indociles, & vitâ moribuſq; quà internis quà externis inculti, viles, ſunt atque abjecti; quippe nulla ſtudia ſectantes, diſciplinam ſapientiamque amantes nullam, ſed & flocci, odioque habentes eos, qui ſcientiarum ſunt ſectatores; cùm Bruti quaſi ipſimet Turcæ, Tartarique mirâ inſaniâ cæcaque proterviâ adhæreant Curano ſuo, ut ſcarabæi ſtercori. Turcas item odio Perſæ habent, quod Regna, quæ illi habent, tyrannicè ſint adepti, ab ijſdemque Tyrannicâ teneantur poteſtate: in toto namque Turcici Dominij diſtrictu, nullum (inquiunt Perſæ) invenire eſt Regnum, aut Provincia, quæ

legitima cognominatione Turcia vocitetur. Unde dicunt Turcas Nothos esse, non verò legitimos, justosque Dominos eorum quæ possident. De semetipsis verô Persæ inquiunt, id sibi ante Turcas deberi laudis, quod terra quam possident, verâ & Genuinâ cognominatione Persia sit: cumque ipsi Persæ descendant à à progenie Parthorum, qui fuerunt ex Gentibus Persidis, illaque Gens nobilis atque sapiens, quæ in corde Regni Persici, Hircania scilicet, sive *Herax*, uti ipsi vocant, habitaverat satis regnaverit: justâ, inquiunt, vicissitudine, Parthi post eam regnavêre, qui & secuti sunt antiquæ Persicæ gentis disciplinas saniores, justitiam, mores, politicam, atque sapientiam, omissâ illius infidelitate, observationibusque quibusdam rudioribus: quarum & ego Lectori alibi mentionem feci. Posito sic motivô primô odij Persarum adversùm Turcas, quod ex parte rationabile videri potest:

Alterum est motivum odij Turcarum adversùm Persas, frivolum magis, minusque rationabile. Cæcâ namque omnino pertinaciâ Turcæ adhærent Curano, cæterisque Mahometicis superstitionibus, mordaciter omnia secundum rudem literam observantes: quod cum Persæ non equidem faciant, odio habentur à Turcis, atq; Tartaris, vocanturque ab illis Rafazi, id est, hæretici, & blasphematores. Idque primò & maximè, quia Persæ non sunt Ciar-jari, aut amatores, seu amici Antesignanorum suorum, Omar, Osman, Abubechir; sed tantum sectatores Hali. Unde cum Persæ tantum hunc agnoscant legitimum Machometi successorem, eundemq; Persicè nominent Gia-nisein, seu Arabicè Calife: id est; locumtenentem & successorem, alios verò respuant; nedum à Turcis & Tartaris, sed & alijs plerisque Machometanis Indiam Arabiamque incolentibus, negantur esse veri Machometani; utpote volentes colere & venerari, quos ipsi colunt Machometi amicos; Omar, Osman, &c.

Jam

Jam verò ad magis particularia deflectamus odij & dissensionis argumenta, ponderareque non tam necesse, quam risibile est, differentiam horum Machometanorum, in genuflexionibus, lotionibus, orationibus, jejunijs, alijsque similibus, quorum præviam brevemque superius notitiam dedi, quæ & hic Lectori in memoriam est revocanda.

Igitur ad generale suum odium supradictum, magis adversùm se invicem quotidianis etiam argumentis contestandum, differre in omnibus satagunt, in quibus possunt: Persæ namque in genuflectendo attollunt, suspenduntque ambas manus, cum econtra Turcæ eas ad pectus componunt. Persæ item in manuum lotione, incipiunt à cubito brachij, & tum consequenter procedendo usque ad extremitatem digitorum: cùm rursùs à contrario Turcæ lotionem incipiunt ab extremitate digitorum procedendo ad brachij cubitum. Multis item disceptationibus altercantur, liceatne dormire, nec ne in jejunij die? An item, citra fractionem jejunij possit, quis lavare os suum aquâ, vel olfacere florem, aut odoriferum aliud quodpiam. Sed & disceptant inter se, quoties jejunij tempore noctu liceat Machometano comedere? quot item uxoribus jejunij tempore utendum sit, ut magis sit acceptum Deo jejunium, virtute meritorum Machometi. Inquirunt insuper, an, cùm quis jejunij tempore advena est in aliena civitate, nullam proinde secum habens uxorem, licitâ possit accipere in mutuam, quandam viduam, aut virginem ad tempus, dando ei mercedem; ut ita jejunium advenæ Deo sit acceptum? Denique & multâ fatigantur inter se disputatione: an ad hoc ut Machometanus majori cum fructu jejunet, debeat in fine diei, ante, vel post fractionem jejunij jacere cum uxore, aut concubinâ suâ? Sed parciùs dicendum est, de nefandis hujuscemodi, & vel sanam imaginationem subvertentibus, quibus fatigantur & disceptant insani uterque, Turca & Persa, u-

nus æquè ac alter infandâ lasciviâ ad unam tandem reducentes conclusionem, quod in Machometi lege, volutandum sit in carne & sanguine. Hæccine sapientia? Hæccine ratio? Nempe de operibus disputare, quæ præterquam quod rationem invertant, etiam naturam enervant, vitamque ipsam faciunt in vanum ire.

Cæterùm quamvis hujuscemodi nefanda & nugatoria plurima acerrimis discutiant controversijs Persæ & Turcæ, ipsimet tamen sententiarum quibus adhærent, fideliter & ad amussim tenaces non sunt. De quibus verò detestabilibus, atque horrendis controvertant circa matrimonium, castus sibi committi calamus non sustineret, qui & scit, non inventurum se placidam Lectoris manum, animumve. Unum ponere liceat: quô quærunt, utrum, cùm vir uxorem aut uxor repudiaverit maritum, valeant, si voluerint, rursus convenire: quamvis mulier inter hoc temporis plures habuerit maritos, aut plures maritus uxores? Resoluunt Persæ posse virum licitè acceptare uxorem repudiatam: hôc tamen pactô, ut antequam se rursùs conjungat cùm illâ, debeat illa priùs semel conjungi cum alio viro extraneo, & neutrali ab altero, vel cæteris, marito, vel maritis, quem, quosve tunc mulier repudiat, ut ad pristinum virum suum accedat.

Sicque initâ cum viro extraneo copulâ, reiterare poterit validum pristino cum viro suo matrimoniũ. Turcæ verò & Tartari admittentes inter hos licitam matrimonij reiterationem, non unam sed trinam requirunt cum alieno atque extraneo viro copulam mulieris, ut illa validè cum pristino viro, repudiato, vel repudiatis, quem vel quos post hunc habuit, matrimonium iterato possit inire. Porrò ad bestialem hanc suam & fœdissimam opinionem defendendam, complurimas adducunt exoticas execrandasq; rationes, quæ vel ideo rationes non sunt

com-

compellandæ,quia rationi contrariæ, ac proinde nec memoriâ recenſendæ. Principalem tamen, quam allegant, liceat Lectori apponere. Dicunt igitur Perſæ, quod ſemel, & Turcæ, quod ter debeat mulier jungi extranea, antequam priſtino jungatur marito, ut ſic (quæ dementia mentis, quam caro fecit amentem!) luat uxor,& condignâ hac pænitentia mortificetur audacia ejus, quâ primum auſa eſt repudiare maritum; itaque hoc ſuum non ſortiatur deſiderium carnalis conjunctionis, niſi juſtâ (ſcilicet) ratione mortificata, & alteri prius in conjunctionem data. Sic ſtulti pro carnalitatis pæna, carnalitatem injungitis, ſic quam veſtram eſſe vultis, alienis datis, famam proſcribitis, honorem peſſundatis, rationem calcatis, ipſa imò naturæ jura confunditis. Num forſan beſtiæ iſthæc, ſi aliquo rationis luminè gauderent, facerent? Sed, ab irrationabilibus etiam diſcere poſſetis, ſi his non magis, ut ita ſentiam, eſſetis amentes. Nempe hæc eſt ſapientia veſtra, ut qui majoris eſt luxuriæ atque libidinis, perfectius per vos dicatur participare virtutem & ſpiritum Prophetæ Dei Machomet: dum econtra animantibus brutis, quæ inter viventia ſenſibilia, magis carni immerguntur & minus de perfectiſſimo puriſſimoq; Dei ſpiritu participant, ſuum fateamini præfixum tempus, explendi libidinem ſuam,motibuſque ſenſualitatis indulgendi,non niſi ad univerſi perfectionem, conſervationemque ſpeciei, ſanâ omninò Philoſophiâ, ſentire debetis. Cæterum illum inter Deum & vos mediatorem agnoſcitis Machometum, quem inter & Deum animantia etiam mediant bruta. Illum agnoſcitis Prophetam veſtrum, qui Deo, quem puriſſimum etiam admittit, omni impuritate docet præſtari obſequium. Apage peſtifer cum doctrina, quam neque diabolo, ſi naturali nitatur ratione, perſuadebis, neque homini, qui licet peccatô dæmoni ſimilis, ratione tamen ad hoc dignoſcendum, uti diabolus Angelô bo-

nô,

nô, nil minor eſt. Illud porrò de te Machomet infernalis verificabitur.

Juzun karaligh ſana kalir.

Nigredo vultûs tibi remanebit;

Scilicet deducendis illo in die ſuam ad perfectionem omnibus, feliciorique ſtatu gaviſuris; tu cum Æthyope vultum lavabis, novuſque vel ſolis & ſyderum ſplendor Arabicum tuum deteriorem aduret vultum. Et uti contra ordinem cœli univerſæq; naturæ ſtulta docuiſti, ſeducens populum naturâ ſapientem, ita cùm olim ſapientiſſimo, nunc verò excæcatiſſimo Lucifero pœnas cæcitatis atque flammarum dabis in inferno, ubi, ſicuti & in doctrina tua (a) *nullus eſt ordo ſed ſempiternus horror inhabitat.*

Hæc & ſimilia, dum ſæpè contra Machomet, & Machometanos, exiſtens in Perſide, non abſque indignatione, palam ijſdem in faciem objeciſſem, mirabar ultro cur in furorem eos non egerim: cum illi econtra ſubridendo, ajebant tantum, me hominem eſſe myſteriorum inſcium, adverſum Machometi legem paſſionatum, & indiſcretè loquentem pro imaginatione paſſionibus obrutâ, pertinaciterq; tantum me nolle Curano adhærere, & Machometi legem, ejuſque interpretationem ac ſanum ſenſum percipere. Ego porrò dum & hic termini mihi deficiunt, quibus in execrandam vehar Machometi legem, ſilentioſô ore evomo, & quam rabidô jam calamô tantiſper dilaniavi, ut viperam etiam utinam me liceat eam conculcare, atque internecioni dedere. Sed plura de odio Perſarum erga Turcas cape Lector amice.

Perſæ porrò pertinaciter Hali ut ſucceſſorem atque intimum Machometi amicum venerantes, nec non ſequentes, odio ultro feruntur & calumnijs contra Omar, Oſman, & Abu- bechir,

(a) *Job. 10. v. 22.*

bechir, quos Turcæ & Tartari venerantur contra voluntatem Machometi, qui ante mortem ſuam (ut dicunt Perſæ) teſtatum relinquere voluerit, Hali dilectiſſimum ſuum nepotem & generum, ſuum fore ſucceſſorem. Unde & in mortis articulo calamum, dicunt Perſæ, petijſſe Machometum, & chartam, ad hoc ſcriptotenus pro ultima voluntate exarandum; tres verò ſupra nominatos id renuiſſe, & negâſſe calamum, aſſerentes, Machometum jam delirare, & neſcire quid loquatur. Turcæ hæc à Perſis tanquam argumenta inſolentiæ & temeritatis ſibi objecta, nedum ut facta, ſed & ut bene facta fatentur, ad exacerbandum, exaſperandumque Perſarum, quos cane pejus oderunt & angue, animum. Perſæ viciſſim juratô penitùs odiô Turcas Tartaroſque *Charigi* nominant, quaſi ſegregatos à veritate, & excommunicatos: communiter autem eoſdem appellant *Sunni*, tanquam deſertores eſſentialium legis Machometicæ, & ſectatores accidentalium & cæremoniarum, quæque minoris ſunt momenti; eoſdemque in Machometi fide veluti deſides & rudes flocci pendunt, imò nihili habent. Pro quorum ulteriori notitia ſequentia notabit amicus Lector.

Machometanorum etenim ſententiâ, duo ſuper lege Prophetæ ſui ſunt neceſſaria. Primum: ſcire dicereque verba illa atteſtatoria Dei unius, ejuſdemque Apoſtoli Machometi, noſſeque ſimul ac facere genuflexiones, lotiones, orationes, cæteraque, hæc conſequentia, à nobis alibi inſinuata: quæ quidem omnia dicunt eſſe ad ſalutem neceſſaria, neceſſitate *Fers*, eô modô, quô noſtri Theologi aſſignant neceſſitatem medij & ſimpliciter talem ad finem beatitudinis conſequendum. Secundum verò neceſſitatis locum obtinent ea, quæ dicunt neceſſaria neceſſitate *Sunet*, ſeu ſecundùm quid, & ad melius eſſe, ita ut his omiſſis non peccet Machometanus, uſu habitis autem perfectiùs operetur: & ad hunc locum Perſæ reducunt legis Cæremonias,

quas tamen Turcæ ſimpliciter neceſſarias, & citra peccatũ mortale non omittendas cenſent: cujuſmodi ſunt ſæpè ire ad balneũ, frigidâ vel calidâ lavari ſæpiùs, manuum, pedumque ungues abſcindere frequenter, ſicut & ſæpe numero capite tonderi, membriſque purgari omnibus; oculos item ſpeciali quodam colore nigrô (quem ſurme vocant) tingere, pingereque rubrô aliô, (quem vocant China) manus pedeſque, flores ſæpe, odoriferaq; omnia olfactu ſumere, roſas comprimis, quas malèſani dicunt ex Machometi creviſſe ſudore; convenientes in hoc cum Poëtarum fabulis, qui Veneris cruore roſas depurpuratas ſomniant: ipſi tamen fors Machometani minus ſomniantes, quoniam totus Machomet Venus erat. Ultrò habent obſervationem quandam, de carthis atque calamis, in terram non abijciendis, ſed colligendis undique & conſervandis, in loco non abjecto, ſed foramine certo cubiculi domuſvè ſuæ; incertum reverentiæ reſpectum, quô obligatos ſe ſentiunt etiam in inſtrumentum, quô, vel conſimili lex & nomen Dei ſcriptum eſt, aut ſcribitur, ſcribive poteſt. Aſt narrem (occaſione liceat) quidpiam de calamo à Machometano minus obſervatum.

Narrant hi fuiſſe quendam Machometi amicum, de repente triſtitiâ omni & Melancholiâ obrutum: qui porrò mutationis inſolitæ neſcius diebus conſumebatur horiſque, donec Machometum conſilij tandem causâ acceſſiſſet. Dei porrò Propheta (ut mentiuntur) divinô ſtatim circa infirmitatis notitiam afflatus ſpiritu, commonefecit amicum ſuum, caveret quantociùs, fragmenta cartharum aut calamorum domi terram abijcere, ſatageretque ne fors domi ſuæ quodpiam de his fragmentum humi jaceat, quod ubi redux invenerit, debitâ aſſervet devotione, reponens in loco honeſtiori, aut certo domus foramine, ubi nulli expoſitum ſit irreverentiæ: tum tandem priſtinæ ſe reſtitutum ſenſurus ſit lætitiæ: Abijt, (credunt, dicuntque nugatores)

tores) invenitque ille Machometi amicus in domo ſua cartharum aut calamorum fragmenta, quæ ubi, ut ſibi Propheta præceperat, condecenti repoſuiſſet loco, omni ſubito lætitiæ reſtitutus, atque ad Conſultoris ſui pedes provolutus gratias agens, obſervavit, & obſervari à poſteris fecit honorem cartharum & calamorum. Eccur nugator Machomet de lana Caprina præcepiſti nihil?

Propter has porrò ſimileſque nugas, & ſuperſtitiones Perſæ Turcas & Tartaros vocant Segh Sunni, id eſt canes, quod magis adhæreant ſupradictis cæremonijs Legis, quaſi ſimpliciter neceſſariæ ad ſalutem eſſent, complurima verò eſſentialia relinquant. Cæterùm nec Perſæ, nec Turcæ in veritate multum anguntur obſervatione cæremoniarum, & ſimilium ſupradictorum, quorum etiam alibi potiorem fecimus mentionem, ſed pro ſuo beneplacito, obviaque occaſione vel circumſtantiâ, ſervant, aut omittunt, quæ volunt. Interim odium ſuum & verbis & ſcriptis feriari non patiuntur ad invicem, ſuntque convicijs ora & volumina abundè plena, quæ huc referre longius nobis foret.

Illud non omittendum cenſui, quod Perſis omnibus in more eſt: aluntur namque, ut ita dicam, hôc odiô ſuô in Turcas & Tartaros; neq; Deo ſe gratias debitas acturos autumant, niſi & illico Turcis maledicant. Etenim poſtquam prandium cænamve finierit Rex cum Satrapis & Magnatibus ſuis, ſtans ad finem regiæ menſæ Mareſchallus Aulicus cum aureo baculo, verſus Regem primùm inclinans, tum verò gratias pro mensâ collata Deo deferens; ſuô cæterorumq; omnium mensâ fruitorum, dein & omnium totius regni Procerum & ſubditorum nomine Regi ſalutem apprecatur: tandemque in horribiles converſus maledictiones & blaſphemias contra Othomannos eorundemq; ſectas, veluti Deo & hominibus juſtis

odibiles, pessimis mille crucibus fulminat; quas tandem maledictiones & detestationes suas ubi finerit omnes circumstantes unâ voce acclamant *Amin*, id est, Amen. Eundem DEO gratias agendi, Turcisq; imprecandi modum à Rege usque ad pauperem, buccellam panis in domo comedentem, observant.

Omnes item artifices, cùm manè adaperiunt officinas suas, primam dare tenentur laudem Deo, precari dein salutem Regi suo, & demum contra Turcas acriter blasphemare: quod idem, cum officinas claudunt, minimè omittunt. Præterea ubi quidpiam cuidam displicuerit Persæ, aut contrarium quodvis acciderit, cùm alias juxta regulas suas dicere tenerentur: *sit maledictus Diabolus*; illi inclamant: *sint maledicti Sunni*: æstimantq; hos, puta Othomannos, Diabolis etiam pejores. Sed & Poëticas, Rhetoricasq; exarant compositiones mirabiles, lepidas, & ingeniosas ad illudendum Turcis, & vilitati ruditatiq; eorum, sicut & sectæ falsitati: estque hujusmodi cantilenis, & ridiculosis adversum Turcas scomatibus Persis usque adeo plena, ut vel pueri & lurcones alphabeti ignorantes, per vicos & plateas circumcursitantes, passim canant, ijsdemq; vel augendis, vel propalandis, vel denuò confingendis totô studiô incumbant.

Porrò hæc odia sua publicis etiam in Legationibus celare non valent. Successit namq; in tempore Abavi Regis hodierni, qui Sciah Abas erat, venisse ad eum excellenti legatione Turcam, vultu, ut communiter sunt, barbarum & deformem, barbâ verò protensâ pro more suo, propriôq; arbitratu venerabilem. Rex illico impotens odij sui, inter alia primo (sicut Antiocheni petierant à Juliano Apostata, qui deformis erat faciei, staturæ pusillæ, prolixæ tamen barbæ) interrogavit eum in audientia publica; eccur prolixam adeo, densamq; nutriret barbam in vultu tam tenero? Turca verò Legatus, ar-

gutum

gutum quaſi daturus reſponſum, inquit. Ut meas hac in Barbâ paſcere poſſim oves (intelligens ſalvo calamo, pediculos.) Cùm verò ſubitâ interrogatione Rex ultro petijt: Iſtæ porrò oves tuæ albæne ſunt, an nigræ? Cui Legatus: albæ utique. Tum autem Rex ridiculosâ inquit illatione: melius igitur, magiſque rationabiliter, cùm ſenex primùm & canus fueris, barbam nutrire deberes, tunc enim oves à ſylveſtri paſcua non diſcernerentur: nunc verò dedecus nunquid arbitraris, ut tam in juveneſcente ſylvâ obuij quilibet illuſores dinumerare valeant gregem tuum? Porrò adverſum Legatum hunc nedum in animo Regis, ſed & aſtantium ejuſdem miniſtrorum bulliebat odium, ut quidam Ironiam addere auſus ſit Ironiæ, ſubjungens verbis Regis. Rex adorande; gratus hic hoſpes noſter, quod vellet, dicere fors in Majeſtatis tuæ præſentiâ non fidit: nempe non hac ex ratione, ſed ex obſervantiâ Legis ſuæ nutrire ſe Barbam tam venerabilem, quâ Othomanni Majeſtatem atque decorem vultûs ſitam eſſe credunt. Subjunxit porrò huic ſubſannationi ſubito alius Regis Miniſter, vir leporibus aſſuetus. Avertat, inquit, Deus, hanc eſſe mentem amici & venerabilis noſtri Legati, quippe quam nedum politici, ſed & pueri ridere poſſent. Etenim nudius tertius pueros his verſibus in plateâ audivi intonantes.

Dort Homardan bir jak ſci didar olur Heſcieghe bir cidar olur, lakin heſciegh iſtemez, chi hajaghim murdar olur.

Id eſt ex quatuor Omaris, ſeu ex quatuor Othomannis inepte opinantibus, pulchritudinem & Majeſtatem hominis conſiſtere in longitudine, & latitudine capillorum barbæ, de quâ pulchritudine & decore aſini quoque rident per noſtros pueros. Dicunt enim hi, ſe experientiæ gratiâ ex quatuor longis latiſq;

Othomannorum Barbis confeciſſe funiculum, tentantes eô ligare pedem aſini, aſinum vero recalcitrando exclamaſſe, non ſe paſſurum, ut pedes ſui dedecore & immunditiâ talium afficerentur capillorũ. Ita, inquiebat ille Regis Miniſter ad alterum, canere ſolent pueri ſuper barbis prolixis, quæ non niſi excrementa naturæ ſunt. Et benè ſanè canunt, fideliſſime mi, adorandi Regis noſtri Miniſter: etenim & tibi, & mihi, omniq́ue ratione prædito clarum eſſe debet, decorem hominis non ab excrementorum cultu, ſed à virtutibus & ſapientiâ deſumi: quomodo igitur mens iſta Venerabilis Legati hujus eſſe poterit? Porrò his omnibus ille reverà verbô & opere rudis Turca aptiorem nequijt adinvenire reſponſionem; præterquam quod aſſeruerit, Scholaſticis Perſarum diſciplinis & Sophiſmatibus ſe non ſtuduiſſe, eſſe autem omninò verum & genuinũ Turcam, ſimpliciterq́ue obſervantem, quod illi lege traditum eſt. Inde colliges amice Lector, quantô ferantur odiô Perſæ in Turcas, utpotè rudes & ignavos, quodq́ue illi ut plurimum barbas horreant, & in excrementis naturæ, ut bene ſentiunt, hominis decorem & Majeſtatem non collocent.

Sed neque Turcæ odio fræna injiciunt, ubi Perſicos adeſſe ad portam ſuam contigerit Legatos: cujus curioſum adhuc ſupereſt factum narratu dignum, de eodem lepido Perſici Regis Miniſtro, qui quantam adverſus Legatum Turcicum in Perſide demonſtraverat verſutiam, tantam, majoremq́ue ut Perſicus Legatus ad Portam Othomannicam contra oblata ſibi, & undique obvia Turcarum odia argutiam monſtravit, & ſapientiam. Poſt annum namq́ue idem à Rege ſuo Legatus ad Turcas dimiſſus, factæq; priori in Legatione petitioni laturus reſponſa, omnem, juxta Perſicæ gentis indolem, demonſtravit animi generoſitatem, nobilitatemq́ue, quam faſtu, pompâ luxuq́ue rariùs viſô prodebat: ſui etiam vivacitatem ſagacitatemq́ue ingenij in Sophiſ-

phiſmatum & dubiorum enodatione eleganti ſimul & ſubdolâ, ipſimet etiam Othomannorum magno Tyranno, totique Portæ ejus in confuſionem palam fecit. Etenim cùm primâ vice ab Amuratho IV. ſolennem admiſſus eſſet ad audientiam in ſpacioſo quodam elegantiſſimoque horto, interrogabatur ab eodem hiſce verbis. Veſtri Perſæ, cur tale Tulbantum aurô, argentô, diverſiſque coloribus contextum portant, & non uti nos totaliter albô teguntur in ſignum puritatis fidei Machometanæ? Cui Legatus: Capita (inquit) noſtratum curioſa ſunt de rerum varietatibus, omnigenaſque ſectantia virtutes, quas proinde per aurum, argentum, cæteramque florum colorumque diverſitatem indicare volunt. Nos igitur (ſubjunxit Amurathus) dum tale quid non gerimus, virtutum amatores non ſimus? Legatus verò; mihi, ajebat, tantum licuit præmiſſas conſtruere, formare porrò judicium & conſequentiam inferre magnæ Othomannis inditæ commito prudentiæ. Poſtquam ſic ſemel deluſerat Turcam occaſione paulò poſt rurſum obviâ interrogaverat iterato Amurath Legatum: Avis illa (quæ ſub id temporis in quadam horti arbore reſederat) qualis eſt, cujuſve ſectæ? noſtræ? an veſtræ? Cùm tamen omnes Machometani corvos oderint, qualis erat avis in horto viſa, eoſque ut damnationis & reprobationis indices fugiant. Reſpondit autem Legatus; neſcire ſe de beſtijs & brutis judicium formare: Quæſitus porrò ab Imperatore: eccur de brutis judicium formare neſciat? quia (inquiebat) homo ſum. Nos igitur, ſubjunxit Amurath, homines non ſumus? Cui Legatus fronte paulò magis ſeriâ reſpondit: Dum vos diſcurritis de animanti bruto, ob defectum rationis & veſtræ, & noſtræ, & omnis alterius ſectæ incapaci, veſtrâ certè de conditione non poſſum non dubitare. Imperator autem miratus Legati zelum: nos itaque (inquit) per dicta tua bruta ſimus? Cui ſubito Legatus: non meum eſt, qui

ſitis,

ſitis, edicere; ſed veſtrum eſt, qui debetis, ſcire. Porrò Amurathus videns ſe jocô ſeriô confuſum, zelum loquendi atque audaciam Legati Perſici alio poſteris diebus vindicare ſecum ſtatuit ſtratagemate, & exquiſitâ confuſione. Tranſactis igitur diebus quibuſdam juſſit, ut dum ipſe Conſtantinopolitanâ exiret Civitate, cum maximo ſuorum comitatu & equitatu, conducerent poſt ſe Legatum huncce Perſicum, ita, ut ſequens is comitatum & equitatum miniſtrorum, pateretur pulveres, quibus pedes equorum aërem omnem interturbarant. Lento ergo Imperator & Aulici equorum paſſu procedentes, maximos poſt ſe ſuſcitaverê pulveres, per quos Legatus ſubſequens ire coactus non modicam paſſus eſt moleſtiam; verſutum autem hoc, & induſtrium Amurathi inventum innatâ ingenij ſagacitate ſubito animadvertens; rem tamen aduſq; exitū ulteriorem cum ſilentio præſtolatus. Porro Legatô longius diſſimulante tandem ſubſtitit Imperator, fingenſque ſe ex improviſo retroſpicere; ſubito Legatum intuitus, compati ſe eidem aſſeverabat, quod ipſe cum Perſis ſuis inſequens tantam ſuſtinere debeat pulverum moleſtiam. Prudentiſſimus verò audaciſſimuſque Legatus: Nullam (inquit) crede Sultan paſſus ſum moleſtiam faſtidiumve his ex pulveribus, quos veſtri comitatûs equi ſuſcitavêre; magnâ imò lætitiâ perfuſus ſum, atque ſolatiô: etenim lætitia ſolatiumq; lupis eſt, poſt pulveres gregis ovium abire. Cui Amurathus: an igitur ſentis, lupos vos eſſe noſtros, nos verò oves veſtras? Reſpondit Legatus: omninò, ni fallor, ſic eſſe debet, ut induſtrioſo & exquiſito hoc ſtratagemate expertus ſum. Inſinuans ita ſapienter atque audacter, rudem ſe Imperatoris dolum jam deprehendiſſe. Sed & ſæpius ita urbaniter confuderat Amurathum, & ſuos, toties imò, quoties volebat; ſic palam faciens, præſtare Perſas Turcis, ingenij felicitate ac velocitate, ſicut & animi cōſtantiâ & generoſitate:
quam

quam etiam non minus servi sui, quos in comitatu suo ex Perside habuerat, demonstrabant, odiumque suum in Turcas, etiam in terris eorum, parum, aut nihil omnino refrænare curantes: uti curioso patebit facinore mox ennarrando.

Contigerat servum quendam Persici Legati hujus convenisse cum uno Amurathi milite, *Janizar* ut vocant. Idque in loco quodam ubi bibere solent in Turcia potum quendam ab ijs Cafe nominatum. Persæ ergo Janizarus objecerat: ebibat, si cordialiter amet Regem suum Sciah, pro more gentis Persicæ, totum illum, qui ingens erat, scyphum. Qui porrò incunctanter scyphum, Cafe quidem calidô plenum, opus sanè executus perarduum atque ad mortem periculosum, totum in salutem Regis sui lubenti ebibit animô, ad summam Janizari objicientis, pluriumq; circumstantium Turcarum admirationem. Ast recompensaturus dolum hunc Janizaro Persa, curavit afferri cibum quendam liquidum calidumque, quem Turcæ *Sciorva* vocant, hunc ergo Janizaro offerens, inquit: Eja amice, pro quo in experimentum amoris erga Regem meum me objurasti, constanter executum me non ignoras: te igitur & ego, experturus tuum in Amurathum, cujus honoratus es miles, amorem, adjuro: ut hoc de cibo vel duo tantum coclearia sumas, in debitæ erga eum reverentiæ signum. Turca huic satisfacturus objurationi primum quidem subito cocleare sumpsit, veritus pudorem seu confusionem sibi futuram, vel à Persa, vel à suis commilitonibus, quamvis & pejus quid ei evenerit: nam cum cibus plus nimio calidus labia, os imò omne adussisset, renuit secundo cocleari ex eo sumere; & actus in furiam Persa, eo quod ipse à Janizaro circa Regis sui amorem adjuratus, vitæ sese periculo cum potui exposuerit, hic verò de sua in Imperatorem suum promptitud ne postulatus modicam etiam oris labiorumque renuat ustionem, strictô ferrô astanti-

bus cunctis in duas illico secavit partes. Inaudiens dein Persæ audaciam Amurathus, Legato displicentiam suam tantisper indicari fecit, velleque se protervum hunc servi sui trucidatorem, severè puniendum, plectendum imò vitâ, ut Majestatis suæ in aulà propriâ læsorem. Legatus porrò nuncio respondit: referret quantociùs Imperatori suo; nescire se, quo ex capite servum suum castigare, minus vitâ plectere possit, qui & acceptum quid Imperatori in hoc perpetrasse sibi videatur; etenim occisor factus sit ejus, qui nedum vitam, sed & oris sui commoditatem præferebat honori, atque amori Domini sui Amurathi, cujus juratus erat, sed modici pectoris, Janizarus: minimè proinde hunc servum suos furores promeritum, sed Chun-Kar potius benevolentiam gratiamq; præstolari, quippe defensorem reverentiæ fidelitatisque, quâ Janizarus etiam vitâ obligatus Chun-Karo; & occisorem ejus, qui in Imperatorem suum minus æquo venerabundus, nomen atque amorem jurati floccipendit militis, effectus non nisi proprij & delicati custos oris: cum econtra factâ priori à se obtestatione servum suum Persam potui, qui vitæ formidolosum excidium minitabatur, obligasset, ipseque frivolæ objurationi suæ in contestandum exemplariter suum erga Regem Sciah amorem, omninò satisfecisset, nedum admirationem sed & fidelitatis laudem ab omnibus tunc ipsismet ipsi facto præsentibus, nuncq; idipsum factum auditurís Janizaris optimè promeritus. Hisceque titulis se servum suum non ut vitâ plectendum damnare, sed ultro Imperatori pro prudentissimo ejusdem arbitratu offerre præmiandum. Quibus & auditis Amurathus illico servum Persam suum in conspectum accersijt, sciscitans ab eo, num sectam Turcicam assumere sibi placeat, paratum etenim se magnis gratijs atque favoribus in aula sua eundem prosequendi, atque in fidelem sibi militem assumendi. Sed & hic se se sapienter cordatum monstraverat

verat servus ille Persam. Ego, inquit, crede ô Sultan, ad defendendum honorem nominis tui, Domini licet mihi alieni, justè castigavi imbellem tuum militem, oris sui præ honore tuo amatorem, cujus mea framea jam sanguinem hausit, & ego ejusdem trucidator adsto. Cæterùm quid mecum foret? Qui jam alieni Domini defensor homicida factus; si proprium Dominum deseruero, hominum nunquid quilibet etiam in me homicida fieri debeat? Qui castigavi alienũ infidelem, nunquid ab alienis castigandus ero, ubi Domino proprio fideique ipsi fuero infidelis? Parcat igitur Majestas tua prudentissima, parcat recompensationi mihi faciendæ, meque, qui eidem tuæ Majestati, licet alienæ, fidelis eram, Regiæ Sciah mei Majestati fideliorem longè, imò per omnia fidelissimum esse, vivere, morique permittat. Unde amice Lector colligere poteris, qualis generositatis atque animi, quamque felicis & velocis sint ingenij Persæ. Inde & sibi arrogantiam sumunt, & odio insatiabili erga Turcas etiam in proprijs eorum aulis plurima præsumunt.

Sed & istud memorato de Legato Chalef Beck, memorandum ultra censeo. Ex eo Amurathus aliquando per magnum sectæ suæ Othomannicæ Doctorem quæsierat: eccur Persæ permitterent Christianis inter eos degentibus, viridi in vestimentis uti colore; quippe quod proprius hicce sit color vestium Magni Machomet, quem, cùm & ipsimet Persæ Prophetam agnoscant, in hoc vilipendere argui possunt, quod parem in vestimentis colorem infidelibus etiam, prout Christiani sunt, promiscuè concedant. Ast inepto quæsito ineptam fecit aptam responsionem Legatus, dicens: Si Amurathus vester potentissimus cum tota potentia sua canibus prohibere valuerit, ne super viridaria excurrant, aut suis saltem inhibere potuerit, ne stercoribus inficiant illa, quod magis dolendum est, atque quod Christiani, qui etiam homines sunt, utantur, ut nos viridi vestimentorum co-

lore; nos quoque Persæ poterimus inhibere, quod Amuratho vestro inhibendum putatur. Complures similes argutiæ, audaciæ, & ingeniosi generosique spiritùs acumina magno hoc à Persarum satrapa Turcas expertos esse, scriptis etiã compertum est. Sed & ipse idem post hanc legationem suam nullâ non clade afflixit Turcas in bello Babylonis: cùm verò auctis horũ copijs militaribus ultra numerum sexcentorum milliũ militum, suisq; diminutis, & populis sibi auxiliaribus ex interiore Perside itineri jam quidẽ commissis, ast dierum adhuc quadraginta spacio distantibus, imparem se se tandem sensisset; bello cessit, civitatemque deseruit, quæ & à Turcis capta imperante eodem præfato Amuratho. Ceperat porrò iste alios principaliores inter captivos, unum memorati Chalef Beck filium, nomine, Musa Beck: sicut & avum meum, nomine Jacub Aga cognomento Bedik, uti in ultimo referam articulo.

Hæc autem occasionaliter dicta sunto circa odium Persarum atq; Turcarum: cui optimè quadrat Persicum illud proverbium.

Pir per du, nehlet ber her du.

Seniori sive capiti duarum gentium, quibus est contentio, sit & illis maledictio.

Et quidem ratione justâ: etenim Machomet dissensionum seminator eandem cum populo, sibi dissentiendo etiam adhærente, maledictionem patitur, in eundemque veluti in causam miseria omnis, & populi Orientalis tam electi confusio refunditur universa.

Antequam porrò finem ponamus articulo, quidpiam inseram, unde indicibile odium, quod erga Persas habent mulieres Tartarorum in Scythia seu Tartaria majori habitantium, colligere, & mirari possit amicus Lector. Hæ namque cum recrea-

recreationis causâ, aut negotiorum peragendorum gratiâ excedere domibus ſuis debent, antequam ſic ornatæ exeant, pro devotione aliquantulum Bombacis in ſinu aut ſub velo, quod in capite geſtant, ſumere tenentur: hujus ſpei & intentionis inſanæ, ut ſi forſan Deus, pro miſericordiâ ſuâ dignaturus ſit eas deducere in viam, vel modico Perſæ à Tartaris ſuis interfecti ſanguine reſperſam, pauculum illud bombacis eô in inimici ſui ſanguine tinctum in domum deferre valeant ſuam, illudque in juſti erga Perſas odij monumentum & theſſeram aſſervare. Mulieres cæteroquin Perſæ, animi eſſe volunt paulo civilioris, cum etenim his obujam veniunt Tartari vel Turcæ, oculos illicò vel claudunt, vel intutu terram deijciunt, ne hoſtes ſuos invitæ videant, quibus & terga vertunt, quaſi humanâ ſuâ indignis viſione.

En tibi Lector amice odium Perſarum atq; Turcarum, quô erga invicem à maximo, uſq; ad minimum feruntur. Illud ultra noris, tali Perſas odio in Turcas Tartaroſq; exæſtuare, ut dictis & ſcriptis probare conentur, non eſſe hos ſecum ejuſdem ſpeciei humanæ, ſed naturam ſortiri quandam monſtroſam, quæ nec totaliter humana, nec totaliter equina, aut aſinina, ſeu cujuſcunq; alterius perfecti animantis ſit. Ego hic eorum argumenta referre nolo, quorum quidem & libri Perſici nullam non copiam habent: Hæc Perſæ, per me licet, probent; his & reſpondeant Turcæ ac Tartari. Tu Lector amice mecum ad ulteriora, & ſaniora perge.



ARTICULUS XII.

De Opinione quam Persæ aliiq; Machometani habent de Christo Salvatore nostro, deq; Sanctissimâ ejus Genitrice Maria: ubi & argumentis ex eorum malè sanâ doctrinâ desumptis rationabiliter adversum eos de Christi Domini Divinitate arguitur.

SAcratissimo sanè testimonio Christus ipse de se contestatus ait: (a) *Ego sum via, veritas, & vita.* Id porrò, quid nisi ad differentiam cæteris à Prophetis dijudicandam valeat: quippe, qui tanquam homines puri non se viam esse edixêre, sed viam Dei populo monstrare: non se esse veritatem, sed hanc se prædicare: non denique se esse pronunciârunt vitam, sed illam se in Deo asseverare, denunciareque gloriati sunt, haudque aliter potuerunt. Christus etenim Deus homo, solus humanæ salutis auctor, ineffabilem majestatem, dignitatem, bonitatemq; suam, ut veritas erat, veridicô ore sic pronunciabat. Ut mirum non sit, raptum magis, an captum dicamus amore salvatoris Dei illum Apostolum, qui confidentiâ in verba veritatis plenus exclamare ausus est (b) *Qui non amat Dominum Jesum Christum: anathema sit.* Ego porrò, sanctissimâ atque divinâ testante veritate, hæc Pauli asserta, nostris sæpè numero Persis deperditis impavidus citabam, eos asserens, justè huic subjacere maledictioni, quod salvificam Christi fidem amisissent, atque amorem.

Illi porrò maledictioni huic se non subjacere asseverabant. Quia (inquiebant) nos valde amamus Christum, ac veneramur, ut Dominum, & Prophetam magnum, omnes imò Prophetas inter, mulierumque natos præcellentem, purissimum, sanctissimum, miraculosissimeque (quod Prophetarum nulli

datum

datum, dandumve eſt) natum, abſque humano ſemine, carniſq; voluntate, ad Dei per magnum ſuum Angelum Gabrielem nuncium, à puriſſima ante & poſt partum Virgine MARIA, in ſocietate S. Patris Joſephi fabri lignarij: agnoſcimus item hoc ei ſpeciali gratiâ impoſitum nomen. Jeſuh il Miſih, id eſt: JESUS Chriſtus. Spiritum item Dei nominamus eum. Sed & ſentimus duodecim eum habuiſſe Havarium, ſeu Telamiz, id eſt diſcipulos ſive ſequaces, quibus mirabilia multa & bona mortalibus præſtare, de ſua conceſſit virtute. Et nunquid ſummopere verſibus multis libriſque ſalutiferum ejus, vitalem, atque Divinum anhelitum celebramus, quô vel ſufflans in mortuorum corpora ablatam fecit redire vitam: quod neque noſtro de Propheta canimus?

Porrò & eum dicimus veſpertilionem creâſſe, tandemque & cum corpore aſcendiſſe in cœlos aſſeveramus. Dic ſodes (inquiebant ad me) quid amplius in honorem atque amorem Chriſti veſtri dicere poſſimus? Cæterum novam nos legem ſortiti per Machometum ſumus, quem miſericors Deus, & miſerator miſit, ut reformaret quædam de Chriſti lege; aſcriberetque primò ampliorem carni libertatem, quam Chriſtus durâ lege continentiæ arctaverat: dein verò corrigeret errorem, quô homines Chriſtum colebant ut Deum, Deumque ut Trinum. Sicut porrò (inquiebant) incipiente Chriſti lege deficere oportuit legem Moyſis, quantumvis veri Dei Prophetæ; ſic invaleſcente Machometi lege Chriſti legem ceſſare neceſſe erat.

Ego autem noſcens morem eorum, quo inconvenienter & ignoranter loquuntur complurima diſparata, nunc ex Curano, nunc ex noſtris ſcripturis ſacris, nunc antiquis ex Philoſophis, nunc ex ſeniorum ſuorum traditionibus, hiſtoricis, atque Poëticis, itemque Aſtrologicis, imò etiam ex Apoſtolis, omnia confundentes, &, ſi ſuo relinquantur genio, per quatuor horas

ras etiam loquentes, & nihil conſequentiæ inferentes: ut categoricum cum ijſdem tenere ſermonem, & ordinati quidpiam concludere valerem, conceſſis ipſorum utebar ut arguendi principijs. Unde præterquam quod demiratus eſſem illam comprimis ſtultitiam, quâ veſpertilionis creationem Chriſto adſcribunt, illô nihilominùs tanquam ab ipſis aſſertô, utebar ut argumentô: ſic adversùm eos diſcurrens.

Quod ſi vos inſenſati Chriſtum aſſeritis veſpertilionis creatorem, rectà infertur Chriſtum & eſſe Deum: etenim vis cujuſcunque entis etiam veſpertilione imperfectioris creativa, ſolius Dei eſt. Quod verò dicatis hujus tantùm animalis creationem Chriſto, nullius verò alterius conveniſſe: craſſa penè eſt ignorantia. Dum etenim ſic de creatore diſcurritis, ignorare vos creationem palam facitis, quippe, quâ non minùs formica ac cælum, nec magis aquila quam veſpertilio ex nihilo ſui, nihiloq; ſubjecti produci exigit: ut proinde ipſa creationis energiâ, quâ ſolùm ex nihilo, inſtantaneâ Dei virtute atq; actione, & ſubjectô nullô præviô producitur creatura, major non ſit in aquilæ, imò & Angeli, quam veſpertilionis productione efficacia. Quô utique vel naturalis Philoſophiæ argumentô convinci vos eſt neceſſe; quatenùs qui veſpertilionis creationem Chriſto adſcribitis, & divinæ ejus virtuti, eandem virtutem divinam ad alios ſe ſe poſſe extendere effectus admittatis. Sic etenim & paſſer & columba, & cœlum & terra, minimuſque ejuſdem vermiculus ex nihilo, dum creantur, produci volunt, nullâ factâ in ſubjecto, quod in creatione non præſupponitur, mutatione. Confirmari hoc animadvertite ipſum per diſcrimen agentis naturalis ab illo Diviniſſimo atq; Omnipotentiſſimo Numine. Naturalis namque agentis actio, dum in ſubjectum fertur præſuppoſitum, quod ſucceſſivâ mutatione diſpoſitiones prævias mutuamque elementorum commixtionem recipiat, illius

eſt

eſt efficaciæ, ut quemadmodum abſque ſupradictis effectum nullum producere poteſt, ita ijſdem mediantibus, effectum omnem ſic producibilem producere valet. Quâ ratione & agens naturale formicam generat & Elephantem, vermem & hominem. Quid jam de virtute Dei illimitatâ dicetis? ſi Chriſtus, quod Dei ſolius eſt, creativâ excelluit virtute in veſpertilionem, eam utique & in effectum extendere poterat perfectiorem. Ridenda igitur omnis veſtra eſt Philoſophia, an flenda magis ignorantiſſima Theologia. Cæterùm fors creationem ſolius Dei eſſe actionem negabitis, unde & Chriſti me exinde Divinitatem probare minimè aſſeretis. Aſt nolo ego conquiſitis adverſum vos ſtare argumentis hoc in ſenſu, quô abundatis: quippe, qui ex veſtris tantum, quæ aſſeritis, deſumptâ ratione diſcurro. Illud ergo quomodo ſalvatis aſſertum veſtrum, quô Chriſtum noſtrum Ruh Ala, id eſt, Dei Spiritum appellatis? An Spiritum accidentaliter Deo ſuperadditum, vel conſubſtantialem aſſeritis? Veſtræ etiam primum illud exeſt Theologiæ, quæ Deum & ſubſtantialiter & accidentaliter ſentit immutabilem. Quod ſi igitur ſecundùm dicatis, ut ſanâ ratione debetis: id rurſum quæro. Spiritus iſte Deo conſubſtantialis, quem Chriſtum dicitis, vel diſtinctus eſt, vel idem cum Deo? Primum obeſt rationi. Non enim diſtinguitur ſpiritus ille, ut accidens à ſubjecto, cùm Deus, ut ex ſupradictis convincitur, veſtrâ etiam in Theologia, nullius eſt accidentis ſubjectum. Neque diſtinguitur tanquam materia & forma: quippe cum in Deo compoſitio non detur ex materia & forma. Intellectualem autem fortaſſis aſtruetis diſtinctionem: quod certum eſt, ſed nihil ad rem; per vos etenim æquè ac per nos certum eſſe debet, ſicut & eſt, viſibiliter realiterq; Chriſtum apparuiſſe in terra noſtra, & cum hominibus converſatum. Ad tria igitur ſalvanda: Primo, Chriſtum Dei eſſe Spiritum, dein non eſſe aliquid Deo accidentale

ſed ſubſtantiale, & coëſſentiale; Demùm, reverâ realiterque carnem aſſumpſiſſe, atque in eâ mortalibus apparviſſe; ita quæſo, ut neceſſe eſt, dicitote, nullam eſſe hujus Spiritus Divini (per vos Chriſti) à Deo diſtinctionem in ſubſtantiâ & naturâ; ſed ſubſiſtentiâ perſonali, ut latini, aut hypoſtaticâ, ut græci inquiunt, ſolam in Divinis erigi poſſe diſtinctionem; non Dei à Deo, ut horum vitetur pluralitas, ſed Perſonæ à Perſona, ut relativa oppoſitio ſortiatur locum. Atque hujus quidem diſtinctionis Perſicum etiam habetis nomen veſtra in vernacula. *Ferk aſcichas*: quod, quid aliud ſonat, atque *differentiam* ſive *diſtinctionem Perſonarum*: quam etiam Arabico nomine *Ferk il akalim* ſignificatis: tametſi hoc ſignificatum cum fide perdideritis. His alijſque id genus argumentis utebar diſcurſus gratiâ, quatenus ita, non directis argumentis, quibus infideles minùs perſuaderi potuiſſent, ſed proprijs confunderentur aſſertis, falſis tametſi, ab ipſiſmet tamen aſſertoribus non negandis.

ARTICULUS XIII.

Ex eorum pariter aſſertis probatur adverſum eos Sanctiſſimæ Triadis myſterium, & noſtrâ ſanâ doctrinâ illuſtratur.

SIc porrò, pertinaciter ignorare volentibus Chriſti probaveram Divinitatem, quô & modô Sanctiſſimæ eiſdem expoſui veritatem, atque myſterium Trinitatis: ſumptô quidem argumentô ex Curani verbis, quæ ſunt, *Akalim Sales*, id eſt, *Tres Perſonæ.* Quid igitur inquiebam corde reſpicitis, quod ore ſaltim olim aſſeruiſtis, donec Machometus Veſter, hortatus vos abſtinere à trium agnitione Perſonarum, maleſanâ promiſſione ſubjungens: *& benè erit vobis*? Quin imò malè jam vobis erit, dum eum ſequimini, qui, ut facilius in humanis

nis

nis introduceret pluralitatem uxorum tantùm ſatagebat; nedum in Curano non curans defendere, ſed & ſtudens invertere in Divinis Perſonarum pluralitatem. Aſt quæramus tantiſper in pluribus, eccur corde non correſpondeatis huic *Trinitatis* voci, ſicut cor olim veſtrum, dum ſanctâ poſſideretur à ſapientiâ, correſpondebat, & ineffabile Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium prono aſſenſu profitebatur? Nomen quid vobis Trinitatis, ſi ejuſdem ignoratis ſignificatum? Sed neque ut merè chymæricum ſuſtinere poteſt vocabulum Curanus veſter; Sacris etenim ſcripturis, & Sanctæ Dei Legi nihil eſt cum nugis, fabulis, & entibus rationis. Accedit quod ijs nominibus atque ſignificationibus compluribus, quibus paſſim antiqui Chriſtiani Arabes, hoc myſterium exprimere ſolebant, non exprimit. Aſt ſi Machometum, dum viveret, veſtrum in camerâ confidentiæ, & ut proloquiô utar, ſub roſâ ſi quis eundem ſecretius atque ſincerius edicturum interrogaſſet, quidnam ille de Trinitate ſentiret? Clariùs ſanè dixiſſet quidpiam, quam ſuo traditum reliquerit in Curano. Hunc enim ad populum ſimplicem, rudemque Arabem, cui ſe ſolum miſſum à Deo Prophetam edicebat dirigere, atque nugis & mendacijs replere ſategit. Quantum tamen liceat, ex ipſomet vobis Curano ediſſeram Trinitatem. Et ſanè nunquid Trinitatem, aut ſaltem manifeſtam Deus in eo edicit pluralitatem, toties eloquens in plurali, per verba, Nos, poſſumus, ſcimus, volumus, concedimus, &c. Iſte ſanè pluralis loquendi modus, ſi vos, qui litteram ponderatis ad unciam, pluralitatem ſonat. Aſt ante fores jam ſtatuiſtis effugium, dicturi, pluralem illum Dei loquendi modum in Curano, titulumq; omnem, quô modus eſſendi Dei exprimitur, ſalvari per pluralitatem attributorum, minimè verò arguere pluralitatem Perſonarum in Deo. Aſt, paulò ſaniori trutinâ libremus hoc neceſſe eſt. Vos nonne Deum dicitis per

Gabrielem Angelum ſuum mandaſſe Machometo, ut Curanum ſuum inciperet, legeretque hoc titulo?

بسم اللّٰهِ الرحمٰنِ الرحيمِ ۞

Id eſt:

In nomine Dei miſericordis & miſeratoris.

Nobis verò Chriſtianis, ſub hoc titulo legere Evangeliũ, juſsũ eſt.

بسم الاب والابن والروح القدس الاله الواحد ۞

Scilicet:

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, unius Dei.

Sic igitur aliquam pluralitatem, qualemcunq; tandem admittitis; quam dum nos per Trinitatem Perſonarum aſſerimus, Vos per pluralitatem attributorum edicitis, ut ita verificentur in Curano hæc Dei Verba Nos, volumus, poſſumus, ſcimus, &c. Quod miſerum ſanè effugium dum tremulô pede tremebundi vix eſtis aggreſſi, jam vitaturi lapidem offenſionis incidiſtis in petram ſcandali, & ignava Theologia veſtra incidit in ſcyllam cupiens vitare charybdim. Nempe ſic Machometus veſter, uti erat novitatis amator, cupienſq; diverſam à Chriſtianâ fundare legem, eâ uſus eſt calliditate, ut quod totaliter in principio abrogare non poterat, illud alterare ſaltem, aut loquendi modô ſategerit immutare: Idque potiſſimum in ſanctiſſimis myſterijs Incarnationis, & Trinitatis. Pluralitatem igitur in Divinis, dum vafer hanc tanquam communiſſimè receptam omninò negare, aut improbare non fideret, nomine tamen Trinitatis Triumve Perſonarum nec nominare voluit; atque ut nihilominus verbis pluralibus, *Nos*, *volumus*, *poſſumus*, *&c.* Relinqueret fundamentum, poſuit per frequentationem attributorum titulum Curani ſui.

Bi

Bi hifm hilla rehmani, rehimi.

Id eft:

In Nomine Dei mifericordis & miferatoris.

Quantum igitur colligere favet, pluralitatem quam nos manifeftè per Perfonas, ille obfcuritate fubdolâ expreffit per attributa: ficque incepit legem fuam; quam fubinde ineptiori & vulgariori, proportionaliter ad ineptam atque vulgarem Arabum mentem, quorum fe Prophetam erexerat, loquendi ufus eft modô, quô longè alium natura rei exigebat. Sed dicitote velim, cur mifericordem rectà & miferatorem, quod hominibus pijs tribui quoque poteft, Deum appellârit Machometus? Volens enim intrinfecum Dei effendi modum exprimere, omnifcientia fanè & omnipotentiâ perfectiùs potuiffet. Ideo nempe, ut aftutiam aftutiæ fuperædificare poffet; & quia familiare magis erat, fimplici hominum menti, fuorum comprimis Arabum, de quibus ipfi cura erat, Deum effe mifericordem & miferatorem, quam omnipotentem aut omnifcium; quod aliquâ indigeret Theologiâ, cujus ipfe noctua erat, & omnes pofteros fuos noctuas effe voluit: ne, cùm Deum clariffimô omnifcientiæ & omnipotentiæ titulô refulgentem populus intueretur folem, aquilinâ niteretur aviditate indagare de pluribus, unde intellectum unicô verbô fæcundiffimum, confequentemque ad hunc voluntatem fine defectu fpirantem refpirantemq; conijceret atque ita in Trinitatis deveniret agnitionem. Vefter proinde Machometus, cum (nefcio, quô fpiritu) è diverfis novam fufcitare cuperet fectam, cujus è gentilifmo, Judaifmo, & Chriftianifmo præmeditatus erat confufionem, quantum potuit, curavit alienô atque diversô loquendi modô, & phrafi vitiata gentilium exprimere, Judæorum, & Chriftianorum dogmata: quemadmodum ipfomet fuo con-

ſtat ex Curano; in quo proinde cautê & ſubdolè perſuadet ſuis abſtinere, non tam à Trinitate, quam à tribus Perſonis; ſicq; pluralitatem in Divinis non per Perſonas, ſed per attributa miſericordiæ & miſerationis exprimit. Aſt & illud forſan Machometi intentum erat, quatenus ita rudi populo, cui enormem vivendi vitam per multiplicem ſcelerum, & carnalitatis regulam intenderat perſuadere, primum Dei & ſingulariſſimum diceret attributum miſericordiam, & miſerationem in ſceleratos & delinquentes, quorum utique primus erat, aſt omni Dei miſeratione indignus, atque reprobatus.

Cæterùm tametſi populum juſſerit, non à tribus Perſonis, ſed à miſericordia & miſeratione Dei inchoare confeſſionem, certè non ſolum veritati, ſed ſibi contradicit ipſi, dum alibi Perſonas fatetur in Divinis, affirmans in Deo dari verbum, atque ſpiritum procedentem. In cap. 3. cujus titulus eſt de mulieribus, in quo duo à nobis Chriſtianis exoptat, ſatis clare, & apertè docet veſter Machomet. *Chriſtus Jeſus, Filius Mariæ, eſt verbum Dei, quod ad Mariam immiſit, & Spiritus ex Deo procedens.* Quid, neſcio, clarius iſto teſtimonio veſtri legislatoris habere intendatis, ô vos maleſani Machumetani pro veritate horum duorũ Auguſtiſſimorũ noſtrorum myſteriorum Trinitatis nempè, & Incarnationis: niſi vos veſtro contradicatis Prophetæ, & ille vobis, ut inde per tale reciprocum veſtrum litigium, & mutuam diſcrepantiam, juſtam nobis Chriſtianis præbeatis anſam ridendi vos, & gaudendi in ſorte noſtra: juxta illud; inter duos litigantes tertius gaudet.

Denique, quâ vos ratione Machometani realem per attributa ſufficienter ſalvare, aut potiùs pronunciare poteritis pluralitatem? ad realem namque pluralitatem reali opus eſt diſtinctione inter ea quæ plura dicuntur: unde cùm vos in Deo mille & unum agnoſcatis attributa, ut modum eſſendi & exi-

ſtendi

ſtendi Deo veſtro rectâ tribuatis profeſſione, illa omnia exprimere cur non conamini, incipiendo in Nomine Dei, non ſolùm miſericordis & miſeratoris, ſed & æterni, immenſi, ſapientis, omnipotentis, juſti, boni, immutabilis, ſimplicis, creatoris, largitoris omnium bonorum, donec tandem ad numerum mille & unius attributorum deveniatis. Quod verò dum non facitis, realem, quam in divinis agnoſcitis pluralitatem, ſatis non confitemini. Aliter nos ſanctam Chriſti fidem edocti profitemur, quia attributa omnia, & quæcunque ad ordinem pertinent abſolutum, realiter in una profitemur eſſentiâ identificari, modum verò Dei eſſendi in tribus Perſonis relativâ oppoſitione realiter diſtinctis comprehendimus: neque angimur circa Divinorum multitudinem attributorum, qui Dei eſſentiam omni perfectione abſolutiſſimam, eminentiſſimam, fatemur & infinitam.

Illud autem non inaniter ſentimus, quod tametſi abſoluta ut priora per rationem ſint agnoſcenda, ac relativa, Patri tamen per Omnipotentiam omne poſſe, Filio per Sapientiam omne ſcire, & Spiritui Sancto per Amorem omne bonum piumque tribuimus velle, ut munera, tametſi indiviſibiliter toti ineffabili ſanctiſſimæque huic Triadi communia, juxta Perſonarum & vocabulorum proprietates veluti antonomaſticè edicamus. Itaq; tres Perſonas in una profitemur Divinitate; dum nempè Arabicè dicimus:

Hab Ibim, va Ruh il Kadus Hilail vahed.

Id eſt:

Pater, Filius, & Spiritus, unus Deus.

Denique, dum, niſi ſuppoſitâ ſacratiſſimâ & ſalvificâ fide noſtrâ, ſublimiſſimum hoc Sanctiſſimæ Triadis myſterium, probare non poſſum; id ſaltem naturali congruentiâ vobis perſuadebo.

Nun-

Nunquid altiſſimam pro dignitate reveremini divinitatem, quam ſterilem, & abſque fœcunditate quaſi abjectam vultis; cùm cæteroquin truncum abſcindendum, atque in ignem mittendum fateamini, qui nullâ pollens vitalitate, nullum ſe ſe extendit in ramum? Quod ut nos in fœcundiſſima Divinitate vitemus, Patrem ut ſtipitem, Filium ut ramum aſſerimus: tali equidem ratione, ut intellectualis iſta ſit vitæ fœcunditas. Tum verò, qualem vos arbitramini Deum, cujus ab æterno ocioſa voluntas? Nos porrò uti non ociantem intellectum, ſed infinitum concepiſſe aſſerimus Verbum, voluntatem pariter operosô mutuôque Patris ac Filij amore Spiritum credimus produxiſſe.

Et denique qui hæc vobis perſuaderi non ſinitis, utquid nullam mihi horum implicantiam aſſignatis. Non ego vobis Philoſophica ſtatuam argumenta humana, queis vos ſubvertatis Divina; ſed manifeſta in creaturis demonſtrabo veſtigia, queis Deus etiam modo Naturæ ſator Sanctiſſimam vobis Triadem in ſubſtantia unam, atque unitatem ſimpliciſſimam, in Perſonis Trinam, rudiori, uti ita pro humano captu proportionaliter dicam, penicillo depinxiſſe videtur. In ſole legit Auguſtinus Trinitatem: quod ſicut à ſole lux, â luce ſplendor, & ab utroque calor exoritur, ſic à Patre filius, cùm ſit ſplendor Patris, & ab utroque calor, qui ſpiritus Sanctus eſt, producitur. Aſt cum Incognito aquam accedamus, in quam demiſſum jaceat ſpeculum cryſtallinum. Undâ ergo quieſcente, dum ſol lucet, tres protinùs ſibi ſimiles ſoles videntur, unus quidem in cælo, alter in ſpeculo, ac tertius in aquâ; quorum primus cum à ſe ipſo ſolo lucem accipiat, & ſecundus à primo illuſtretur; ac denique tertius à primo & ſecundo communicatum habeat ſplendorem, non quidem tres ſunt, ſed tantùm unus ſol exiſtit.

Porrò Cyrilli referamus exemplum contemplantis in ſole

Patrem

Patrem generantem, in radio filium genitum, & in calore ſpiritum Sanctum ab utroque procedentem: ait enim ille: Imago Patris eſt ſol, radius eſt filius, calor ſpiritus Sanctus. Sol Patrem multâ cum proprietate ſignificat. Nam ut ſol ab alio ſole non gignitur: ita Pater, quem Theologi vocant ingenitum, ab alio non emanat; & ſicut radius ſolis ab ipſo naſcitur ſole, atque ei coævus eſt; ita filius à Patre non minus quam ille naſcitur æternus. Quin etiam quemadmodum ſol à cælo nunquam diſcedens ſuam diffundit lucem, quâ terram calefacit univerſam, illamque fæcundat: ſic Pater in cælo ſemper manens, nec unquam ad nos in corpore deſcendens, ſuum miſit Filium, qui fuit mundi lux; & ab utroque Spiritus Sanctus egreditur, qui increatus calor eſt; quô Deus ipſe animas fovet, atque vivificat. Præterea, ut ſolares radij precioſos uniones, aliaſque gemmas, & aurum intra terræ viſcera gignendo, & ſuper terram plantas & animalia producendo indicant virtutem ſolis, à quo calorem accipiunt; ſic Filius & Spiritus Sanctus mirabilius in hominum genus collatis operibus, ad animarum ſalutem, æterni Patris potentiam, itaque infinitam virtutem declarant & prædicant.

Quòd ſi Anſelmo credamus, & Cypriano. Trinitatis arcanum aquæ perenni eſt ſimile, quæ à fonte derivatur in fluvium, tandemque in lacum prolapſa quieſcit. Atque ſecundùm Nicæni concilij comparationem, fons eſt Pater, de quo ſcribitur, (a) *apud te eſt fons vitæ*: fluvius à fonte derivatus Filius eſt, ipſe enim de ſe dixit (b) *Ego quaſi fluvius exivi de Paradyſo.* Lacus figura eſt Spiritûs Sancti. Nam quemadmodum in lacu omnis aquæ vis, & copia quieſcit, ac permanet, ita Divinæ naturæ communicationes in Spiritu Sancto terminantur, nec ad quartam Perſonam progrediuntur. Cæterùm ſicut quilibet floſculus, aut quidpiam aliud in fontem cadens rapitur in fluvium à fonte pro-

(a) *Pſal. 35. v. 10.* (b) *Eccl. 24. v. 41.*

fluentem, & à fluvio in lacum perducitur, ita quæcunque essentialis perfectio, quæ in Patre est, derivatur in Filium, & à Parre & Filio in Spiritum Sanctum emanat; ut professus est Athanasius: Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus. Rursum cum Eusebio si me sentire faveatis, trium utar similitudine facularum, quæ si jungantur accensæ, non tres flammas, sed unam referunt; non tamen una fax, sed tres faces existunt. Simile Cornelius Mussus circa Iridem sentit, cujus lux una, & triplex color. Dodonæus quoque herbam Trifolium SS. Trinitatis agnoscit symbolum, uti & violam tricolorem, similesque frutices & stirpes, quæ aut tribus folijs ab uno stipite exsurgunt, aut triplici coloris varietate exornantur. Ut denique vobis Machometanis congrua plura ad hominem loquar; illud, quod vitæ humanæ est, sit & vobis theatrum, in quo omnigena Trinitatis vestigia vobis appareant. Agite,& videte in omni penè re creatâ aliquid Trinitatis. *(a)* Est enim ubiq; invenire modum, speciem, ordinem, numerum, mensuram, pondus, essentiam, virtutem, operationem, creationem, distinctionem, ornamentum. Ad particularia descendite. Videtis in sole naturam, lucem, calorem; in homine memoriam, intellectum, voluntatem: in tempore præsens, præteritum, & futurum; in motu principium, medium, & finem: in mundo elementa, coelos, Angelos; in elementis grave, leve, neutrum; in scientijs naturale, rationale, & morale. Et ut per particularia vobis particularia loquar, principaliores nunquid vestræ in tribus consistunt devotiones, oratione, lotione, & jejunio?

Sed ex eodem vitæ Theatro infidelis vitæ vestræ pertinaciam, & cæcutientem obijcietis humanæ rationis captum, per illud Epicteto quondam Philosopho objectum. Multa de Deo, & præclarè quidem dixisti, quid tamen ille sit, hactenus ignoramus. Ast reperietis inibi Philosophi responsum. *Si omninò ego*

(a) *Laur. Beierlinck. in theat. lit. T. verb. Trinitas.*

Deum

Deum declararem, vel ego Deus essem, vel ipse Deus non foret. Et Augustino teste; *Multa sunt, quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur, non ut ipsa dicatur, alioquin non esset ineffabilis; sed ut illis dictis, dici non posse, intelligatur.* Finem deniq; tibi faciã cum Augustino eodem. *Requiris à me, quomodo uno nomine tres appellentur? nescio; & libenter me nescire profiteor: quod Christus voluit indicare, hoc solum scio; & quia in hoc Christianus sum: qaia unum Deum in Trinitate confiteor.* Hæc ille.

Porrò ipsômet hôc jam assertô occurrere videor ut inanis miles Achilli vestro, quem obijcitis, ut soletis: quod sicut adveniente Christô cum lege suâ, oportebat cùm scriptâ suâ recedere Moysen, qui olim de Christi prophetizabat adventu, & lege; tametsi hanc, uti neque Christum ipsummet legislatorem amplecti noluerint, quô tanquam justo ex capite infideles habentur: sic pariter adveniente Machometô cedere oportuit Christum & legem ejus, utpote & de quo hic ipse Christus noster, suo vaticinatus sit in Evangelio, nuncupans eum spiritum paraclytum, ijs quidem in verbis: *(a) Cùm venerit spiritus Paraclytus, ille docebit vos omnem veritatem:* Unde nos huic vestro per Christum prædicto paraclyto Machometo credere nolentes, pari ratione illi, prout Judæi Christo à Moyse prædicto credere nolentes, infideles dicamur & simus. Ast placeat Christi prophetiam examinare amice; si amicus à Christiano etiam appellari merearis, qui Christo fidem abjuras. Hic Dei propheta, ut & illum tu veneraris, Christus, illum nonne spiritum promisit, quem post non multos ab ascensione dies, decimâ videlicet, linguis dispersus igneis supervenit in discipulos complens totum, quod à Christo eis prædictum erat? Quæ si negatis ut facta; ad ultro tamen Machometi vestri invertendam authoritatem, quâ eum paraclytum â Christo promissum asseritis, ipsiusmet en Christi ex Joanne allego verba. Hæc ille de

(a) *Joann. 16. v. 13.*

Paraclyto à ſe mittendo. *(a) Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: cùm autem venerit ille, docebit vos omnem veritatem, & ille ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis; & ille teſtimonium perhibebit de me. Item, ille me clarificabit, quia de me accipiet, & annunciabit vobis.* Nunquid hæc Machometo conveniunt, ut ſit Paraclytus à Chriſto putatus? Quæ ſunt veritates omnes quas docuit Machometus? Contradictiones, ſupra quibus vel ratio humana nauſeat. Quæ ſunt ſancta ejuſdem ſuggeſta ſuper his, quæ Chriſtus Apoſtolis dixit? negationes juris Divini & naturalis. Quos ille Apoſtolos ſuper ſanctâ prædicatione inſtruxit? Apoſtatas Dei verbum peſſundare fecit. In quo Chriſtum clarificavit? Divinitatis ab eo lumen proſcribere tentavit. Quid de Chriſto accepit? quod ipſe edicere non valebit, niſi ſanctus & Divinus ab eo eſſe velit, adverſum cujus ſanctitatem & Divinitatem inſurgit. Quid annunciavit vobis conformiter ad Chriſti legem? Hic veritatem edocuit, ille mendacia prædicavit. Hic innocentiam introduxit, ille vitia plantavit. Hic Deum benedixit; ille maledictiones invenit. Hic mortalium inſaniam correxit, ille rationem omnem invertit, gulæ, luxui, & luxuriæ fræna laxavit, blaſphemiarum gymnaſia erexit, adulteriorum emporia induxit, ſuperſtitionum fecit Academias, & univerſam vitam fidemque ſuam ac ſequacium ſuorum, nullius non voluit eſſe ſceleris, invidiæ, ſuperbiæ, perjurij, maledictionis, excæcationis; infidelitatis, & deſperationis Univerſitatem. Hoccine jugum ſuave eſt, & onus leve Chriſti? Felleum eſt, unde venter amaricatus venena decoquit, & animæ ſuæ viſcera rumpuntur. Durum eſt, & grave, unde juxta Chriſti promiſſionem, non reficiuntur, qui laborant, & onerati ſunt, ſed opprimuntur, ut æternum laborent, ſuâq; nunquam exonerentur damnatione. Paulò ſanè deviavit, multum imò, & toto cælo Macho-

(a) *Joann. 16. v. 12.*

me-

metus vester, declinans à Paraclyti, in Paralytici Evangelici semitas; sed neque cum hoc ullam à Christo sortietur sanitatem, & benedictionem.

Denique ut Evangelicæ veritatis subterfugiatis lucem, docetis sanctum Christi Evangelium in mundo amplius non existere, sed cùm eo in cælos ascendisse. Forsitan, ut Deo, Angelisque ejus Evangelizare Christus valeret & in cælis? Ast magis, ut omnes inter mendaces vos erigeretis solemniores, ipsâque crassiores à mendaciorum, & figmentorum solennitate; dum scilicet tot Orientis, Occidentis, aliarumq; orbis partium nationes, omni sapientiâ pariter atque potentiâ celebres, tametsi idiomate, climateque multum discrepantes, Romani, Græci, Armeni, Syrij, Chaldæi, Ægyptij, Affri, Indi, Æthiopes, ipsimet imò Arabes, in antiquissimis adhuc manuscriptis Christi vel tenent, & amplectuntur vel saltem custodiunt & legunt Evangelia. Quod si quidem his non obstantibus nos, non vero vos asserveritis impostores, & veritati contradicentes; omni vestræ falsitati gloriam adscribentes; mirum equidem non erit, quia hoc primum & solennissimum inter alia vestra poterit, & debebit connumerari mendacia.

Nam si quando nos Christiani adducimus aliquid ex Christi Evangelijs ad nostra contra vos probanda Christiana dogmata, respuitis, dicentes: non ultra verê Christi in mundo existere Evangelia, sed una cum ipso ad cœlos ascendisse dicitis; quæ verò nos modo Christiani habemus, esse figmentum nostrorum Sacerdotum, atque Doctorum asseritis, adeò ut prædictæ illæ tot mundi Nationes & gentes, inter se omninò in lingua, Regioneque distantes, Evangelij verò Unitate, Veritateque unanimiter consentientis etiam quoad unum *&*, mentiantur, quod impossibile est. Quomodo igitur, quæso, vestra omnium novissima fex & gens Machometana solemniter non mentiantur? dum

famosis suis celebrat libris prophetæ veritatem per ea, quæ in rei non exstant veritate per ipsam, utpotè Christi Evangelia, quæ pluribus Machometi præcesserunt adventum sæculis? Si igitur ea quispiam Christianorum eo non vidit neque scivit tempore; multò minùs Machometanorum aliquis post tot sæcula novisse potuit ea. Nonne igitur multa dicere, & nihil probare, est solemniter mentiri, sicut vos Machometani in omnibus Religionis vestræ Articulis facere soletis; potissimum in hoc, in quo omnem basim totumque vestræ fidei firmatis fundamentum contra nos Christianos. Corruente igitur tali ita languido inanique fundamento facilè corruet tota perfidæ, falsæque vestri Machometi Religionis machina; quæ perperam è Christi Domini sibi quærit fulcimentum Evangelijs. Experimini igitur, experimini ô vos insensati cæcique Machometani Christi Salvatoris efficacissimam, Divinamvè Evangelij virtutē, quæ si per sui absentiam (loquendo juxta corruptam vestram mentem) vos nugarum mendorumq; jam declarat sequaces, quid igitur non effecisset per sui in vobis assistentiam? Hercule non mendorum nugarumvè Cultores, rerum inanium, carnalitatis atque sensualitatis contra etiam humanæ rationis dictamen avidos amatores atque propagatores; sed veritatis, puritatisque Cultores, altissimorumvè mysteriorum Indagatores, eorumq; benignissimarum participes redidisset influentiarum, uti olim. Estote igitur & modo fideles, & non increduli illi, qui beatificavit non solum eos, qui ipsum oculis carnis viderunt, sacrumque ejus Evangelium ab ipso oretenus audierunt; sed & magis eos, qui non tali sensûs potentia, sed altiori, fidei videlicet actu, viderunt & crediderunt, ut ita per fidem majus fidelis sortiatur meritum in cœlis.

Neque jam miror Machometi vestri legem, quæ Christi legi sanctissimæ omninò adversatur, nedum à Christianis, sed & ab ipsismet

ipſiſmet veſtris Machometanis compluribus, tanquam Deo & rationi diſſonam floccipendi. Porrò vel Judæi, noſtri æquè, ac veſtri in fide Inimici, Machometi amplecti fidem renuunt, vobiſque, ut eam amplectantur tentantibus, reſpondent, præſtolari ſe promiſſum, cui & ipſi, & omnis mundus fidem habere tenebitur, Meſſiam & Salvatorem; inquiuntque: quod verò Chriſtiani dicant jam illum veniſſe in Perſona Chriſti ſui; ſi ita in veritate eſt: Væ jam & nobis Judæis, & vobis Machometanis! Quid ad hanc Judæorum dicetis objectionem, qui verum jam creditis mundo adveniſſe Meſſiam, cui tamen fidem non obſervatis? Væ vobis undique conclamabitur, qui Dei lucem tota cordium penetralia ſubintrare non ſinitis?

Breviùs denique concludam oportet, ne de me verificetur, quod Machometani de Curano aſſerunt, Turcico illo proloquio.

Cioch Soilemech Curhane jaraſcir.

Id eſt:

Multum loqui Curanum decet.

Nota jam Lector honorem garrulitatis, quem ſui tribuunt Machometo.

Illud ſuperaddi à me ſinite ô Machometani, quod veſtro Machomet in Curano cap. de familia Amran ait: *Non ſunt præter Chriſtianos, ſeu præter eos, quibus ſacræ ſcripturæ traditæ ſunt, gentes aliæ ſuperſtites, qui meditantur articulos traditæ legis nocturnô tempore; & ipſi genu flectunt, & credunt in Deum, & diem ultimum, & jubent ſeu tractant honeſta, & ab inhoneſtis recedunt, & prompti ſunt ad bona; & ipſi ſunt recti & probi.* En tibi ſat copioſum de Chriſtianis & Judæis extat panegyricon in tuo Curano! en quantum illos celebrat, en quanta laudum præconia. Dum igitur Machometus tuus coactus à Chriſtianæ

næ veritatis & puritatis Majeſtate veritatem fatetur, laudans & exaltans Chriſtianam gentem, ut veritati & honeſtati deditam, diviniſque ſcripturis ſtudentem; tametſi alibi malignô agitatus ſpiritu ſibi contradicat; jure meritô tanquam homo inſanæ mentis, non ſolùm nullam fidem, ſed neque pacificam, & benevolam aurem promereri poteſt ab homine prudente.

Aſt occupavit omne vobis rationis lumen, avernalis ille tenebrio, & ſe promiſſum eſſe paraclytum vobis inſanâ ratione omninò perſuaſit. Capiat ad Articuli epilogum amicus Lector, quod expertus adijcio. Aderam quandoque primo Concionatori Regis nomine & titulô Scieh Ali Reza tegelli in domo ſupremi Regis miniſtri. Is ergò vir ſuâ doctrinâ abundans, & Machometicæ multum deditus ſuperſtitioni, inter alia diſputationis puncta, memoratum ſupra, & conſuetum ſectæ ſuæ obiecit Achillem. Præſente namque præfatô ſupremô Regis Miniſtrô, cùm ſatrapis nonnullis, & curiæ Proceribus dixit: Cur nos Machometani Chriſti legis veritatem probamus per vetus teſtamentum (quod Tourat vocant) & prophetias ejus, & vos Chriſtiani modo renuitis veritatem legis novi Prophetæ noſtri Machometi, prædictam tamen per veſtrum novum teſtamentum (quod Ingil vocant) apertiſſimè de illius adventu loquens, per illa verba: *Cum venerit.* Supra citatâ? Vos igitur Chriſtiani infideles eſtis, dum Machometo non creditis. Ego verò modeſtiâ & audaciâ munitus Chriſtianâ, juxta illud Apoſtoli; *(a) Ut ſimus parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de eâ, quæ in nobis eſt, ſpe*; Reſpondi in vernacula Perſica ſimilia, ut hactenus recenſui breviter, & alia complura; durante altercatione noſtrâ ad tres tantiſper horas. Ipſe tandem ſupremus Miniſter efferveſcens inquit. Adjuro te per Chriſtum tuum, ſi in Evangelio, quod Latinâ, Armenâ, aut alia legitis linguâ, nullum ſit teſtimonium ſimile in commendationem Macho-

(a) *1. Petr. 3. v. 15.*

Machometi noſtri? Ego humili phraſi Perſicâ reſpondi. Venerande Principum Princeps, & fideliſſima Regis proſperitatis fidelitas; uti tantô ſubjaceo juramento, ita tactô pectore dico, in quo Chriſti Domini mei nomen gero: in Evangelio noſtro invenire utique eſt aliquid vel de cane, & de porco; nihil prorſus veſtro de Machometo. Ille diſplicentiâ quaſi motus finem diſputationis omnibus imponens, ad ſuum nos accedere prandium juſſit: mirantibus interim cæteris, quorum nonnulli publicâ hâc magnanimitate diſcurſus mei, magnas Chriſtianæ pietatis ſcintillas in animo ſunt experti. Hæc de Machometanorum circa Chriſti legem opinione.

Ubi adhuc illud pro fine addiderim, non debere vel mihi, vel prudenti Lectori mirum eſſe, quod Orientis noſtri deperditi Machometani, pro ſuâ ſaciandâ & recreanda perfidiâ, dentibus caninæ invidiæ, & Diabolicæ rabiei uſque adeo dilacerent ſpecioſiſſimam Chriſti Purpuram, illius nimirum unam Sanctamq; Eccleſiam, precioſiſſimi ſanguinis ſui valore atq; decore gratioſiſſimè tinctam. Non inquam hoc mirum ſit; quoniam & hujuſcemodi in promptu eſt, de quibuſdam, qui licet Chriſtum nomine portent, corde tenùs tamen odio habere cenſentur, dum ejus ſe ſe non ſubdunt Eccleſiæ ſanctæ. Et taliter quidem ſe ſe habent hæretici, qui miris in modis contra omnem morem, ac pietatem Chriſtianorum antiquorum & modernorum tam occidentis, quàm orientis (qui equidem reperto aliquo inter ſe circa Criſtianam pietatem atque zelum in devoto, alio eum ignominiæ titulo non ſolent afficere, quam vocando eum Mahometanum, Lutheranum aut Calvinianum) non ceſſant Chriſti Tunicam inconſutilem dilacerare in partes innumeras, per diverſiſſimas tot ſectas atque hæreſes, quas hic recenſere foret extra ſcopum; cùm aliunde curioſus Lector has invenire fuſim valeat in authoribus tum antiquis, tum recẽtiori-

bus, quorum ei ſingulariter eruditiſſimos D. D. Adrianum, & Petrum de Walenburch, Batavos, Adrianopolitanum & Miſienſem Epiſcopos, Colonienſem & Moguntinum ſuffraganeos propono, de controverſijs fidei moderni temporis in tractatu generali procedentes. Eas cæterùm hic tantùm dixerim & deploraverim fœtidas omnium errorum cloacas, Gentiliſmum, Judaiſmum, Machometaniſmum, Arrianiſmum, Neſtorianiſmum, Pelagianiſmum, & alios ſexcentùm. Per exoticas enim & deteſtabiles hujuſcemodi perfidias, qualia & quanta damna communis ille ſanctæ pietatis oſor diabolus intulerit ſanctiſſimæ & Chriſto dilectiſſimæ Chriſtianitati etiam in temporalibus & ſingillatim quidem, quam venenoſa tot hujuſcemodi vel in Europa etiam ſeminaverit zizania, ego cùm alienus ſim, edicere nolo, hæc enim ſatis ſuperque eloquuntur continua litigia, odia, contentiones, indiem diverſimodè agitatæ inter hæreticos & Chriſtianos. Sed & tubarum, ac tympanorũ bellicorum horriſoni ſæpe jam eloquebantur hæc omnia tumultus, & bella permulta utique, ſæpe exorta non fuiſſent, nec ita diu durâſſent inter Principes Chriſtianos Europæ, niſi, ut orbi conſtat, totduplex in fide diſſenſio exorbitâſſet. Ipſum imò infenſiſſimum Chriſtiani nominis hoſtem Turcam faciliùs omninò reor debellandum, ſi unanimis Principum eſſet cum Sancta Dei Eccleſia Romanâ conſenſus, prout olim erat, cum maxima fidei propagatione, animarum emolumento, totiuſque incremento Europæ. Ecquiſnam ratione prudens vel ex hiſtorijs perfacilè non advertat, atque vel inde ploret infeliciſſimum feliciſſimi olim orientis noſtri caſum in duram adeo atque miſerabilem præſentis temporis captivitatem? Nunquid non, quia receſſit à ſana doctrina antiquorum ſuorum, & materno ſinu Eccleſiæ Dei Sanctæ? Id quod & omnes rectæ politiæ ſtudioſi conteſtabuntur, ſive fideles ſint, ſive infideles, quod religionis & fidei unitas maxi-

maximo foret emolumento mundi Principibus, ut tranquillè pacateque cum alijs ſibi paribus vivant, & manſuetiori dominio in ſibi ſubditos agant. Abominandi proinde ſunt omnis politiæ Chriſtianæ perturbatores hæretici, quorum & doctrinâ non niſi ſementa ſunt diaboli, unde præter animæ, corporiſque nocumenta oriri nihil poteſt. Magis imò nocivæ ſunt hæreſes hujuſcemodi, ac ipſi ſint exteri hoſtes Machometani, qui tales ſe ſe vel nomine palam profitentur. Enimverò in ſcripturâ per excellentiam nominis vocantur inimici, qui ſunt domeſtici, juxta illud: *(a) Inimici hominis domeſtici ejus.* Sed ex ſcripturis pauca adhuc eruamus. Quandonam unquam Machometus cum omni ſua perfidia & hoſtilitate docuit Chriſtum Dominum, de quo dictum eſt: *(b) Talis, decebat, ut nobis eſſet, Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus:* deſperaviſſe? Id tamen, quod docuit Calvinus in Matth. c. 27. impudentiſſimè inquiens: *Abſurdum videtur Chriſto elapſam deſperationis vocem. Facilis ſolutio eſt*, addit maledicus execrabilis; *Videmus omni ex parte fuiſſe vexatum, ut deſperatione obrutus ab invocando Deo abſiſteret, quod erat ſaluti renunciare.* Ejus ergò hoc in paſſu fundamenta, peſſimaſque ſcripturæ intelligentias non adduxero; ſed Sanctorum Patrum, Conciliorumque authoritati, communi Doctorum ventilationi, atque cenſuræ, jam toties quidem factæ committo, quem & errorem deteſtabilem ſublimis Doctorum aquila Auguſtinus, uti perſpicaciter vidit, ita pridem & efficaciter reprobavit Epiſt. 99. ad Evodium. Non hæc ſomniavit contra Redemptorem Machomet. Sed omnem ejus faſſus eſt innocentiam, imò, tameſi plus nimio ſentiens & in hoc errarit, docuit eum non guſtâſſe mortis amaritudinem, natum ex Virgine (quod benè inquit) intemeratâ, vivum cum corpore cœlos aſcendiſſe, & non niſi (ubi rursùs aberrat) corpus miraculosè

(a) *Mich. 7. v. 6.* (b) *Hebr. 7. v. 26.*

culosè formatum post se reliquisse, in quo Judæi decepti suam exercuerint tyrannidē. Exaltat & eundem cum sanctissima Genitrice sua, ab omni dæmonum incursione fuisse immunem, quibus mortalium omnes, comprimis verò, & ipse Machomet plurimùm cruciabantur.

Sic igitur, ut vides amice Lector, vel infensus Christiani nominis hostis, innocentissimâ Christi majestate devictus, sentit, quæ non sentiunt quidam vicini tui, nostri temporis hæretici. Tu interim perpende quantùm Europæ tuæ utilitatis foret, si Principes fide unanimes sortiretur, religionemque sub uno capite unam. Cùm econtra juxta illud. (a) *Multigena impiorum multitudo non erit utilis, & spuria vitulamnia non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* Hæc occasionaliter Tibi amico Lectori, ut judici voluntario dicta sunto; ego cæteroquin priùs mihi, postea verò & cæteris de sancta & orthodoxa fide differere volo, ne vel ipse inveniar *velùti æs sonans* (b) *aut cymbalum tinniens.* Et fateor equidem, plures me regiones, atque in his diversas religiones & sectas perlustrâsse, omnique cribrasse curiositate, quærendo (c) *quem diligit anima mea*; nullibi porrò, uti & ingenuè coram Deo profiteor, requiem adinveni, præterquam sub *jugo svavi* (d) & levi onere Christi, ejusdemque salvificâ religione, sub uno in terris Pastore Pontifice, unicoque duce in hoc mundo, ubi (e) *militia est vita hominis.* Sub Christi igitur & Romani Pontificis vexillo extento, dicere fas est mihi, ut militi Christiano. (f) *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.* Et (g) *in pace in idipsum dormiam, & requiescam. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Concludo cum Gentium Doctore ad eos, qui extra talem pacem & requiem unitatis sunt Orthodoxæ,

(a) *Sap. 4. v. 3.* (b) *1. Cor. c. 13. v. 1.* (c) *Cant. 3. v. 1.* (d) *Matth. 11. v. 30.* (e) *Job. 7. v. 1.* (f) *Cant. 2. v. 3.* (g) *Psalm. 4. v. 9.*

doxæ, in quâ nos Dominus magnâ cum ſpe conſtituit dicens: (a) *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* (b) *In charitate non fictâ*, ex hortor eos. (c) *Feſtinemus ergò ingredi in illam requiem, ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.* Recordantes etiam de irre fragabili Domini ſententia docente (d) *& erit* tandem *unum ovile, & unus paſtor.* Interim te, prudens Lector, relicto cùm illis rectâ conſcientiâ judice, ego ad ulteriora Tibi de Perſis edicenda pergam Deo optimo duce.

ARTICULUS XIV.

De Regibus modernorum Perſarum, deq́ eorum dominio, ſpecialiter de Regibus Habas Primo, & ſucceſſore ejus Sephi.

POſtquam ſufficienter de Perſarum religione diſſervimus, Politicam aggredimur, eamque de regum dominio auſpicamur: ubi non deſiderabit curioſus Lector faſtum, pompam, & dominium Regum antiquiorum, Cyri, Cambyſis, Xerxis, Aſſuerri, Darij, cæterorumq́ue, qui ſuper centum viginti ſeptem olim provincias regnarunt: de his etenim ſunt notæ omniò, & luculentæ tam ſacræ, quàm profanæ paginæ. De ijs igitur tantummodo Perſis quæpiam ediſſeram, qui ijs præſunt orientis regionibus, quæ juxta modernorum Geographorum diſtributionem, Perſidem diſtinctum in Oriente regnum efficiunt: quæ quidem mundi partes & climata, ob benigniorem ſiderum aſpectum, nedum terræ multâ feracitate & fæcunditate, ſed & ingenioſâ hominum gaudent indole, ut jure merito natio Perſica, omnibus Orientis nationibus ſit anteferenda, & ſi quid Tyrannidis, aut animi inculti in quibuſdam

(a) *Matth. 16. v. 18.* (b) *2. Cor. 6. v. 6.* (c) *Hebr. 4. v. 11.* (d) *Joan. 11. v. 16.*

animadvertatur, id non ut Perſis, ſed ut Machometanâ perfidiâ excæcatis eſt adſcribendum.

Sublimem igitur ſuam Perſæ & in hoc indolem demonſtrant, dum inter omnia regimina perfectiſſimum ſibi elegere, quod Monarchiam vocant, quæ ſecundùm ſe & abſolutè excellentior eſt Ariſtocratia, ſeu Optimatum dominio, & Democratiâ, quæ populi vocatur Imperium. Tam etenim priſcis quam modernis temporibus Monarchiæ ſtuduere, unumq; colvere Regem, ut habet Herodotus lib. 3. ex hiſt. qui dicitur Thalia. Is nempè poſt Magorum cædis ennarrationem, qui Perſidis regnum occupaverant, exponit controverſiam inter Perſarum Principes habitam, circa rectum regni regimen, concluſumq; ait pro Monarchia, ut modo dominandi excellentiore, quam & uſque in hanc diem rigorosè obſervant Perſæ moderni, adeo quidem, ut ob nimium in Monarchiam zelum, Perſarum reges præ omnibus Orientis Regibus vocari deceat Monarchas, dum ad horum abſolutiſſimum velle & nolle, omne ſuorum abſolutum eſt velle & nolle ſubditorum; quamvis & omnia multo ſalis grano ſapienter condita ſint regis mandata. Sed neque Perſæ regem ſuum tantum timent, quantum amant, nec tantum amant, quantum adorant: qua etiam ratione nonnulla in hunc finem aptata habent nomina, queis ſuum vocicant Regem; quorum primum eſt; Sciah: quod nomen Perſicè abſolutè Deum ſignificat; intenduntque per illud Perſæ Regem ſuum Dei in terris vicarium edicere. Alterum nomen eſt: Zul Ilahi, id eſt: umbra Dei; quâ ratione Perſæ inſinuant, ſe ſecuros, & omni tranquillitate fruentes ſub Regis ſui dominio conſiſtere. Tertium eſt. Velinehmet: id eſt; Dominus, ſive largitor gratiarum. Sed & quarto regem ſuum appellant vocabulo, Sciah in Sciah, quod idem ſonat, ac Rex Regum: & ſimilibus quam plurimis, juxta phra-

phrasim suam. Quæ hic recensere brevitatis ergò liceat omittamus.

Illud autem curioso Lectori sciendum, quòd cum Persarum Regi quispiam loquitur, si vel mater ejus, aut regina sit, seu satraparum & supremorum Ministrorum quispiam, eo obsequij testimonio loquatur necesse est: dicendo. *Gurbanet sciovem*, id est: Sim tibi in sacrificium. Quasi dicerent. Dum Rex dignatus fueris me audire loquentem, dignum & erit, ut ego in tuum me obsequium tanquam ovem offeram immolari. Dicunt item: *Bala seret begherdem*: id est; in gyrum tui vertar capitis: Quasi dicerent: si quid mali aut infortunij ex qualibet mundi parte tibi rex advenerit, cùm non tantum mea, sed & totius regni vita sis, pro te stabo, atque id mihi Deus concedat evenire.

Cæterùm ab hoc submissionis genere exempti sunt primi duo Pontifices, ob Ecclesiasticam suam eminentiam atque authoritatem: unde hi regi colloquentes eundem tantum nominant Velinehmet, seu Dominum & gratiarum largitorem.

Cùm porrò Rex infirmatus decumbit, Principes tribus solent vicibus lectum circuire infirmi, sicque circumeuntes prædicta verba: *Bala seret begherdem*; factâ ad textum suprapositum intentione devotissimè pronunciare; tum verò diversa emittunt vota, ut ædificandi templa, hospitalia pro infirmis, collegia pro studiosis; sed & alia misericordiæ præstant opera, cujusmodi sunt dare libertatem captivis, largas erogare in pauperes eleemosynas, & hujusmodi. Idem servatâ proportione cæteri Aulici, Cives, & plebæi in Regis amorem præstare conantur, ut Deus pristinam restituat Regi salutem, etiamsi ipsi perdituri sintpropriam.

Dum

Dum autem ſupplicem porrigunt Regi libellum, cujuſcunque ſupplex ſit conditionis, inſcriptionem ſic eum ponere oportet forinſecùs. *Supplicationem habuit.*

Humillimus ſervus

N.

In fine autem diſcurſus memorialis ab intus ita concluditur.

Ingratiam Capitis feliciſſimi, Altiſſimi, Optimi, Sanctiſſimi, gratiarum largitoris (id eſt, Regis) *acceptetur Supplicatio Supplicantis.*

Pari ratione cum ſupplex libellus datur ſatrapis Vice Regibus, alijſve Superioribus Miniſtris, ſcribitur iſthæc ſupplicandi forma, non quidem quaſi horum gratiam, ſed quod in his gratiam capitis Regis ſui adorent, & venerentur.

Decretum autem pro, aut contra Supplicantem expeditum ita incipit.

Juſſum illius, qui eſt precioſiſſimus, & qui eſt ſol juſtitiæ radijs emicans, factum eſt.

Tum ſequitur decreti tenor, quod infine ita concluditur.

Pro irrefragabili ſciant omnes.

Hæc circa Perſarum in Regem ſuum, & Monarcham, pietatem, amorem, humilitatem, ac obſervantiam, obſervatu non indigna cenſui. Aſt habet & ſuum Monarchia hæc vitium ſibi oppoſitum: & quemadmodum Ariſtocratiæ Holigarchia, ita Tyrannis Monarchiæ adverſatur; quam quidem Tyrannidem circa duo potiſſimum exercent Perſarum Reges. Dum nempè primò, aliorum, cujuſcunque tandem conditionis ſint, mulieres aut filias, omni libidinis libertate ſibi arripiunt proſtituuntq;. Secundo; dum injuſtâ dominandi cupiditate, fratres & filios trucidant, aut è medio tolli faciunt, aut regno efficiunt inhabiles,

les, viſione eoſdem orbantes, aut mutilantes aliunde, ne eoſdem de regni ſurreptione valeant formidare.

Porrò tametſi hæc omnia non ſolùm ardua & horribilia, ſed omninò injuſta ſint, lubenti tamen animo à Perſis conceditur, ut Reges perpetrent; hos enim ſentiunt à ſancta deſcendere progenie (ut alibi meminimus) & veros legitimoſque ſucceſſores Machometi, cui ſimilia patrare à Deo conceſſum ſit, quam proinde & ſortiantur ab anteceſſore ſuo facultatem Reges; quos & nulli ſubjacere ſentiunt legi. En Lector amice, quomodo non omnis Perſarum Tyrannis viperina ſit Machometi progenies, omnis autem Monarchia ſapiens, Perſarum indoli agnatæ ſit adſcribenda. Jam verò de recentiorum Regum Perſicorum dominio, ſub quibus denuò refloruit Perſis, quæpiam dicamus.

Videbatur famoſiſſima in orbe Perſis tandem effloruiſſe, imô penè defloratam eſſe ſub tempore Regis Sciah Chodabende, viri omninò imprudentis, inertis, effæminati, & horrentis arma: cujus vel unum ignaviæ & imprudentiæ breviter ſtatuam argumentum. Habuit ille, ut fertur quandam felem, ſeu catum, quam appellabat Nazlum, ſeu dilectam ſuam; cui ſanè, ſicut dilectæ ſuæ nomē impoſuit, ita toto eidem affectu imprudentiſſimus ſuperinſedit. Illo igitur Rege jugi inertiâ domi ſtertente, aut cum cato nugas tractante, deperijt (uti ſolet ſub ignavo Principe) Regni felicitas; dumque majores indies pateretur ab hoſtibus inſultus & jacturas, minùs equidem ab eo curabatur populorum ſalus, & integritas dominationis. Sed & ſub ultimo tempore luctuosè ei delatum eſt, qualiter jam à Scythis Regnum Caoraſan occupatum ſit, graſſaturaque ulteriùs inimicorum potentia, ni Regio ſuo ijſdem obſtiterit bellandi robure: is verò (proh indignos Rege cogitatus!) reſpondit: aliud quidpiam ſe habere cogitandum, quam de Regno illo,

nempè (inquit) de mea Nazlo, quæ catulos peperit. Tu jam perpende Lector, qualem Persæ habuerint illo in Rege Patriæ Patrem, qui vel catis & felibus habuit attentionem. Sed, tametsi rariùs quiddam sit, ex ignavo Parente prudentior prodijt filius; qui Regnum augeret & conservaret: Habas videlicet Primus, succedens gloriosè in Regnum, cui & per plures præfuit annos, recuperans nedum Regna & Provincias Parenti ablatas, sed & ultra lucrifaciens optimorum Regnorum duo: quorum primum est Candahar, quod abstulit Indis; secundum Hormoz, quod ab Arabibus obtinuit, & Lusitanis. Ut porrò magnum Persarum scruteris Lector ingenium, cape Regis hujus in acquisitione prioris Regni, procedendi astum.

Hic igitur Habas solenni legatione ad magnum Mogol Indorum Regem miserat unum è Principibus suis non exiguæ prudentiæ & generositatis virum, nomine Zainel Chan. Tenebatur autem in hoc scopus astutiæ, ut Legatus præfatus à Mogol, tunc dicto Sciahi Gihan, ad confirmationem ulterioris & majoris amicitiæ Persas inter & Indos, cõcederet Persis amicabiliter Regnum Candahar, cujus in vicem Persarum Rex reciprocâ Indis amicitiâ concessurus sit civitatem Jezd. Porrò Mogol audita tam impari reciprocatione consulens cum Aulicis suis apprehendit Persarũ dolum: unde & Legato respondit: malè se habere inimicitiam Habas, quam sic oblatam ejus amicitiam, quâ unum sibi desideraret Regnum, illudque Indorum Imperij clavim, commutandum pro una sua civitate, quæ in Persidis centro est, & in qua Indorum nemo poterit nidificare.

Cæterùm hujus magni Mogol sagacissima & prudentissima uxor, nomine Nurgihan, maturiori conjugem noctis tempore commonefecit consilio, consultiùs se pro amicitia politica fecisse, si non tam subita negatione Persarum respondisset Legato, quippe quos, unà cum Rege suo Habas hac in petitione do-

losè

losè atque callidè procedere, ſentiendum fuiſſet. Potuiſſes enim (inquit ad Mogol Nurgihan) amicabiliter retorquere petitionem ſuam, ſuam quoque eidem Jezd civitatem relargiendo, ut tolleres anſam, quâ ipſe te tuamque quærit confundere potentiam: jam verò, ominor, dilecte mi conjunx Rex, non ſedandam Habaſy mentem, donec ille per fas aut nefas ſuum adipiſcatur intentum. Quin imò (retorſit Mogol) nedum tuum ut imprudens derideo conſilium, ſed & Perſarum conabor Legatum venationibus exacerbare, ut anſam referre habeat Regi ſuo, unde contra meam potentiam inſurgat: quod quidem hoc modo executioni mandavit.

Solenne fecit parari convivium, & in eo ſpeciale juſſit deponi ferculum juſculi, cum quibuſdam omni carne denudatis oſſibus, ceu eſſet Legatus Regiæ menſæ canis: cui porrò & Rex dixit, guſtaret quantociùs quod eidem appoſitum eſt, qui factâ Regi reverentiâ cochleari evolvens juſculum cùm præter oſſa nihil in eo adinveniſſet, conceptam quidem ex illata injuria mentis amaricationem, quantùm poterat ſopire, conatus eſt, incipiens & nuda oſſa rodere, donec etiam jam cæteri omnes è menſa manus traxiſſent, exſpectans tandem Regis reſolutionem.

Tum verò Rex Ironicè, eja inquit, amice abſolve quantocius oſſa, nam & hæc canes noſtri præſtolantur famelici. Cui Legatus conſiderabunde. Si verè ita compatitur Rex canibus, non hoc miſerum ferculum ante me Regis gratiâ poſitum, ſed illos fictitia conſolentur fercula, ut inde Regis munificentia in canes verbo correſpondeat. Sciat autem Rex (addidit Legatus) id, quod in Perſarum factum eſt ignominiam, in eorundem ſuccedet gloriam, qui dentibus potentiæ, atque prudentiæ, duriſſima oſſa negotiorum valent, comminuere & maſticare.

Inſalutatô proinde hoſpite ſequenti manè iter ſuum Lares

in Perſicos ſuſcepit Legatus. Cùm ergo redux narraſſet Habas Regi ſuo legationis Succeſſum, inita ſubito ſunt Satraparum Magnatumque conſilia, & ſtatutum à Rege, ut ſexaginta millia militum quindecim dierum ſpacio convocarentur, cum quibus hoc ſe ſtratagemate magnum Mogol aggredi velle indicavit. Nempè, ut magis ludibrioſum ſit adverſùm Indos bellum, ſtatuiſſe ſe pro Generali militiæ intendente non virum alti nominis, ſed unam, Arabkizi nomine, quæ meretricum ſeu concubinarũ ſuarum una erat, mulier cæteroquin Sagax omninò audaxque. Hujus autem ſtratagematis ſui talem Rex expoſuit rationem; quippe quod ſi bello ſic inſtituto ſuæ perpeſſurus ipſe ſit ſtragẽ militiæ, non ſuæ, ſed mulieris adſcribenda confuſio foret ab Indis, quorum proinde potentia vel inde gloriari non poterit, quod victrix evaſerit mulieris naturâ imbellis. Quod ſi contra Perſicus cùm victoriâ ſit evaſurus exercitus, illam ſanè magni ab omnibus habendam gloriam, quæ tantam ceſſura ſit adverſarijs in ignominiam; quòd infamis mulieris ac imbellis audaciæ ceſſiſſet ſuperbiſſima illa Indorum potentia, coacta relinquere illud Candahar Regnum violentâ cum contumeliâ, quod humanâ requiſiti ſunt amicitiâ offerre.

Placuit porrò Regis excogitatio Univerſis Principibus, qui proinde nulla non ſolertiâ implendo Regis Imperio, dictoque militi numeroſo ociùs convocando operam dedêre, ultroneâ velocitate in decem dierum ſpacio executi, quod intra dies quindecim fieri Rex decreverat. Decimâ igitur poſt præfatum conſilium die, ſummo manè omnes conſcripti exercitus duces cum quadraginta octo Tubicinibus reſonante jubilo & maximo procerum comitatu ad Regis apparuere portam, præſtolantes ſummam ſibi deſtinatam à ſua Majeſtate Belli Duciſſam: Quæ porrò poſt duas horas è Palatio Regio, virilibus uti forinſecus indumentis ad faſtum adornata, ita Gigantæo intrinſecus

arma-

armata pectore per fenestram prospiciens primò, etiam splendore & Majestate præstolantiũ se rapiebat oculos, animosq;. Cùm igitur altâ voce commissos sibi salutasset Duces exercitûs, illi ociùs proni in terram provoluti eam adorarunt, eidem sese, ut sapientissimæ, fortissimæ, prudentissimæ, & à Rege electæ Gubernatrici armorum supremæ.

Sic autem receptâ à Ducibus sibi provolutis salute atque animorum sponsione, rediјt Arabkizi dicta Belli Dux suprema, ut & ipsa ante Regem provoluta pedes eidem exoscularetur in suæ contestationem submissionis. Tum verò captâ ab eodem veniâ, atque autoritate supremâ, sumptâ quoque buccella panis à Regis mensâ (uti in tesseram fidelitatis Persarum fert observatio) illicò & ipsa maximâ Eunuchorum Ephæborumque comitatû stipata ad Portam descendit Regiam, cujus cùm prona limites esset exosculata, idem & præstantibus Ducibus sibi commissis; magno animo generosissimum Regis conscendit equum album, & destinatum ad bella iter arripuit.

Dum splendidus hic fieret à Regiâ Civitate egressus, omne musicale instrumentorum bellicorum genus audiebatur, sclopetorum item, tormentorumque explosio continua; quod non tam inchoatam etiamnùm decreti Regij executionem, quam futuram benè faventis belli victoriam præsagiebat. Sed quid omnium majori celebritate in stuporem & admirationem ducere possit videntem, isthæc vel legentem, quam laudatissima illa subditorum fidelitas, quâ etiam non curabant ad Regis nutum sub infamis gubernio mulieris arma suscipere.

Postquàm verò tres essent elapsi dies, Rex ipse incognitô modô cum veteranis quibusdam fidelioribus militibus insecutus est Arabkizi, visurus quantociùs, quanam ratione vel exitu inita sortirentur progressum consilia. Non fefellit spem eventus; etenim intra viginti quinque dierum decursum Bella-

trix ſtrenua, una cum exquiſitiſſimo exercitu Regis appropinquavit ad Chandahar. Nulla jam feriata indita ſibi ſagacitate audaciſſima Bellidux, juxta prudentiſſima Regis, Ducumque ſuorum conſilia mirâ alacritate direxerat univerſa; ſed & multâ fortunâ duce, comiteque audaci dexteritate aggreſſa hoſtes, ceu lupus in oves irruit, hoſtiles omnio phalanges vel internecioni dedit, vel fugæ; evolutiſque demùm diebus paucis feliciter expugnavit vix expugnabilem in Chandahar arcem, Regnum Regi ſuo glorioſiſſima victrix æternæ exhinc laudis optimè merita vendicavit. Erat & illud durum quid cladis Indis illatæ, quod inter alios tres magnæ authoritatis duxerit in captivitatē principes, quibus porrò nulla non opprobria & omnis generis inferre contumelias præſumſit. Juſſit etenim capitibus eorum vela imponi, qualia mulieres Perſicæ imponere ſibi ſolent, quaſi & ipſi Principes à ſe devicti non pluris atque imbelles habendi ſint mulieres. Ipſa porrò Arabkizi nullam non viri atque Herois maximi generoſitatem ac militiam ſuperbo animo ſpiravit; jubens ſibi quandoq; vitrea afferri pocula vino plena, atque in ſummitate arcis inter medium captivorum ſe ſe collocans, generoſo ſpiritu Regis ſui Habas poſtquam ſanitatem delibâſſet, guttas in poculo remanentes in vertices atque facies eorundem effudit; atque in majorem eiſdem contumeliam inferendam, ipſa mox pocula illum dejecit in angulum, qui Indicas plagas reſpiciebat: hæc dum proijceret, verba proclamans: *Kirch Karghia bis daſc*: id eſt; *Quadraginta corvis unus ſufficit lapis.* Volens hoc in adagio Indos à nigredine & mentis ruditate corvis aſſimilare, quorum quadraginta etiam uno à cadavere abigendis, vel unicus ſufficit lapis inter eos projectus; quâ proinde & ratione Perſa unus ſolâ magnanimitate & fortitudine integram Indorum poſſit in fugas agere cohortem.

Jam igitur accepto, optimâque juxta mandatum Regis cu-

ſtodiâ

ſtodiâ præmunito Regno Candahar, Bellidux tantum ſuperba, quantum victorijs inclyta, majores captura in Regia Civitate ſuper Indorum ſtrage triumphos, & populorum plauſus, omni conata eſt velocitate reverti.

Antequam autem regios ingrederetur lares, quos paulò ante Rex ipſe redux ſubintraverat, virilibus jam Arabchezi indumentis abjectis, muliebres induta ornatus, cum antea militem, tum rursùs, qualis erat, fœminam præſentabat. Sicque conductis poſt ſe tribus illis Principibus captivis, Regis ante conſpectum veniens, pronâ eundem veneratione adorans, ejuſdemque pedes exoſculans, maximos uti adepta laudis titulos, ita neque minores aſſumpta eſt ad honores. Hanc etenim & ipſe Rex protinùs amplexus, illiuſque frontem exoſculatus: non ultra (inquit) Pellex, ſed unius magni Principis Regni mei vocaberis uxor. Itaque ad ſuam accedere Reginam juſſit, quæ protinùs exſurgens accedentem Arabchezi victorioſam, benevolo animo eſt amplexata, elegantiſſimaſque veſtes ſuas, ornamentaque cùm primis precioſa, quibus jam de induſtria ſe ſe antea induerat, exuit, illiſque victricem ſuâ indui adornarique in præſentia juſſit, offerens & eidem duodecim ex aula ſua ancillas in famulatum. Sed & Regiam noctu fecit parari cœnam, ad quam omnes mulieres Satraparum, Principum, Procerumque Perſarum, Parthorum, & Medorum ſplendidiſſimo comparuere faſtu, ipſe imò Rex multa Eunuchorum copiâ ſtipatus aſſedit. Parabantur hic nullius non generis lætitiæ, atque plauſus: Rex verò ex corde pariter atque ex mero ſummam effuſus in hilaritatem, omnia ab Arabchezi belli geſta ſciſcitabatur, quæ & ipſa magno mentis lepore propalabat ſingula, omni aſſiſtentium mulierum conſeſſu tantum in riſum diſſoluto, ut Regiæ etiam Muſicæ copioſiſſimæ prægrandis ſonus ſenſu percipi non potuerit.

Quid dura hæc atque inaudita inaudiens Mogol Magnus?

Quos

Quos ille cogitatûs super sapiente uxoris cohortatione, quam non audierat? Nempè eousque imprudens exacerbatus est Indus, ut infamem actus in desperationem, sumpto clàm veneno vitam sibi miserrimus eripuerit.

Neque verò solùm hoc est sagacissimi Regis Habas à stratagemate per mulierem circa Regnum Candahar perpetrato laudis argumentum. Non minorem etenim tentavit, atque recuperavit fortunam & triumphum per subjugationem Insulæ Behrin, sitæ in Regno Hormus sinûs Persici, ubi preciosissimæ capi solent margaritæ. Hanc namque Insulam Rex fortunatissimus astu robureq; felici Lusitanis eripuit, Belliduce Vice-Rege Sciraz seu Cyropolis, nomine Alaverdi Chan, quod idem Persicâ phrasi sonat, ac à Deo datus Princeps. Erat porrò hic Bellidux ex antiquissima Christianorum Armenorum familia; qui verò ad Regis inculcationem, turpeque mundi lucrum fidem Christi salvificam abjurârat: Tantâ cæteroquin fortunâ atque potentiâ exaltatus, ut secundus appellaretur Persarum Rex; cujus & in magnificentiæ memoriam, superbissimum arte, atque ope exstructus restat prægrandis ille Pons, hodiernum usque diem in Regiâ Isphaham spectandus, alias à Petro de la Valle curioso Lectori descriptus.

Successit autem Patri in Principatu Ciropolitano filius non minùs gloriosus, nomine Imamculi Chan, per quem pariter & Habas surripuit Lusitanis omnes portus illos, qui ad litus sinus Persici siti erant; hac quidem conditione: ut æquales essent Persis cum Lusitanis redditus ij, qui è portubus marinis provenirent. Id verò, quod postmodum observatum nequaquam fuit à Persis, eo ex tempore, quo Lusitani rebellione ab Hispanis discindebantur. Et tametsi à Persis Lusitani indies quærant antiquum illud tot annorum jus, præter bona verba ab ijs nihil penè recipiunt, asseverantibus, non se tam cum Lusitanis,

qnàm

quàm cùm Hiſpanis fœdus hoc inijſſe; ſique licitum ſit Luſitanis, ut antiquum Hiſpanis jus abnegarint, licitum ſit pariter & ipſis Perſis, id ipſum negare Luſitanis. Referunt pariter ſeſe Perſæ ad celeberrimam illam ab Hiſpaniarum Rege miſſam ad Regem Habas legationem per Dominum Garciam de ſylvâ Figueroa, de quo plura Petrus à Valle; tunc enim, inquiunt, omne jus ex utraque parte, ſuâ videlicet, & Hiſpanorum, nihil verò de Luſitanis eſſe concluſum: unde & uſque modo res in dubio verſatur.

Faveat hic occaſione datâ curioſum Regis in humanâ converſatione genium afferre. Cum enim Rex iſte ſuavis eſſet, & per omnia lepidus, ac gratioſus, gratiosè memorato cum Legato verbis jocatus eſſe perhibetur. Etenim animadvertens Legatum hunc juxta indolem nationis ſuæ omni moderamine in convivio vinum libare, eidem per Interpretem dici juſſerit; quod, ipſe Legatus, omneſque plerumq; Europæi biberent vinum ſicuti bruta, Perſæ verò tanquam homines. Animadvertenſque ortam in animo Legati diſplicentiam, quæſivit ex eo, num veritati hoc ſuum ſentire conſentiat? Illo vero reſpondente, neſcire ſe pro nunc competentem Regis quæſito adinvenire reſponſionem; ſubjunxit Sagaciſſimus Rex. Dicti noſtri magna non requiritur conſideratio, quippe quod vobis Europæis in contumeliam, & Perſis in gloriam eſſe ſonat, in rei veriori ſerie Perſis ignominioſum, atque Europæis elogiale eſt. Namque Europæos bibere uti bruta, moderamen potandi ad ſatietatem dicit: bibere verò Perſas, ut homines, deplorandum eſt, quod ſatietate non contenti, ultrò ſe ingurgitent. Aſt his occaſionaliter interiectis jocalibus, ſeriora de Rege ipſo dicamus.

Recuperatis itaque locis Provincijſque complurimis optimoq; gubernio ſtabilitis, laudabilem ſuam ab arte & marte fe-

cit ſagacitatem Habas; neq; poterat non ei omnis cedere triumphus, qui in laboribus indefeſſus, diu noctuque in Patriam vigil, Hyeme æquè ac æſtate bellis intentus, nullum non per campos, montes, aut valles expetens armorum progreſſum, feliciorem que per omnia ſatagens regni ſui conſtitutionem. Adeò namque omni Regem hunc experientiæ inſudâſſe tradunt Perſæ, ut nulla vaſtiſſimæ Perſidis Provincia, Civitas, oppidum, rus omnino nullum, quod in Perſona ipſemet luſtrare intermiſerit, omneque circa univerſa regimen indagarit, defectus emendârit, juraque ſtabilierit. De exacta denique Regis hujus quorumlibet etiam exiguorum particularium animadverſione, unicum referre liceat, quod Perſarum traditione obtinui, & expertus ſum uſque hodie obſervari.

Viderat diſpatiatus quandoque in campo Rex, humi jacens quoddam Bubali ſtercus: interrogaverat porrò: eccujuſnam animalis hoc excrementum eſſet adeò prægrande? Reſponſo verò à circumſtantibus obtento, hoc Bubali eſſe excrementum; ultrò petijt: de talinè animantium genere peccuniarium Domini illorum teneantur ad regios proventus contribuere penſum? Quam Regis petitionem cùm affirmâſſent, ipſe ſubjunxit: Non eſſe juſtum, quòd ſuper hujuſcemodi animantibus annuum ad penſum ſibi Domini eorum obligentur, utpote quod ad tam grandes beſtias ſuſtentandas magni aliunde ijs eveniant ſumptus. Atque ex hoc privilegio uſque hodie nullum Perſæ Regi ſuo de Bubalis contribuunt penſum. Sic vilia etiam & abjecta indagâſſe conſtat nominatum Regem; qui omnium meritò ſibi jure, & mille titulis laudes vendicat; quippe omne otium perpetuò fugiens, victûs amictuſque mollitiem ut plurimum aſpernatus, ingenio ſagaciſſimus, perſpicaciſſimus in conſilijs, in negotiorum quantùmvis arduorum pertractatione dexterrimus. Incomparabilis denique in œconomia, diſponendiſq;

rebus

rebus politicis, tum Regni, tum Regiæ, tum Aulæ ſuæ ipſiſſimæ, ita, ut quidquid ordinati, elegantis, pompoſi, curioſivè in domo Aulaque Perſarum Regum apparet modo, quaſi totum per Habaſi Regis diſpoſitionem factum Perſæ fateantur.

Id porrò hic inſerendum cenſeo, quod nullo non laudis titulo omnibus reddat Regem celebriorem, & in opinione Lectoris Chriſtiani optimè meritum. Præterquam etenim mirabili Rex iſte polleret indole converſationis humanæ, ut veloci judicio ab externis interna hominis penetrans, cujuſlibet ſeſe genio accommodare noſſet, illud magis in eo ſuperextollendum, quod mirâ uſque adeo in Chriſtianos propenſione, munificentiâ, & familiaritate feratur. Maximâ ipſe duxerat opinione Eccleſiam Romanam, & propenſo omnino animo Chriſti fidem reſpiciebat. Unde ad inſtantiam cujuſdam Admodum Reverendi, & Eximij Patris Luſitani Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quem non abſque ſpecimine permultæ probitatis atque doctrinæ ſuperexcellentis ſingulariter adamârat, conceſſit in gratiam Hiſpanorum Regis, introduci in Regno ſuo Sanctiſſimam illam nominati Doctorum Aquilæ religionem, cui & ſumptuoſum elegantemque fundavit monaſterium, ubi, hunc uſque diem pro Chriſtianæ fidei decore, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ augmento, & Omnipotentis gloria ſacrati degunt Religioſi. Quæ verò intermiſit Chriſtianæ pietatis indicia Rex? Hoc in templo à ſe fundato ſacrum quandoque flexis genibus audivit Miſſæ ſacrificium, tantoque jam in Chriſti fidem animi pondere inclinabatur, ut memorato Patri tandem indicârit, intendere ſe ſacro etiam baptiſmate conſecrari. Id quod equidem executioni mandâſſet, ſi Deo ſervire, & Mammonæ licuiſſet; divitiæ cùm affluxiſſent, cor ijs magis appoſuit, & inordinata dominandi cupiditas ſuppreſſit, quod pullulaverat virgultum Chriſtianæ pietatis, Regemque mors infi-

delem detrusit ad inferos, stygiâ hos inter palude baptizandum. Quàm tu non plores Christiane Lector ; quam non deplores miserandam Regis tanti conditionem!

Sed & pientissimè quandoq; intenderat Rex nominatus, ut omnes Armeni Schismatici Isfahan Romanâ cum Ecclesia inirent unionẽ, atq; pro capite, Christiq; in terris Vicario Pontificem agnoscerent: quem & in finem unũ ex hortis suis Bag Zirisch nuncupatum destinaverat pro conventu ijsdem suis sumptibus erigendo; jam imò expediri decretum desuper fecit, cui neque suorum, neque Armenorum ullus contradicere præsumeret; quod verò publicam aspicere lucem (quonam capite nescio) non potuit.

Extat porrò decretum illud ad hodiernum usque diem in quodam Persarum Archivio, de quo hic & nunc majorem facere Lectori notitiam, multa ratione consultus omitto. Quantum autem & tibi scire licet, & mihi dicere expedit, id palàm est, quod circa laudabilem intentionem hujus Regis in hoc quod ego brevius retuli, videlicet quòd Rex iste cum desiderio quæsierit modum, & medium, quô potuisset fides Catholica propagari inter schismaticos sui dominij, & se subijcerent, pressiùs consulere quoque poterit curiosus Lector Petrum de Valle, pag. 8. 2. part. Persidis itineris, ubi inter alia hæc pauca habet in sua vernacula ad rem nostram. Dicit itaque: *E se da Roma eiuteranno un tantino con tre sole cose; cioè, con dar modo a i Padri scalzi, che possano tener qui un poco di Collegio, o di Seminario di figlivoli: che molti non ne mancheranno; è quì potranno tenergli, & educargli bene, non men che in Christianità. Con proveder che habbiano Sacerdoti, intelligenti delle lingue, che quì bisognano: perche, senza lingua, non servova a niente. E finalmente co'l mandarsi da Roma un Prelato, come il Re sommamente desidera, che assista in questa corte a nome di Sua Santita; ò con titulo di Vescovo,*

per

per gouernar nello ſpirituale il populo Cattolico; o come vorranno. Nel qual caſo; & noi gente à ſufficienza per dar Principio, che à me dà l animo di metterla inſieme; promette il Rè di darci terra continua a Sphan, da fabricarvi & habitarvi a parte; con governo ſpirituale è temporale al modo noſtro; con giuriditione ampliſſima, con privilegi, e con cio che ſapremo mai deſiderare, confido certo, che preſto debba fondarli in Iſphahàn una Chriſtianità Cattolica, che co'l tempo riuſciva non minor forſe di numero, e ſenza dubio più grave, e più fondata, di nobilità, e di autorità che non è hoggi di quella di Alingia, nell'Armenia.

Hujus decreti exhibet auctor iſte ſe habuiſſe notitiam in illis ſuis temporibus quod nunc vix ulli Perſarum notum eſſet; ſiquidem & ipſe Princeps, modernus Archivij illius Cuſtos oretenus mihi fidem fecit, nullam penitùs ſe habuiſſe decreti hujus notitiam, ſed, dum obviâ occaſione antecedente nocte aliud quoddam ex decretis Magni Sciah Habas requiſiſſet, hoc manibus ſuis incidiſſe: id ergo, inquiebat, pro tua, tuorumque Chriſtianorum conſolatione, utpotè ſciens tuum ſuper Armenorum Romanâ cum Eccleſia veſtra unione intentum, tibi prælegam; prout & prælegit, idemque ſi opus quandoque foret, per copiam, imò etiam in originali communicare benevolentiſſimus ſpopondit.

Pauca ſi hæc Chriſtiani animi de tanto Rege indicia; dabo plura, atque majora. Hic namque Habas idem ſtatuerat, ut in omni decreto, quod in Regis Cancellaria pro Chriſtianorum negotijs, ſive quandoq; etiam ad Principes Chriſtianos expediretur, ubicunq; occurrerit nomen Chriſti, per aureos caracteres exararetur. Quid magis in Chriſti fidem probet Regis benevolentiſſimi pietatem? Quid magis vel Dei etiam mereretur amorem? Aſt quam abyſſus multa ſunt Dei judicia!

Ex benigniſſimâ item ejuſdem Regis permiſſione RR. PP.

Carmelitæ Diſcalciati amplitudine & commoditate optimam exſtruxêre ſibi habitationem, cum Eccleſia honorificentiſſimâ; ubi uſque hodie conſolatio fidelium, & infidelium ædificatio, multo pietatis fervore promovetur.

Hæc atque ſimilia plurima cùm, & pro Chriſtianis patravit præfatus Habas, fictone an ſincero animo, ſui ſe ignorare pollicentur, dicentes. Deus tantum noſtri mentem noverit Regis, nos de exterioribus multa conjecturare, in multis etiam falli poſſumus.

Tandem Rex laudatiſſimus moriturus, quatuor ſucceſſoribus ſuis teſtata relinquere voluit. Primò: devoto curarent animo Romani Pontificis amicitiam, ſicut & Romanorum Imperatoris, cæterorumque Principum Chriſtianorum, quorum & Legatos atque adhærentes benevolo proſequantur affectu; quod ipſum uſque nunc zeloſiſſimè, laudatiſſimeq; à Perſis obſervatur. Secundô, non curent, neque fidant amicitiæ Turcarum, niſi ad tempus & ſuperficialiter. Tertiò, non vexent ſubditos nimijs gravaminibus & exactionibus, neque ita vexari eos permittant à præpoſitis & deſtinatis ijſdem Principibus, ſed intento ſemper ad juſtitiam, quam nervum recti gubernij appellabat, oculo, quod æquum viderint, ſtatuant. Quartò denique, ut, qui ſibi ſucceſſerint, meminerint & ſatagant, ut non ſolum in Regni adeptione, ſed & in pari regimine atque adminiſtratione ſint ſucceſſores.

Hæc uti obiter de magno & primo Perſarum Hàbas recenſui, ita paucula quædam, memorabilia tamen de ejus ſucceſſore narrabo. Succeſſerat namque Sephi in Regni gubernio, nepos anteceſſoris ſui; à quo uti non nihil ſanguinis, ita multum Spiritus & generoſitatis hauſerat, ut pro poſſe ſuo ejuſdem inſequi tentarit veſtigia, tanto nihilominus avo, genio & virtute aliquomodo impar. Moverat hic Sephi Martem ſuum adver-

adverſum Othomannos, quibus & fortunato abſtulit Civitatem Erevan, cum munitiſſimâ arce ſuâ, quæ olim Armeniæ Majoris Metropolitana erat. Aſt verò cum hic fortuna egiſſet comitem, alibi adverſa ſe monſtraverat hoſtem: etenim ſub idipſum tempus rurſum Indorum exercitus Regnum Candahar aggreſſus expugnavit. Traditur porrò, hunc Regem Sephi, multâ perſæpè deſævijſſe crudelitate, adeo, ut unâ quandoque nocte viginti octo Principes potentiſſimos internecioni demandârit. In Chriſtianos cæteroquin, uti avus ſuus, abunde benevolus, atque Chriſtianorum Principibus perquam amicus, prouti decreta, literæq; ad nutum ſuum editæ indicant. Et Regnante ipſo RR. PP. Cappucini pariter congruam erexêre ſibi Domum non ſine ſingularibus privilegijs illis ab eodem Sephi conceſſis. Denique à nonnullis moderni temporis Perſis, eſt inaudiri, qualiter miſſus hujus Regis tempore, Legatus ille, aliunde benevolo Lectori notus, Adam Olearius benevolentiſſimè acceptus ſit, quippe quod Perſæ crediderint Imperaratoris Legatum, non vero Principis alterius, cujus is nomine Perſidem intrârit. Quo ſuper nihil mihi tergiverſandum duxi.

ARTICULUS XV.

De Rege Habas ſecundo, & ſucceſſore filio ſuo Solimanno Rege moderno.

CUm verò mortuó parenti Sephi ſucceſſiſſet filius Habas ſecundus, tanta videbatur ſumere Regnum Perſidis incrementa, quanta neque regnante Habas primo, cæteroquin feliciſſimo, potentiſſimo, ſapientiſſimoque ſperare potuiſſet: ſumptis optimorum eventuum argumentis ex mira ſapientiâ, indole, atque magnanimitate Habas hujus ſecundi, quibus etiam primum longè antecellere videbatur. Feciſſet equi-

equidem evenire, quæ de ſe ſperabantur, optima plurima, ni paulò citiùs vitâ ceſſiſſet; quippe quod trigeſimo ſeptimo ætatis anno jam obierit, qui ſextodecimo obtinuerat Paterni regiminis ſucceſſionem.

Cæterùm nil non laudabile præſtitit Rex nomine ſorteque *ſecundus*. Primò etenim aditi regiminis anno, cum centum millibus militum perſonali generoſitate campos aggreſſus, arma ſtatuit adversùm Indos: quorum tametſi maxima eſſet copia, ſexcenta videlicet militum millia complectens, omnis tamen numeroſus hicce exercitus, & caterva gruum, atq; corvorum, uti vocitantur à Perſis Indi, intra decem dierum decurſum diſſipatus, atque confuſioni deditus eſt, paucis fugam domeſticos in lares capientibus; quo pariter bello compluri-mi occiſi ſunt Elephantes, quibus aliunde peſſimè Indi cum Perſis pugnare ſolent. Primò igitur hoc Marte ſuo ſecundiſſimus Habas deperditum à Sephi recuperaverit Regnum Candahar, maximumq; felicitatis, & generoſitatis ſuæ præbuit ſpecimen Univerſis. Inde populos ſibi ſubjecit ferociſſimos, cæteroquin tam Indis, quam Perſis rebelles, quique ob feritatem ſuam, & incorrigibilem malitiam alias ex Albaniâ Orientali à Tamerlane in exilium propulſi erant, eos ad montes, qui Regnum Candahar circumjacent; ubi & modo ſuam poſſident coloniam, communiter Aguan dictam. Quodque mirum eſſe poteſt, non tam armorum metu, quam prona in ſuaviſſimum Regem inclinatione ac Sympathia ſe ſubjecêre.

Sic porrò habitâ adversùm Indos victoriâ celeberrimâ, juvenilem feriari, aut ad inutilia diffundi, non paſſus eſt generoſitatem Habas. Moliri ociùs altiora voluit, quâ comprimis ratione obviam eſſe poſſet Othomannis, cane ſibi pejus, atque angue exoſis: à quibus quidem poſt annum præfatæ victoriæ celeberrima ad eum miſſa legatio; ſicut & à cæteris principibus circum-

circumvicinis, queis ipse nominatus jam terror erat: demptis verò Indis, qui tametsi jam semel cruento acinace profligati; decimo nihilominùs dein anno primùm maximo cum fastu misere Legatum superbissimum, nomine Halem Chan. Hic igitur solitis ceræmonijs indicaverat Habaso intentionem, mentemque Regis sui; nempe, desiderare eum, atque repetere à Persis Regnum Candahar. Quo audito generosissimus Habas mandaverat illicò, ut Indum illum ad se penitius adducerent; sicque sibi adductum genuflectere jussit; tum verò protinùs flectentis corripuit barbam, incipiens hinc inde illius pertrahere mentum, dicens: Tune cum hac asini caudâ, tuoque cum Rege Asino tractaturus ad homines audes? Qui, putas, Persæ sint? Et relicta barbâ, alapis fortiter percussit maxillas ejus: jubens inde suis, ut ignominiosè Indum aulâ pellerent; nedumque omnem ei ulteriorem aditum præcluderent; sed & quam citò suum ad gruum corvorumque Regem reverti, hoc, que sibi à Persarum Rege factum denunciare mandarent. In quo ipsimet Persæ fatentur hunc generosissimum Regem nimio furore ductum fuisse contra jus gentium cum præfato Legato. Is porrò Indus cum Regis cessisset aspectu, hic rosaceam sibi, aliasque odoriferas præceperat aquas afferri, queis Regias lavaret, mundaretque manus, utpote, quod immundum, inhumanumque tetigissent hominem, Indumque illum barbarum. Post verò Regio voluit mandato, honorificentissimè sibi adduci Religiosum quendam, Ordinis S. Dominici Patrem Antoninum Thanij, qui tunc ex parte Romani Pontificis venisse supponebatur: is porrò sub id temporis aulam accesserat, negotiorum pro Catholica Provincia pertractandorum ergo. Cui singulares Rex exhibuit favores, & largitus est gratias in despectum Legati Indorum potentissimi præmemorati. Tali igitur felici, oportunaque datâ occasione præfatus Religiosus

potuit facilè prodesse Catholicis Naxivan, sicut & in aliquibus profuit, uti dicetur in articulo de Provincia Catholica Naxivan.

Aliud his occurrit, quod ampliorem laudis materiem subministrat. Hic nempè generosissimus Habas, magnam animi sui propensionem, mutuæque amicitiæ, & benevolentiæ perquàm amicabilis in Augustissimum, Invictissimumque Romanorum Imperatorem, & insatiabilis odij in Turcas, tesseram exhibuit.

Nunciabatur eidem gloriosissima illa de barbaro, superbissimoque Turcarum tyranno per quàm feliciter obtenta victoria, per immanem duodecim millium cædem, acerrimo illo in conflictu ad S. Gotthardum, ut vocant, de qua & plura postmodum reperi in historia LEOPOLDI Cæsaris descripta non sine satis considerabili labore atque zelo à quodam Domino Galeazzo Gualdo in Italica phrasi. Cùm etenim sub noctis tempus cum Satrapis, Proceribusque suis cœnam Rex accedere pararet, accessit primus Regis explorator, aliàs semper Constantinopolis degens, & permulta expiscans Turcarum curiæ secreta. Hic ergò pluribus apparuit cum comilitonibus, Regis sub secreti sigillo expetens audientiam; quem cum subito Rex in præsentiam admisisset, præauditâ magnâ sibi felicitatis deprecatione, secundum inaudijt adversùs Turcas armorum successum. En (inquiebat post alia memoratus) Rex adorande! Mense præterito Romanorum potentissius Imperator, Regisque amicus gratiosissimus glorioso Marte trophæa fecit, de communi inimico, fœtidaque Turcarum gente, quam pessimâ clade dissipavit, adeò, ut coacti pacem expetant ab eo. Auditô nunciô perquam optato, prima Regis erant jussa, ut dilecto sibi nuncio Regia afferrentur munera, unumque ei ex Regijs offerretur poculis ad libandum. Tum verò Rex hilari circumspicere vultu cœpit, miraque erga omnes Satrapas suos, Inclytosque Persarum, Parthorum, atque Medorum se circumstantes, lætitiæ signa

na edere; perjucundè tandem inquiens. Nonne & vos judicatis fideliſſimi, decere omninò, ut inſtante hac etiam nocte, peculiaris paretur lætitia, Regioque noſtro bibatur modo in honorem, ſalutemque triumphantis amici noſtri Romanorum Imperatoris, qui glorioſo armorum ſucceſſu inimicam Turcarum gentem feliciter devicit? Cùm ecce unâ univerſi voce, inclinatoque capite, dignam juſtamque conteſtati ſunt Regis intentionem. Igitur in majorem Ottomannorum contumeliam, amplioremque potentiſſimi Romanorum Imperatoris honorem, Rex quantocius jubet, parari Cehil Sutun, ſuperbiſſimum palacium illud, de quo ſuprà *(a)* fusè diſertum; omnes item alios convocari Principes non præſentes, ut adeſſent: univerſoque muſicalis harmoniæ genere applaudi.

Porrò intra duarum horarum ſpacium paratum ornatumq; Cehil Sutum miro fulgore reſplendebat ac Majeſtate. Quadraginta illius columnæ, quadraginta ex auro puriſſimo maxima ſuſtentabant luminaria: quatuor item magnæ molis thuribula aurea, circa fontem in medio theatri ſitum, miram diverſiſſimorum adoramentorum ſuavitatem exhalantia, cum duodecim candelabris ſuccineis circum circa ſpectabili ordine collocatis. Aliâ denique ornatiſſimâ, precioſiſſimaq; ſuppellectile per omnia deliciosè adornatum palacium refulgebat, tantamque Regi Regioque comitatui ſolus vel ipſe habitaculi fulgor elicuit complacentiam, ut nemo non gaudio interno ſuperfuſus, exteriorem quoque in lætitiam diffunderetur.

Rex imò ipſe accitum ſibi Miniſtrum, ornamentorumque domus Regiæ cuſtodem, eo quod tam aſpectabili ordinatoque luxu faſtuque Regium adornâſſet palacium, blando allocutus favore: Et tu (inquit) non ultra hoc fatigaberis ſervitutis officio; majora arti tuæ debentur præmia, quique diligenti adeo, velocique cura & Regias delicias noſtras, & victorioſos amici

(a) *Art.* 2.

noſtri Romanorum Imperatoris honores augere pro viribus conatus es; Princeps exhinc eris aulæ noſtræ.

Illicò conſcendit Rex paratum ſibi precioſiſſimum ſeſſionis locum, aſtantibus ad dexteram quadraginta ſplendidiſſimè veſtitis Eunuchis nigris, totidemque non minori faſtu venuſtiſſimis candidiſſimiſque Ephœbis ad ſiniſtram. Vidiſſes jam tum inter hos Regem, ut ſolem inter ſidera emicare. Tum verò & Proceres Principeſque omnes pro ſtatûs ſui conditione ad columnas ſuas ſupramemorato more *(a)* reſederant: juſſitque Rex, afferri ſibi vinorum libamina; illud comprimis ex Architriclino ſuo Regio ſiſcitans: num ſciret, quâ ratione, modove Europæi ſuorum in honorem ſalutemque biberent amicorum? Is porrò conſuetâ Perſarũ phraſi reſpondit. Sacrificium tibi ſim, adorande mi Rex. Audijſſe me, memini, ex noſtris, qui Europæas quondam vidêre oras, Armeno-Perſis; cryſtallinis nationes illas libare ſcyphis: id, quod detecto capite patrant, & poſteaquam biberint, ſcyphos terram deijciunt, ſuam ita de amicorum ſalute benevolentiã conteſtantes. Tales igitur (ſubjunxit Rex) nobis parato ſcyphos. Cumq; primus eidem rubicundo Schiraſi (ut vocant) vino porrigeretur à deſtinato ad hoc officij genus miniſtro, accepto eo conformaturus ſe Europæo bibendi modo ſuum aliquomodo movit Tulbantum, in ſignum venerabundæ detectionis capitis (totaliter enim caput detegere nedum non moris eſt inter Perſas, ſed & maxima detegenti, illique cui detegitur, contumelia & ignominia reputatur) itaque Tulbanto aliqualiter moto, inclinatoque capite, ebibit ſcyphum in potentiſſimi Romanorum Imperatoris, Victoris & Triumphatoris Turcarum glorioſiſſimi, LEOPOLDI ſemper Auguſti ſalutem; proijciens illicò ſcyphum, unde biberat, cryſtallinum, ad medium theatri, ut in complurima fruſta confringeretur. Collegerunt porrò ſibi ſummâ cum diligentiâ & devotione Prin-

(a) *Art. 2.*

cipes

cipes fragmenta cryſtalli omnia, quippe quod ex ſacratis provenirent Regis manibus. Sed & juſſerat Rex Proceres univerſos huic ſolennitati præſentes, eo, quo ipſe, modo, glorioſiſſimi Triumphatoris LEOPOLDI libarent ſanitatem cum præfata motione Tulbanti, dempto, quod ſcyphos cryſtallinos in terram deijcerent; quippe, quod ſibi tantùm ut germano Romanorum Imperatoris amico in ſincerioris benevolentiæ teſſeram ſingularem voluit reſervatum prudentiſſimus Rex. Cæterùm mos movendi Tulbantum ad amicorum ſalutem in convivijs uſque modo durat, ubi Perſæ Magnates converſari contigerit, vocantque hanc cæremoniam Habaſſianam.

Hoc porrò convivium nocturnum, ſummo tripudio atque hilaritate aduſque ſolis ortum durâſſe, uſque hodie conteſtantur, & gratulantur Perſæ. In quo & tradunt ſumptus abijſſe maximos; præter quos, & Rex quinque dono diſtribuit Principatus, diverſaque officia complurima atque munera in honorem Imperatoris Auguſtiſſimi benevolentiſſimâ diverſis edidit hilaritate.

Tandem (referunt Perſæ) maximâ generoſitate animoque ferociſſimo, leonem lateri theatri alligatum, vibratâ frameâ in duas diſſecuit partes, contemptum ita Turcarum intendens, qui ſe ſe ferociâ leones fingunt, exiſtimantque. Hæc ſunt, aliaque ſimilia benevolentiæ ſpecimina, hâc edita nocte à Rege Habas, in honorem, ſalutemque potentiſſimi, glorioſiſſimique Triumphatoris Cæſaris LEOPOLDI.

Quæ ubi per exploratores ad Turcarum Curiam delata eſſent; Turcarum, ferunt, Imperatorē hæc edixiſſe. Nil inde jam mirum eſto, Perſarum Regem, vel ſolo nomine Machometanum eſſe, dum magnificè adeo cordialique benevolentia ſit congaviſus illi, cujus reverâ in corde fidem ſequitur, Romanorum Imperatori. Et ſane; fuiſſe hunc Regem Habas, præ

omnibus Persarum Regibus, Christianorum rebus deditissimum, & Machometanorum infensum, tam Persarum ipsorum testimonia, quàm ipsiusmet Regis contestantur facinora.

Etenim Pædagogum, sibique valde familiarem sapientissimum habuit Doctorem quendam, nomine Achund Regeb Hali; virum, nedum apud Persas sanguine, doctrinâ, & famæ claritate optimum, à quibus proinde, uti à græcis Diogenes habebatur; sed & ipsismet Christianis æstimatissimum, utpote ijs omni benevolentiâ propensum, plurimumq; moribus & vitæ antiquorum Monachorum, Patrumq; deditum. Hunc ergò Habas comprimis suspiciebat, & venerabatur, adeo, ut nihil cunctatus regalem fastum ac eminentiam, potenti & magnifico stipatus comitatu, familiari eundem conversatione suo in tugurio invisere non dubitârit, blandiora etiam ultra horam cum eo pertrahens colloquia. Ab hoc suæ sumpsit Habas sectæ dogmata, quæ quarta Persarum erat, juxta quod supra (a) diximus. Unde Indolem Rex sortitus est, ratione ac mansuetudine Christianis similiorem & humaniorem, animum autem Machometicis nugis magis aversum, multasque palam etiam vilipendentem. Placeat ex his lectori benevolo unum percipere.

Injustâ quandoque cæde Regius quidam seruus primarius Christianum occiderat Armenum, cujus porrò familia tota adversum homicidam ad Regem suppliciter exclamavit. Qui benignè exaudiens deprecantes, ocius ex summo suo Pontifice, & legum Interprete sciscitari fecit; ecquid præciperet hoc in casu lex Machometi? Is porrò responsum fecit: homicidam Machometanum, & præcipuè Regis Ministrum, vitâ minimè plectendum, sed quadraginta nummorum penso occisi familiæ numerando mulctandum, itaque plenam justitiæ satisfactionem esse faciendam. Quo audito: O miser (exclamat Rex)

(a) *Articulo 2.*

Rex) Legiſlator! O miſera Lex! O miſer ille, qui eam ſequitur! Sic dictis, per primum juſſit carnificem teneri ſeruum ſuum, fodique humeros ejus, & foraminibus faces imponi accenſas, capite vero verba hæc ſcriptotenùs ad aliorum terrorem affigi: *Hæc eſto illius pœna, qui auſit occidere Chriſtianum.* Itaque Camelo homicidam ſuperimponi, totamque circuire Rex juſſerat civitatem; ac tandem cultro illi ventrem adaperiri, ut excidentibus ſibi viſceribus reatûs iniqui pœnas luat. Crudeliſſima hæc Habaſi in Chriſtianicidam vindicta, nedum Pontifici, ſed & nonnullis in omni civitate, & regno circa Regis fidem, (Machometanamne, an Chriſtianam?) dubium fecerat.

Poſt hæc alia occaſione Pontifex primus, cum quibuſdam ſectæ Regiæ Doctoribus Regem acceſſerant, colloquentes, & conquerentes, quòd Chriſtiani Armeni ſuis affigant tabulas in Eccleſijs, & campanas faciant audiri, quæ omnia omninò altùm inhibeat lex Machometi. Tum verò Rex optimus, cùm blandè ſubriſiſſet, magis exclamans: Miror (inquiebat) quâ vos ratione non pudeat, conqueri de nugis, qui vos Doctores eſſe profitemini ac Sapientes? Num non ita magis vos nugatores eſtis, aut eſſe vultis? Quantinam exiſtimanda ſit lex illa veſtra, quæ ex inſenſatæ tabulæ, rudiſque æris ſono, quin & imò muſcarun motu ſe ſe patitur alterari? Quam nugatoriam infirmamque ſic perhibetis nos legem veſtram? Tandemque pientiſſimus in Chriſtianos Rex: En, ait, inevitabili authoritate nobis injungo, ut nemo poſthac veſtrum in Regia præſentia noſtra vel verbo obloqui audeat de Chriſtianis; quippe, qui maturiora longè, & rationabiliora, atque altiora, quam vos ipſi, cogitant.

Dicitur & ſuos quandoque convocâſſe Pontifices, & legisperitos, interrogaſſeque edicerent, quod de Chriſto ſuâ opinione ſentirent? Qui hujuſcemodi reſponſo edixêre. Agnoſcimus equidem, ut magnum ſui temporis Prophetam Chriſtum, homi-

minemque innocentiſſimum, atque puriſſimum, nec non ſine humano ſemine ex MARIA Virgine natum, qui & in vita ſua miraculis claruit; ſanctiſſimoque ſuo anhelitu, atque ſolo quandoque verbo, nedum infirmis ſanitatem, ſed & mortuis vitam ipſam contulit: qui tandem & in corpore cœlos aſcendit, ubi uſque modo remanet, ita ut in terris dum viveret, mortem non guſtârit. Ut idcirco Judæi ſe ſe deceptos credere poſſint; quem etenim ipſi flagellârunt, & crucifixerunt, non ille Chriſtus erat; ſed umbra ejus, aut corpus quoddam phantaſticum, quod miraculosè repræſentârat Chriſtum oculis Judæorum, inimicorum veritati Prophetæ hujus. Rex rursùm ſubinterrogans; Ecquid ſuo ſentirent de Machometo? id reſponſionis audijt: magnum equidem fuiſſe Prophetam Machometum; eidemque à Deo per Angelum Gabriëlem miſſum eſſe, dictatumque Curani librum. Subjunxit porrò Rex. Bellane geſſit? qui reſponderunt: quæ utique geſſit. Rex: uxoreſne plures habuit? Illi: quas habuit vel maximè. Rex demùm: Dominiumne in alios & ipſe exercuit? ſubjunxere: pariter & hoc exercuit. Tandem curioſus ſubinterrogat prudenſque Rex. Mortuus, an non, eſt Machometus? Qui reſponderunt, mortuus utique Rex potentiſſime. Cùm illico ſubjungens Rex ſapientiſſimus: Igitur, inquit, & meo, & cujuſcunque ritè ratiocinantis judicio, ille magis æſtimandus colenduſque eſt, ut vir à Deo atque ex parte Dei, omnis puritatis, veritatis, ſanctitatis, & tranquillitatis author, qui inordinatis paſſionibus illis, iræ, concupiſcentiæ, avaritiæ, & hujuſmodi, tandemque & ipſimet mortalitati, uti omnes cæteri ſubjecti ſumus, ſubjectus non erat. Ut proinde, cùm talis Chriſtus ſolus, non item Propheta Machomet, ut ipſimet aſſeritis, fuerit; jure huic ille ſit anteponendus, atque ut mediator Deum inter & hominem omni pietate colendus. Unde vel inviti animadvertere cogimini, quantâ ſitis igno-

ignorantiæ caligine obvoluti. Sicque confusos cum dimisisset Rex legisperitos, accersiri sibi voluit Reverendum atque Venerabilem Patrem Raphaëlem Capucinum, cum quo, uti aliàs frequentiùs assolebat, familiariora colloquia instituit.

Prænotatum porrò Reverendum Patrem Raphaëlem tanto prosequebatur Rex honore, atque amore, ut, cum eundem ad aulam suam regiam vocari fecisset, id uni primatum suorum aulicorum commiserit, qui cum Regiorum equorum uno preciosissimè adornato, optimoq; servorum comitatu ei ex domo suâ ad aulam usque Regiam deserviret. Nihil porrò non dignum Rex adamaverat in Patre tanto: virtus enim eximia, omnisque qua pietas, qua lepor in eo habebatur. Unde cum pius, modestissimusque Religiosus, Regiam tantam persæpe experiretur gratiam, suavi quadam admiratione subridens, Religiosam suam, miro, & communiter viris Sanctioribus indito lepore objecerat paupertatem: Quomodo ergo deceret, inquiens, rudibus indumentis ornatissimum Regis equum conscendere? blandissimo proinde joco baculum suum arripiens, verticemque capucio tegens, Religiosâ atque exemplari humilitate, ad intuentium ædificationem Regia insequebatur beneplacita, antecedens eos, quos sibi in comitatum Rex miserat, qui porrò ita & equum, à nemine insessum ad aulam post eum reducebant. Ab omnibus porrò in viâ illum intuentibus, honore excipiebatur, quod factum tum in Regis honorem, tum singulari ex devotione, quâ pleriq; Persarum erga virum ferebantur, qui & venerabantur eum ut Regis Præceptorem, qualem illum & passim vocitabant. Cum verò ad aulam mansuetissimus devenisset, Proceres omnes, atque Aulæ Magnates, benignè eundem venerabundi, ad Regem conducebant, quo ille viso, præ gaudio in risus primâ fronte diffundebatur; altâ verò tum voce inclamare solitus: En, adest

dilectus nobis Raphaël! Illum igitur hilari vultu ad se vocans, in proximo sibi assidere fecit, super preciosissimos tapetes, & cervicalia. A rege tandem interrogatus, num equus eidem pro itineris commoditate transmissus placeret? modestâ omninò humilitate, & suavi lepore, non se eum conscendisse asserebat, quippe veritum, ne Persarum pueris risûs foret materia. Ridiculosum etenim & sibi videri, cum rudi, uti suus erat, indumentorum genere, ornatissimo Regis equo insidere mendicum. Tum verò Rex subjunxerat. Rectè utique asservisti: nostrâ igitur liberalitate preciosos pariter obtinebis amictus, sic vel imposterum generosum Regis equum condecenter ascensurus. Rarum porrò dederat hac in occasione virtutis specimen vir Dei eximius, nempe non ex aulæ frequentatione, aut Regis gratiâ factus elatior; sed ad ipsa Regio ore sibi oblata munera exundante cordis compunctione illacrymans, suaque, quam professus est, mendicantis super humilitate sic protestatus.

Non erit parvum, quin imò, multum erit, potentissime Domine, vel hoc rudi grossoque indumentorum genere, jejunijs, & orationibus assiduis vitam agere Deo placidam, omnemque carnis insolentiam rationali spiritui servare subjectam. Quibus summâ mentis attentione auditis atque ruminatis ad suos conversus Magnates Rex, inquit: Ecquid vos de pietate, humilitate, & veritatis zelo hominis hujus, fideique ejus? Usque eo ille sanctæ innocentiæ & tranquillitatis Spiritu exarsit, ut Patriam suam, omnesque humanæ vitæ felicitates deseruerit, Regiam & imò gratiam nostram, sibi parato corde oblatam, adhuc aspernatus, paupertatem & bonas mentis qualitates omnibus anteponat. Zelumne hunc generosum consimili quodam opere imitabuntur Machometani Religiosi vestri, Doctores, Pontifices? Non utique, prouti nulli ignotum esse potest.

teſt. Non igitur vos demiremini, totumque Regnum longiori id ſibi conſiderationi ſumat, adamare me ſingularius, rarioriquc amore proſequi virum tantum. Atque ita quidem proſecutus eſt Venerabilem hunc Patrem Raphaëlem, ut nedum ejus perſonam multo ſemper honore affecerit, ſed & ad ejuſdem inſtantiam diverſas alijs, tum Chriſtianis, tum infidelibus, elargitus ſit gratias, hic ab Authore brevitatis ergo non enarrandas. Sic nempè ſanctitas, utrobique ſuum ſortitur patrocinium, æſtimata nedum à Sanctis, ſed & à non Sanctis multo in precio habita. Quem poterat Herodes odiſſe Joannem, à ſanctitate reſpexit: & vel inter mille, milleque accuſantium ora, pro ipſa innocentia Chriſti, uxor Pilati non intermiſerat perorare.

Sed neque ſola, quæ in Venerabilem virum totis medullis diffundebatur, Regis erat gratia: aula in eum omnis ſpirabat amorem, & quod mirum erat, vel mulierum nobiliorum non ſubterfugiebat favores, nonnullamque earum optimâ famâ, magneticâ veluti virtute in lepida ſecum colloquia attraxit. Cùm enim Principiſſa quædã, gratiæ leporiſq; ejus permulti facta eſſet conſcia, expertura, num veritati conſona ſibi hoc de Viro Venerabili ſint recenſita, magno quandoque ancillarum Eunuchorumque comitatu inviſebat eum, ſeu ſubdolis blanditijs muliebribus eundem tentatura, ſeu ſuper vitæ ejus auſteritate condolenti animo eundem ſolatura: Eum porrò ſic allocuta. Magnalia hac audiuntur in civitate, totoque penè regno, de fama, ſanctitate, atque doctrina tua; id porrò unum cunctis ſummopere diſplicet, & diſplicere poteſt, comprimis mihi, quod uxori te junctum eſſe nolis, ſed in habitu hoc abjectiſſimo, & ludibrioſo, vitam ducas rigidam, ſolitariam, aſperrimamque. Vir porrò Dei Spiritu plenus, muliebri condolens inſipientiæ, carnis infame jugum præ ſuaviſſima Spiritûs libertate amanti, reſpondit innatâ ſibi gratiâ; obligatum ſe ſe ſentire,

de affectu ejusdem tanto quo se invisere dignata sit in persona; subintrareque abjectam suam paupertatis domunculam. In reliquo consilium de uxore assumenda omninò sibi non persuaderi, quippe quod aliorum uxoratorum terreatur exemplo, cum quibus multipliciter conversatus, sæpiusculè & ut plurimum expertus sit, non esse hos de statu suo conjugali, & mulierum suarum solatio contentos. Cum igitur, ajebat, ego absque uxore in paupertate vivens ad usque hoc seniũ meum contentus vixerim, nolim assumere statum eum, quem in senectute contentus transigere nunquam possem. Quod si quæstio faveat, Domina gratiosa: quænam Persarum mulierum delicatissimarum, omnique fastui, tum in suo, tum in suorum virorum incedendi modo assuefactæ, usque eo se resolvere possit, ut amet conjungi mihi, neque horreat, rudem, simplicem, & abjectissimum hunc meum incedendi modum? Curiosa verò illo subjecerat Principissa. Nihil est, in quo tergiversaris amice; tu modo assentiri velis in uxorem ducendam, ego & vestes elegantes, & universa necessaria, tibi uxorique tuæ pro liberalitate mea competentissimè subministrabo. Tum verò ille: minimè tua dubito de munificentia liberalitateq;, quam vel inde non posũ non præsumere, quod præter nobilium Persarum mulierum morem, abjecto me invisere in tugurio, dignata sis. Cæterùm cùm habitus hicce, tametsi oculis abjectus, mysterium quoddam singulare sit Spiritus mei interioris, quem Deo à juventute vovi, si eum deseruero, morti proximus ero: unde præstare omninò arbitror, vivere in eo absque uxore, quàm hac assumpta, illoque relicto, morti spontè me dedere. His consimilibusque rationibus, & suavi semper dicendi lepore, mulier non tam confusa, quàm saciata suos repetijt lares: idemque factum pluribus ennarravit, adeò, ut volante tum vulgi, tum status nobilis super hoc heroico facinore celeberrimâ per omnium ora laude, id ipsum
ad

ad Regias uſque pervenerit aures, qui ocius dilectum ſibi Venerabilem Raphaëlem accerſijt, hilarique omnino curioſitate rei ſeriem ab ipſomet lepidiſſimè deſcriptam audijt, nullâque non admiratione tantam viri conſtantiam æſtimavit.

Aſt; ubi ex occaſionaliter dictis ad Regem rursùm devenimus, dicendum quod reſtat, nempè; optimè eum, multoque amore ac favore addictum fuiſſe Europæis; adeò: ut & modum induendi, incedendiq; eorum curaverit habere in quibuſdam aulæ ſuæ ſervitio addictis: undè ex diverſis Europæ nationibus diverſos ſibi aſſumpſit artifices, ut aurifabros, pictores, Horologiarios, quos & optimo cum ſalario, debitoque amore atque honore ab omnibus haberi voluit, prout & habiti ſunt, & uſque nunc habentur. Cum porrò hi vel curioſitate, vel delectatione, aut quovis alio fine ducti, in tempore Regis illius Europæas exuiſſent veſtes, Perſicis induti; illicò ab eo juſſi ſunt Perſicas ſeponere, atquè Europæis reindui, pro guſtu ſuo, regioque beneplacito, aulæque ſuæ honore atque decore.

Ne porrò nimia prolixitate fatigemur, hæc de Rege optimo Habas ſecundo dicta ſufficiant. Cui ſuus ſucceſſit filius, modernus Rex nomine Solimannus: qui tanquam primogenitus Habaſi, prægrandi ceræmoniarum ſolennitate aſſumptus eſt ad paternum ſceptrum, & primitùs quidem Schah Sephi appellatus: Cæterùm ex ſuperſtitioſâ ſiderum inſpectione dein Aſtrologi deduxêre, mutandum ei nomen, nonque amplius Sephi, ſed Solimannum eſſe compellandum.

Floridâ porrò hic adhuc ætate fruitur, annorum videlicet ſortitus 36. circiter facie non penè abſimilis Parenti ſuo, animo, genioque hilaris omninò, & converſatione amicus ac Jovialis, ſtaturæ mediocris, ſicut & in cæteris, quæ Perſarum Regibus communia ſunt, medio incedit modo. Bellum in Perſonâ, ex quo ſceptrum ſortitus eſt, cum nemine habuit; ſicut

anteceſſores habuêre ſui, tametſi fervidus eum devaſtet in corde carbo, miſcendi quandoque acriora cum Turcis prælia. Eſt porrò & potentiſſimus Rex ipſe Chriſtianis, tametſi non in quantum parens ſuus, permultum tamen, ut alibi dicam, benevolus nunc, atque affectus, tametſi primâ fronte Regia, utpotè adhuc recentiorem educationem, & juvenilem zelum ſpirante, in ſuperſtitiones Machometicas, Chriſtianis æquè non fuerit propenſus. Ex eodem zelo Machometico, in principio regiminis ſui omninò bibere vinum abhorrebat; rigoroſiſſimâ imò per Univerſum Regnum ſuum capitis pænâ inhibuit, ne Perſarum ulluſpiam Machometanorum vinum bibere præſumat. Aſt, ſicut omne principium fervidum temporum ſucceſſu ut plurimùm tepeſcit, tepuit & hic zelus Solimanni, ut ſuorum anteceſſorum incipiens ſequi veſtigia, magis ſuperſtitioſorum hominum futilia dicteria, aduſque hunc diem, & ſatis quidem avidè vinum bibat.

Duo porrò in vino Rex iſte habet præ anteceſſoribus ſuis. Primò, cavet inebriari illo, curat autem ſuos inebriari Principes, à quibus proindè valeat expiſcari cum primo Miniſtro ſuo, qui vinum nunquam guſtavit, aut guſtat, ſuper factis eorum, quibus pro meritis aut demeritis valeat retribuere. Secundò, dum vina libat, non adeo ſeverus, immitis, atque crudelis efficitur, uti cæteri ſolebant Perſarum Reges: unde per hos regiminis ſui annos, non niſi uni ex Satrapis in vino juſſit auferri immediatè vitam, de quo in Articulo de Principibus, duobuſq; Principibus brachium abſcindi dextrum. Cæterùm in his atq; ſimilibus mandatis apud Perſas pro ratione ſola ſtat Regis voluntas. Atque inde eſt, quod Perſarum Magnates in Regis præſentiâ, continuâ torqueantur incertitudine, ſummoque ſemper ſtent in timore, neſcientes tempus, horamve, quâ fors immunes Regis indignationem evadere poſſint.

Hac

Hac etiam dolosâ uti solent politiâ Persarum Reges erga Magnates & Principes suos, idque ob hanc rationem, quod omne Regis factum inter pocula, non Regi, sed vino attribuatur, quamvis de industria, & ex proposito Rex agere crudeliter intenderit.

Consilijs porrò, nisi gravissimis, Persarum Reges rarissimi intersunt; sed ea primo, cæterorumque Ministrorum fidelitati committunt; qui enucleatam consiliorum suorum resolutionem eidem deferunt, & quidem, si magnæ considerationis est, in scriptis appositam. Tum verò Rex ipse negotium cum quibusdam confert mulieribus, quæ seniores habentur, atque prudentiores, majoris super historicis traditionibus experientiæ, quippe cui ex professo incumbunt. Harum porrò consilio habito, atque cum Principum suorum consilio collato, Rex cum primo Ministro suo, primisque quandoque duobus Pontificibus, suo negotium sensu sancit, atque concludit. Cæterùm tametsi negotia magnæ considerationis evenerint, multâ non solent, ut quandoq; cum detrimento fit, morâ differre resolutionem, rati, & benè, negotiorum gravitatem etiam temporum decursu sua sumere incrementa, neque tanto labore primas sopiri debere in camino flammas, quanto debent, ubi multiplicatæ universæ penè domui exitium comminantur. Levioris verò negotij momenta totaliter à Rege Ministrorum committuntur fidelitati, qui sincerissimè diligentissimeque omnia prosequuntur. Quodque mirum est, atque hoc sæculo esse debet; si casus quipiam evenerint sinistri, ut rebelliones intestinæ, aut hostium exterorum subitæ irruptiones, aut similia quædam immineant Regno mala; Principes his omnibus magno inter se silentio curant remederi, omnem Regis scitum præcaventes, ne scilicet mens ejus, tantummodo colenda atque adoranda, quadam inquietari valeat perturbatione. Quod ubi in-

insufficientia fuerint insperatis eventibus potentiæ suæ remedia, Regis tandem commonent, & blandâ modestiâ excitant Majestatem, extento brachio, vel competenti quavis potentiâ malis instantibus obviare.

Ut jam admirationi locus absit, quâ ratione Persarum Reges, summâ vitæ tranquillitate, delicijs, aptatissimoque fruantur regimine: etenim ineffabilis hæc ministrorum fidelitas, quid est, nisi semen fructificans pacem intestinam, & incutiens terrorem exteris: cùm econtra infideles Ministrorum animi fomenta sint, unde hostium phalanges in prælia succenduntur, patriaque cineribus obruta, vel Phœnici unico reviviscere non concedit. Illud admirationi potiùs esto, quia rarissimum: Regibus severis, crudelibus, & tyrannis in Proceres ministrosq; suos, hos nihilosetiùs, tantâ devotione, obsequio, amore, atque devotione perdurare, ut nedum bona commodaque propria, sed sanguinem vitamque omnino ipsam, pro Regis & Patriæ incolumitate, velint, studeantque semper exponi: quippe quæ omnia, ut inquiunt, primò à Deo bonorum omnium datore & creatore, dein verò & suo à Rege, at omnium possessore ac Domino, communique omnium oppitulatore sortiti sunt. Utinam (liceat devoto votum!) vel vos fideles Regi, etiam essetis fideles Deo; vel vos qui fideles Deo estis, Principi semper & vestro fideles sitis.

Porrò in confirmationem constantissimæ devotionis & fidelitatis Persarum in Reges suos quantumvis crudeles, faveat adducere exemplum quoddam, assiduâ omni aulico ponderatione dignum, de potentissimo quodam Vice-Rege majoris Armeniæ, sanguine opibusque celeberrimo, Regique multiplici ex capite, quorum unum singulariter paulò infra exponam, dilectissimo, nomine Sephi guli Chan appellato.

Septem igitur præterlapsi sunt anni, cùm nominatus primus majoris Armeniæ Vice-Rex Sephi guli Chan, novo titulo Regis

gis obtinuerat amores, quos uno dein vel exiguo momento infelix rursùm deperdiderat. Poſtquam enim per trium annorum decurſum id unum ſategiſſet, ut per Procuratores Regios, continuò ad Regis aulam ſtantes, conſenſum Regis evinceret. quo liceret ſibi, ad Regiæ Majeſtatis Suæ obſequium offerre filiam ſuam; tandem reſolutionem adeptus de benevola Regis acceptatione, id maximo faſtu luxuque attentavit. Tantoque cum ſplendore ſpecioſiſſimam filiam ſuam ad aulam Regiam dimiſerat, ut præter ea, quæ pellex corpre geſtârat, ornamenta, omnemque faſtus ſuppellectilem Camelorum quingenti deferre deberent; comitatus verò ejuſdem eſſet duorum millium armigerorum copia. Confecto igitur per duos menſes itinere, cum ad Regiam deveniſſet; non illico, ſed poſt menſem ad Regis admiſſa præſentiam, faſtum pulchritudinemq; uti ſecumtulerat, ita Regis admirationem atque amorem ſubito promerita erat cum tota familia ſua.

En verò rectà qui in domibus Regum ſunt, aut alto Principum favori innituntur, *tolluntur in altum, ut lapſu graviore ruant.* Duos etenim poſt annos inconſtantis humanæ gratiæ pænas luit infortunatiſſimus Vice Rex, cum filiâ, totaque domo atque familiâ ſuâ. Idquè ex levi ſolùm ſuſpicione ab alijs Principibus Regi adversùm eum delata; comprimis ab Armenorum Patriarcha Jacob; de quo alibi. Tenor porrò ſuſpicionis erat, præfatum Vice Regem Sephi Guli Chan, peculiari occultâ quadam tractare intelligentiâ cum magno Turcarum Tyranno, atque aulâ ejuſdem. Cum illicò Rex priſtina omni benevolentiâ ſejectâ, uni è centurionibus ſuis, nomine Saru Chan begh, in mandatis dedit, ut formato indignationis Regiæ decreto, junctus Vezirio ſeu Cancellario in Civitate Tauris reſidente (de quo ſupra mentionem fecimus) omni feſtinatione nominati Vice Regis adiret reſidentiam, eundemque ci-

tra tamen vitæ ademptionem, obrueret, atque catenis vinctum ignominiosè ad aulam deduceret; ipse item cum Vezirio sibi adjuncto, bona ejusdem omnia confiscarent, regiosque inter thesauros fideliter deferrent.

Actum est proinde ab his, quod à Rege sibi imperatum, juxta morem scilicet modumq; Persis communem, quem & hic percipere, amicus non gravabitur Lector. Nempe, cùm considerationis altioris Princeps, Regis indignationem, sine tamen capitis pœna, incurrit; minister ferens decretum indignationis Regium, sine ulla morâ, atque à nullo ministrorum aut aulicorum reo deservientium prohibendus, despoticè atque imperativè accedit eum, tapetes Persarum more solito, preciosos humi stratos, pedibus, ferratisque militaribus ocreis fædat, atque conculcat, omnique solità amicabili inter Principes salutatione prætermissâ, Regis per decretum denunciat indignationem, inhibens omninò, nec vel loco se se moveat pronunciatus à Rege reus. Viso porrò Regis decreto Princeps indignationi subjectus, suum proprijs ipse manibus sibi cingulum è corpore dissolvit, ministroque Regio offert, quo suas jam sibi parato, à tergo liget manus, insinuans ita pro more, destinatus reus, non ultra cingulo se dignum militari, neque mereri dominium, quo fruitus erat per meram Regis gratiam; sed juxta justissimum ejusdem decretum, destinatis ignominijs, & placidis Regi pœnis pronum se subjacere. Tum verò ligatis ita ejusdem manibus decretum ei Regium, ab aliquo familiari suo prælegitur, ipseque ad pœnam juxta Regis arbitrium taxatam irrevocabili obligatione adstrictus habetur.

Quod si verò decretum de morte sit inferenda; reo dimidium quasi horæ spacium conceditur, ad præmittendam tunc lotionem atque orationem, quasi suorum sic acturo confessionem, atque pœnitentiam delictorum. Quibus porrò per-

actis

actis reus, ſuo ſe primo coram Rege, qui Deus in cœlis eſt, feciſſe ſatisfactionem, conteſtatur, tum verò ut & Regi ſecundo ſuo, qui in terris eſt, ſuorum ſuſtinere poſſit pœnas delictorum, ſupplex flagitat, neq; recuſare ſe ad Regis juſtiſſimam voluntatẽ omittere vitam, quam eidem habet debitiſſimam, ſi etiam haberet millenam. Itaque dicto vale amicis atque adſtantibus, propria ipſe ſpontè flexus ſeſe carnificis objicit enſi; qui decollati caput certis quibuſdam & à ſubita corruptione præſervantibus oblinit unguentis, itaque oblitum & haſtæ ſuperimpoſium, Regi defertur, qui pro velle vel nolle ſuo illud coram quandoque videre deſiderat, ſoletque. Tanta porrò eſt Perſarum ſubjectio, atque promptitudo in Regem ſuum, ut ignoratâ etiam causâ, ſtante ſolâ ejus pro ratione voluntate, quodlibet mortis genus ſubire non tergiverſentur: & neque patitur altitudo Majeſtatis judicia ſua ſcrutinio ventilari ſubditorum, neque permittit ſubmiſſionis promptitudo de juſtiſſima Regis voluntate uſpiam dubitare.

Ubi autem Regis decretum capitis condeſcenderit pœnâ, ſolam rei captivitatem, & bonorum ſuorum confiſcationem demandans; non ſolùm reus cingulum militare ſuum deponet, manibuſque ligabitur; ſed & veſtimenta, quibus indutus fuerit, honeſtiora exuet, capitique ſuo vile Tulbantum, non coloratum, uti Perſis in more eſt, ſed album, uti Turcæ gerunt, in ignominiâ aſſumet, rudiq; & nigri coloris togâ indutus, mulo parvulo ſuperinſidens, ac pendulis pedibus ſub muli ventrẽ catenis ferreis colligatis, dextro verò brachio cepis ad collum ligato, multo opprobrio ad Regiam deducitur, atque pro graviori, minorive delicto, & Regis arbitrio, in arce Regiæ, vel alio quodam carcere, quorum per multos diverſis in locis arctiſſimos habent, aſſervatur, liberandus quandoque, quidam verò inibi perpetuò juxta Regis placitum mancipandus.

Hoc porrò charitatis & humanitatis hujuſcemodi captivo, mortis non reo, Perſæ juxta legem moremque ſuum exhibent, ut dum in itinere eſt uſque ad Regiam, omnes eundem inviſere poſſint, inque ſuis domibus veluti Principem tractare, ſolutis quidem ex ipſius pedibus catenis, minimè vero cepis ex brachio dextro, neque mutatis captivitatis indumentis.

Ita igitur infortunatus evaſit Sephiguli Chan, Regi cæteroquin tum titulo collatæ filiæ, tum alijs complurimis dilectiſſimus, ſuo ipſe edoctus infortunio, cum omnibus ſuis,& precipuè filia, quam ignominiosè expelli Rex juſſit è ſua domu. Quo & plurimi vel hodie edocendi,quàm tremulo pede in Regum gratiâ ſit incedendum. Eſt enim Regis animus favorum officina pariter & furorũ. Quam item malè tutum ſit fidelitate ſoli ſuo non ſtare Principi, & clandeſtinis intelligentijs extero Domino commiſceri. In glacie ſtant, qui ſic ſtant; facili indies caſu collotenùs mergendi, ſi omnino non ſubmergendi. Placeat hic obiter magnum Regis hoc in caſu enumerari proventum. Equorum enim nominato à Vice Rege relictorum inveniebantur, quatuor, & ultra, millia; tria pariter, & ultra, millia Camelorum; tanta porrò peccuniarum quantitas, quæ quingentis camelis oneratis deferri debebat, relicto innumero precioſiſſimoque armorum genere, cæterâq; universâ & ſplendidiſſimâ ſuppellectile, cum vaſis argenteis, aureiſque ſeu omni demum ſubſtantiâ reſiduâ & incomparabili. Lapidum item precioſiſſimorum, rariſſimarumq; unionum theſaurus erat prægrandis, aliaque tam virili quam muliebri accomoda ornamenta, copiæ quidem talis, qualis cæteroquin eſſe non poterat, niſi potentiſſimi tantummodo Regis. Unum, cætera inter, in ciſtâ quadam ferrea, magnum adinvenere clypeum, tanto gemmarum precio inſertum, ut peritorum æſtimatione florenorum etiam millionem excedere viſus ſit. Tantus deniq;

the-

thesaurus sub Fisco comperiebatur, ut supramemorati Ministri in eo exquirendo, conscribendo & registrando octo mensium dies insumpserint. Cùm econtra omni suo in opprobrio atque jactura Sephi guli, adhuc mentis tranqullitate, generositateque animi gauderet; constitutus etiã in carcere cum uno dilectissimo sibi filiolo, Mehri Hali nomine, in arce quadã extra Regiam Isfahan nullo non generosæ resignationis solamine abjectum, cor erigere conabatur; quâ sanè ratione nedum Persarum mentes rapuit in admirationem, sed & omnis nationis indolem commovere posset ad imitationem. Enimverò & egomet in Persona captivo trinâ vice cum Superiorum licentia invisurus adfui, obligante me ad hoc gratitudine super beneficijs compluribus, quæ ipse ad petitionem, atque in gratiam meam benignissimè contulit nonnullis Episcopis, & Conventibus Christianorum in Armenia, cujus egerat Vice-Regem. Omni porrò vice, mirabar Principis tanti æquanimitatem etiam in adversis, quâ sanctum patientiæ prototypon in se se monstraverat quasi effigiatum, illud persæpè singultante quidem spiritu, hilari tamen animo erga Regem suum ingeminans, quod Job suum erga Dominum Creatorem. Mihi, inquiebat, gratiosissimus Dominus & Rex meus Sciah bona illa, qualiacunque habui, omnia, ultra mea dederat merita, illa nunc rursum abstulit, ob mea demerita. Ejus igitur sancta & justa in me voluntas, suum sortiatur finem; remanente suâ Deo & laude, quod majori in Regis conspectu gratiâ fruar, quâ vitam adhuc mihi, cùm aufferre potuisset, quippe post Deum sibi etiam consecratam, benignissimè concessit. Talis quidem nondum esse poterat spiritus in filio juvenilis; qui patrios inter lares mollibus nutritus, & libertate erat gavisus; is porrò de dura malesentiens captivitate, à patre quandoq; tentârat, sibi tandem interficere sese præstaret? quem verò ille increpans ajebat: Eccur nate dilectissime juvenili in-

ſipientiâ, atque animi vilitate ſeduceris, ut ſubinde perdere intendas honorem & ſinceram atque fidelem ſervitutem noſtram apud Regem gratioſiſſimum, Magnateſque noſtratum Perſarum? nempè omnimodâ etiam in adverſis fidelitate Miniſter quiſque ſervus, & cliens Regis, proindè & nos vel in carcere ad omne juſtiſſima volentis Domini mandatum tantum adſtricti ſumus, quantum vivimus. Vitam dum ille benigniſſimè largitus eſt nobis, volens nos carceris correctione pati; tu jam adverſa hæcce, quæ morte minora ſunt, ſufferre recuſes? Altus adhuc ſanguis etiam in carcere eſt, ut altam indolem, altiora meditari potentem alat. Quòd ſi imprudentem ultro tam ignavi animi juventutem ex te comperero, nullus patiar, ut temet occidas ipſe; ſed ego genitor uti ovem te te in obſequium honoremque Regis noſtri, oblitus paterni amoris, ac ſanguinis, qui es, mei, inevitabili zelo, & furore mactabo.

Colligat vel inde prudentiſſimus Lector, ab exemplo utiq; memorabili, quantâ per omnia devotione atque fidelitate Perſarum etiam Magnates ſuos ferantur erga Reges, ſi etiam hi, vel injuſtè, vel crudeliter in eoſdem agant. Inde & florida tanta eſt eorum Monarchia, toto nedum oriente, ſed & orbe celeberrima; quod formido, atque obedientia in ſubditis, quod potentia atque Majeſtas in Rege vigeat, quâ & hic & illi, communi particulare norunt anteponere bono, quod & naturæ ratio dictat.

Inter alia cæterum humanitatis atque juſtitiæ munera, quorum præ alijs Orientis Dominis ſinceriores ſunt obſervatores, Perſarum Reges duo ſingulariter ſuos erga Miniſtros atque Magnates obſervant, dum capitis, vel carceris pæna ſunt puniendi. Primum eſt; Immunitas à pænâ capitis: hanc enim quidam obtinent, ſive per merita propria, & generoſa pro Rege vel patria facinora, ſive ob merita anteceſſorum ſuorum: his

his namq; aureis datur caracteribus exaratum im̃unitatis diploma Regium, tenore cujus per omnem eorum generationem, quocunque in crimine deprehensus quisque sit, capitis, mortisque pæna liber est, tametsi carceri, & confiscationi bonorũ pro Regis, sive justo, sive injusto arbitrio obnoxius maneat.

Paucissimi autem inveniuntur totâ in Perside Magnates, qui tali fruuntur privilegio, quos inter specialis est moderni Regis primus Minister Sciech Hali Chan; ex titulo Hedima Dolue: qui quamvis multa cum familia sua universa perpessus sit ab hoc Rege, eo comprimis, quod vinum abhorruisset bibere, ut alibi commemorabo; cum tamen hac præmunitus esset immunitate, crudelem Solimanni ensem, quem alias pridem degustans terram momordisset, semper evasit.

Secundùm, quod Persarum Reges in Magnatibus, quos capite puniunt observant, illud est; quod si dicti rei olim vel ex meritis, vel ex Regiâ gratiâ in quandam collocati sint dignitatem, cum vitâ, sive ex justa, sive injusta Regis indignatione fuerint privati, eorum dignitates, filij, nepotes, aut pronepotes conscendant, aliosve ad gradus sive superiores, sive inferiores pro Personarum qualitate ex Regis gratiâ collocentur, ne suorum antecessorum merita in se omnino vacua censeantur.

Hæc potissima sunto de Regibus; de quibus ultro sciendum occurrit: quod si in eorum propagatione linea deficiat masculina, ex genere Regis Scytharum tum sibi asciscere teneantur; id ob affinitatem, quam dicunt Regiam Persarum familiam sortitam esse cum familia Regia Scytharum, per Tamberlanum olim potentissimum Scytharum Regem. Cæterùm usque nunc Reges non defecere propagatione, uti librorum monumenta testantur; mihi genealogiam Regum texere non incumbit. Vivit autem Solimannus modernus perquam felicissimus, gaudet filijs, & filiabus; unicum verò fratrem

trem suum ante annos sex, cum viginti annis plus duos natus esset, juvenis generosissimus formosissimusque, ad instigationem maximè primi sui moderni ministri luminibus orbari fecit; veritus forsan, ne sua paulatim adolescens ætate, dentes acuat in sceptrum, seque potentiori rabie è solio abstrudat.

Denique de sigillo Regum Persarum & hæc sit Lectori notitia perbrevis. Etenim tametsi non omnino eodem cum antiquis, nec tamen omninò alio ab illis moderni utuntur Persarum Reges insigni. Antiqui quippe solem tantum, moderni verò, & solem, & in ejus medio leonem gestant. Sole quidem Deum illi repræsentare, & sanguinem Regium, quem Sanctum & veluti in terris divinum, quia supremum, indicare autumant; moderni verò, huic significationi aliam addidere per leonem, quo Hali suum intelligunt, tanquam fortissimum & invincibilea Dei Machometique defensorem; quem proinde Sciri Chuda solent vocare, id est, Dei leonem.

Ast miseri, sol iste vester est, qui, cùm ille justitiæ venerit, non dabit lumen suum; cùm vobis nunc cum mendaciorum figmentorumque artifex infernalis divinitatis colore depingit resplendentem. Leo iste vester est, qui, cùm ille de Tribu Juda aderit, cùm aspide basilisco & dracone conculcatus jacebit, cùm interim hac in mortali vita circuit quærens quem devoret; cui nos resistimus fortes in fide Christi: vos verò miserabili ignorantiâ ejusdem faucibus insidetis, justo Dei judicio non eripiendi, sed æternali furore atque rabie devorandi.



ARTI-

Articulus XVI.

De Aulâ internâ, quæ est mulierum Regis Persarum, nec non de eorum Generali Zelotypia circa mulieres à virorum consortio abdicandas.

PRo fastu partim, partimque pro religionis observantia, tum antiquitus erat, tum & modo est populis Orientalibus, Christianis demptis, uxorum pluralitas, & copia concubinarum, quas proinde, summâ cautela & observantiâ custodire satagunt, per Eunuchos, ab alienâ virorum præsentiâ. Id quod comprimis à Persarum Regibus modernis præ cæteris observatur. Hnde & his, & proceribus suis atque Magnatibus, duplex esse aula solet. Externa una est virorum frequentationi exposita, quæ in eorum Vernaculâ Merdane dicitur. Altera interna, quâ solæ recluduntur mulieres, vocantque illam juxta vernaculam suam Zenane, seu excellentiori vocabulo, Herem; quod significat domum secretam, sive absconditam, quippe, quam nemo virorum accedere ausit, nisi dominus ejusdem domus. Summâ proinde Zelotypia, sedulitate, ac circumspectione, nedum Reges Persarum, illorumque Magnates, sed & plebæi suas solent ab omni virorum conversatione, imò & aspectu arcere uxores, adeo ut neque consanguineos eis colloqui, aut conversari permittant. Unde & fæminæ Persæ traducto mox septennio ætatis suæ, velo quodam albo per totum corpus suum à capite usque ad plantas, cooperiri debent, ad decrepitam etiam ætatem usque; quo & se se industriosè involvere sciunt, ut solis oculis prospicere possint in viam, quà cum domo forsan egrediuntur, incedere debent, nempe, cùm de virorum suorum licentia ad convivia scilicet, aut nuptias amicorum consanguineorumve suorum, sive etiam

ad balnea, quæ ſemel in hebdomada frequentare ſolent, accedunt. Quod quidem de cæteris fœminis intelligendum, non verò de Regijs, de quibus alia infra. Solent autem has & ſimiles conventiones, converſationeſque ſemper inter ſe, & à viris ſegregatim habere; ubi tum cantant, ſaltant, ludunt, jocantur, diverſaque curioſitatis exercitia patrant; quædam verò earum induſtrioſo atque acuto genio rythmos combinant, & cantilenas, tum ſacras, tum alias amatorias, quas dum canunt, ſuavi nonnullæ inſtrumentorum harmonia alludunt,& omnis demùm generis lætitias muliebres pertractant, in hortis, balneis, alijſque domeſticis habitationibus, quas eis de induſtria adornant & extruunt viri ſui; ſed & virtuoſiſſimâ intendunt arte in laboribus diverſis, huic ſexui familiaribus. Nonnullæ pariter peritiſſimas ſe ſe aſſiduà lectione reddunt, in hiſtoricis, moralibus, poëticis; & quaſcunque terendi temporis inventiones habere poſſunt, arcta eos clauſura docet, & ſolitaria vivendi ratio. Ipſæ porrò hunc ipſum ſegregatim vivendi modum, nedum non odio habent, ſed & probant; fatenturque honeſtam hanc hibi incarcerationem omninò eſſe competentem, quâ tum ipſæ ab inſolenti alienorum inſultu hortum honeſtatis & pudicitiæ ſuæ teneant obſeptum, & mariti eorum de fidelitate integritateque ſuâ indubij conſerventur: ſuum etenim agnoſcunt ſexũ fluctuantem omninò,& de facili ad fragilitatem proclivem; miranturq; tum ipſæ, tum viri Perſæ, horrent imò audire de more Europæorum, tantam mulieribus in converſatione libertatem admittentium; quod & eorum multi omninò non credunt, dicentes: ſcire ſe Europæos ſapientiæ & generoſitatis ſtudioſos, nec videri ſibi poſſibile, quanam ratione claudicare in puncto tanti momenti poſſint: quippe quo honor & fama bona facili omninò periculo expoſitus eſſe creditur, imbecilli nempè muliere, & pro ſexus ſui conditione, inordinatè ſæpiùs concupiſcente. Obſtiteram

ſtiteram nonnunquam & ego ijs, concludens per nonnullas rationes, Europæas nationes ex indito ſibi genio, hac fragilitate eſſe remotiores; aſſerens imò, jure Perſas ſuas coërcere à liberte fœminas, quippe, quæ ſemper emptitiæ ſunt, atque adeò mancipandæ; nemo quòd eorum ducat uxorem, quam certâ non dote neceſſario donet, juxta eorum practicatum morem, quem uſque adeò Europæi ut neceſſarium non reſpiciunt, atque hinc majorem ſuis mulieribus libertatem admittunt. Melius porrò, ij inquiebant, eſſe, ſi mulieres ſub ugo retentæ libertate priventur omni, exteraque arceantur à converſatione, quippe, quibus nihil cogitare ſit, conſulereve de bello, politica, ſtatu, religione, diſciplina, arte, vel mercatura, alijſque negotijs altioribus, queis jugiter viri incumbere tenentur. Rebus proinde familiaribus, atque domeſticis mulieres addictæ cùm ſint ex genio ſuo, domi jure optimo mancipentur; tum verò & melius procuretur virorum complacentia ſuorum, & muliebris pudicitia ſaniori conſilio certiorique ſervetur illæſa. Collimantes utique in illa Plutarchi verba: *Fœmina poſtquam nupſerit, & corpus, & patrimonium, & libertatem, & voluntatem, ſeq; ſuaq; omnia mariti unius imperio & poteſtati ſubijcit; quamobrem ſi uxor aliud, quàm maritus, velle, aut aliud, quàm ille, amare audeat, non curioſam, aut amatricem, ſed furem manifeſtariam appellabimus; non enim tantum damni viris fures dant, pecunias auferentes, quantum uxores animo ab illis alienantes.*

Tam denique ſollicitè ſexus cuſtoditur muliebris tam inter Perſas, quàm cæteros Machometanos, ut dum contrahunt matrimonia, vel ſponſalia, ea non fiant per immediatum contrahentium conſenſum, ſed parentum ſolum, conſanguineorum atque amicorum fide & promiſſione conjunguntur aut deſponſantur; quà ratione nec vir uxorem ducens, neque hæc maritum aſſumens mutuam habent certitudinem, de moribus

venuſtate & genio compartis ſuæ, præter eam, quam aliorum teſtimonio obtinuere. Unde complurima ſubinde oriri ſolent inconvenientia, rixæ atque infaminæ inter conjuges; quibus quidem rursùm evitandis, frivola & carnalitati accomoda Machometi Lex repudium ſubminiſtravit, errorem pejorem etiam priore, unde inconvenientiæ inconvenientijs multiplicantur: neque enim ex repudio, neque ex poligamia, quam & maximè colunt, ullus ſeu mentis ſeu corporis fructus, aut debita, honeſtaque multiplicandæ ſpeciei humanæ propagatio oriri poteſt. Major etenim in ipſo rerum omnium principio ad multiplicationem hominum neceſſitas erat, atque nunc; cum tamen Deus infinitè ſapiens naturæ author unam tantummodo hunc in finem Adamo crearit uxorem. Hæc, aliaque in faciem ijſdem quandoquè objeceram; ſed & illud: qualiter longè plures inveniantur animæ Europæos inter, aliaſque Chriſtianas nationes, quæ unicà tantum uxore, debita conſenſus reciprocatione, atque indiſſolubili amoris vinculo, in nomine Dei Domini ſui, ſummâ cum tranquillitate ac felicitate mentis & corporis miſeram hanc tranſigunt vitam, alter alterius onera portantes; quam ſint apud Machometanos ipſos, qui pluribus, non utentes, ſed abutentes uxoribus in nomine Machometi lurconum prototypi, per carnem volutantur & ſanguinem, fæcundiores utique, & ad humanæ ſpeciei multiplicationem vegetiores, ſi uni tantum conſorti ſe alligarent. Id quod argumento clariſſimo vel à Machometo ipſomet deſumi poſſit; experientia enim conſtet, pluribus eundem commixtum eſſe uxoribus & concubinis, cum tamen exceptâ Fatma infami ſuâ filia, & uno filio, qui, ne forſan parente pejora patraret, in juventute mundo ſublatus eſt, prolem aliam nullam legatur obtinuiſſe. Non igitur, perſæpe inferebam, vobis à Machomet polygamia conceſſa eſt ad dignam prolium multiplicationem,

tionem, ſed ad mentis & corporis inquietudinem, rixas, litigia, & homicidia; prout & voſmetipſi toties conquerentes, de inſolentiâ, perfidiâ, jugiquè diſſenſione mulierum veſtrarum fateri tenemini, in veſtram, & legis veſtræ deteſtabilem omninò confuſionem. Aſt redeamus ad Herem, id eſt, aulam Regis interiorem, mulieribus propriam.

Norit itaque amicus Lector aulam hanc mulierum, tametſi ab omni virorum converſatione alienam, in his tamen, quæ jocorum atque recreationis ſunt, curioſiſſimè imitari aulam virorum. Habent namque & illæ diſtributa inter ſe ſe officia, & proprium quælibet munus pro diverſitate genij ſui obire ſolent. Sed & inter eas ſingularem Rex habet venationis Præfectam, quæ deſtinatas ſibi puellas rebus inſtruit venatorijs multa ſanè experientiâ, quæ & falcones coram Rege geſtare ſolent, cum is cùm ſua Herem, ſeu aulâ muliebri, per montes & ſylvas, quas habet amæniſſimas, recreationis causâ oberrat. Habet & Rex eas inter, peritiſſimam armorum Præfectam, puellas ſuas armorum geſtamine inſtruentem, quæ & cum comitatu Herem Regi adeſſe ſolent, cum ſagitis, lanceis, atque ſclopetis; quorum quidem omnium majorem dexteritatem obtinent ab Eunuchis, qui eaſdem rarioribus circa hæc artificijs imbuunt ad majorem Regis delectationem, atque ſolatium. Plures item ex eis ſunt, quæ diverſa muſicalium inſtrumentorum genera, ſicut & canendi ſuaviſſimam callent artem, quæ quidem omnes promiſcuo nomine Regis cantatrices appellantur. His junguntur & peritiſſimæ ſuo in numero ſaltatrices. Cum quibus porrò perſæpè Rex, ſummo cum faſtu atque ſplendore, equitare ſolet ad amæniſſimos montes, campos, hortoſque, ubi & curioſas omnis generis illæ patrare in Regis ſolatium recreationes. Id tempus, quo non ſolùm nullus mortalium maſculini ſexûs, præter Regem cum Eunùchis, recreationi adeſſe auſit, ſed neque ex longinquo,

ginquo, quæ tractantur ſpectare. Unde ubi Rex cum comitatu Herem tantiſper intenderit diſpaciari, duos illico ante vel tres dies, ſupremus Eunuchorum Præfectus illum commonefacit Satrapam, qui Regis Sclopetarijs intendit, ut per hos quantociùs injungat promulgari in civitate Regiam inhibitionem, quam Koruch vocant; quæ quidem hoc modo fieri aſſolet.

Tali, talive die Velinehmet, id eſt, Dominus gratiæ (ſic Regem vocant) cùm ſua Herem mehrem, ſeu cum arcana ſua & familiari domu exibit ad hunc, illumve, quem & nominant, locum: illa igitur die vir quilibet debiti memor timoris atque tremoris, illam obſervare modeſtiam non omittat, quæ talis tantique Regis exitûs tempore requiritur. Illo tunc die ſexus maſculini nemo ſeptem enatus annos comparere audet, ſive in civitate, ſive in vicis aut vijs prope deſtinatum à Rege locum aut itineris viam, ſi etiam per unum milliare diſtent. Illo imò die manè ſummo omnes Perſarum cujuſcunque conditionis viri, qui domos ſuas diſtantes habent, etiam ad unum milliare à via, vel loco, quâ vel quo Rex incedet, illas ſolis mulieribus ſuis deſertas relinquere debent, atque ad alia loca, vel domos amicorum magis diſſitas ſe conferre, ita ut nullus ſub pœna capitis delitere deprehendatur, etiamſi foret primus Regis miniſter; hoc enim crimen læſæ Majeſtatis Suæ à Perſarum Regibus habetur. Tantum porrò ſilentium undique obſervatur, ut terram eſſe deſertam crederes. Sic porrò abſentibus viris omnibus, mulieres juxta ſuam conditionem ſplendidiſſimè ornatæ, in ſuæ curioſitatis gratiam, & Regis honorem, exeunt obviam tali ejuſdem comitatui; cumque Rex cum ſua Herem exceſſerit, omnes promiſcuè Perſarum mulieres, ſummâ cum libertate, ſepoſitoque, quo alias operiuntur velo, hinc atque inde ſolent per totam deambulare urbem, diverſaſq;, patrare lætitias, abſq; eo, quòd videantur, impedianturve, ſive à ſuis, ſive alienis viris, quo-

rum

rum ſub Regis pœnâ maximâ in urbe nullus remanere valet. Unde & dies illa dicitur ijs, dies dominij, felicitatis, ac libertatis mulierum, carceris verò vel exilij potiùs virorum. Ad viam porrò illam, quâ Rex eſt tranſiturus, hinc & inde per totam ſtant ſclopetarij Regis, ad unius diſtantiam milliaris, ſparſim coſtituti, ita ut & illi Regis tranſitum non videant, & alios viros, ne ad eum videndum clam appropient, arcere poſſint: ſunt & ante hos Eunuchi viæ Regiæ propinquiores, qui pariter ſclopetis armati hinc inde circumeunt, tuenturque, ne vel ipſimet ſclopetarij clam viæ appropinquent, & Regem cum comitatu ſuo contueri attentent. Rigoroſiſſima porrò hæc inhibitio, quâ viri ſuis abeſſe domibus tenentur, utcunque durabit à ſummo manè ad uſque dimidium noctis, qua Rex cum ſuis revertitur, accenſis facibus complurimiſque id genus luminaribus, quæ ipſi jam Eunuchi in paratis habere ſolent. Tantum tempus eſt exilij virorum Perſarum, neque civitatem neque domus ſuas inhabitare audentium.

Quod ſi contingat, Regem pro placito ſuo cum hac muliebri aulâ ſuâ longius inſtituere iter, tunc non ſolent equitare mulieres illæ; ſed in ciſtis diversâ materie precioſa adornatis ſuper Camelos devehi ſolent: ita quidem, ut duæ ciſtarum hujuſcemodi uni imponantur Camelo, ex unâ una, alteraque ex parte altera; ſicque cuilibet ciſtæ una inſidens mulier maximam itineris ſortiuntur commoditatem, mutuâque ſocietate colloquentes, horas abbreviant, debitâ ſemper Eunuchorum cuſtodiâ ſtipatæ, qui ſuper equos armati ad latera comitantur eas. Vocantur porrò ciſtæ hæ, ſeu vehicula Perſico idiomate Kegeve, ſuntq; in forma uſitatæ Europæis in terris lecticæ. Aſt hanc præ cæteris maximam itinerandi commoditatem ſolæ Perſarum mulieres ſortiuntur; & quamvis iter hujuſcemodi facere, commodiſſimum eſſet & viris, innata tamen ijſdem generoſitas

igna-

ignaviæ ſibi pudoriq; duceret, alio quam equo iter facere animante. Cum autem infirmi ſunt, æquiori ratione condeſcendunt, & abſque virilis præjudicio generoſitatis Camelorum uti beneficio non verentur. Itineri cæteroquin nedum Regiæ, ſed & Magnatum & Principum mulieres Camelos aſſumere valent, cum illo Kegeve.

Redeundo item ad aulam Regis interiorem Herem, quæ eſt mulierum, paucæ in eâ, pluresve, pro ejuſdem velle, aut nolle, dantur; ſolentque Perſarum Reges quandoq; plures, pauciores iterum alij conſervare. Multitudinem cæteroquin pro faſtu magis, atque excellentiâ ſuâ, quam pro libidinis temperie aſſumunt. Rex porrò modernus quingentas ultra ſibi conduxit; quarum tamen aliquæ, gratiores tantùm præ alijs eidem maritali vinculo junctæ agnoſcuntur uxores, qualicunq; tandem matrimonio ſuo; filijque ab his tantummodo nati regali ſceptro frui poſſunt. Ordo tamen, & inter hos obſervatur. Quævis etenim earundem prior luci filium ediderit, ut Regina habetur, idemque natus paterni jura obtinet Regni; quo porrò vivente nedum ex alijs nati ſpe carent, ſceptrum futuris temporibus adipiſcendi, ſed & ſedulò cuſtoditi, perpetuò detinentur.

Porrò Regina alio frui non poteſt titulo, niſi quod nominetur Chaſe, id eſt, ſpecialis mulier Regis; hoc quidem, cum vitâ ſuperſtes eſt Regis mater, quæ ſola antonomaſticè dicitur Chatun, ſeu Domina: quâ quidem emortuâ Regis uxor Dominæ titulo gaudere poteſt. Regias cæteroquin inter mulieres, nobilitatis, ſanguinis, aut familiæ antiquioris ordo uſque adeo non curatur, præpoſitâ pulchritudine, venuſtate, & comitate morum: ut proinde Regis in aulâ ſit adinvenire promiſcuè, diverſarum conditionum Regionumq; fæminas, Giorgionas maximè, Circhaſas & Armenas. Qualiter & præſentis geni-

genitrix Regis Persa est, vulgaris tamen conditionis; prout & status vilioris est altera ejusdem uxor Chase, Giorgiana: quamvis plures sint etiam Principum, Satraparumq; filiæ, Regiâ in aulà eidem antepositæ. Id, quod Persæ pro dedecore ut sumant, tantum abest; quod singulare sibi refugium capiant, asserentes, nullum honorem nobilitatemq; pensandam in mulierum sexu, quæ non alià de causâ, nisi in Regis solatium sint assumptæ; totam cæterùm pensandam authoritatem in Regni eminentia, cujus porrò comparatione, nulla sit alia quæque nobilitas, sicut nullum est siderum lumen in Solis apparentia.

Hæc ubi de Regis aula muliebri, pio Lectori hactenus disserui, opus & esse censeo, eidem recensere; quonam modo eligantur, atque ad Regis aulam hujuscemodi fœminæ deferantur. Id quod & curiosâ brevitate recensebo.

Quidam porrò Regis Eunuchorum Seniores, qui pluribus annis eadem in aula curam habuâre de mulieribus; quædam item vetularum, quæ de ijsdem longiori jam cura sunt probatiores, à Rege destinantur, mittunturque commisso ijsdem decreto inevitabili, maximoque militum comitatu ad omnes Regni oras, in quibus & hi, mandante Regis edicto severè injungunt universis, Vice-Regibus, Principibus, Ministris, alijsque cujuscunque conditionis sint, Religionisque, etiam plebæis & rusticis, ut, cæteroquin pœnam capitis inevitabiliter incursuri, suas protinùs, si quas ætatis perfectæ habeant, filias, splendidissimè pro statûs sui conditione adornatas, ad conspectum suum adduccant, censuræque pro Regis arbitrio sibi commisso subijciant. Has proinde accurratissimè observant juxta artem peritiamq; suam, quam habent singularissimam in dignoscendis moribus externoque conspectu, unde & interiores virtutes, atque affectus animi autumari sciunt, quibus forsan mulieres, illi seu placere seu displicere valeant Regi. Hoc porrò scrutinium, seu judiciarium

morum examen, per tres dies ſummâ cum ſolertiâ atque attentiſſimi obſervant, ut omnem, utcunque fieri poteſt, in puellis quâ interiorem, quâ exteriorem genium percipiant. Cùm demùm vetulæ illæ omnes, atque Eunuchi dimiſſis cæteris quaſdam meliores unanimiter approbaverint ut idoneas, Regiaque aulâ non indignas, eaſdem porrò retinent, parentibuſque denunciant, aut denunciari faciunt, quatenùs hi nedum ſibi congratulentur, ſed & juges Deo gratias perſolvant, tum & comprimis pro Regis ſui benigniſſimi incolumitate; tum verò & pro gratia ſibi conceſsâ cœlitùs, qua tales procreare potuerint filias, quæ pro Regis ſervitio dignæ ſunt reputatæ, deputatæque. Quamvis non raro harum parentes cordetenus contrarium ſentiant, & magnâ mentis amaritudine ingemiſcant, comprimis, cum Chriſtiani fuerint, condolentes, deploranteſque, quod proles ſuæ modo uſque adeò nefario in miſerabilem atque perpetuam abducantur captivitatem, unde nec videre eas, neque audire de ijs ultra quidquam poſſint.

Hæc autem viſitatio, omni ſanè ratione tyrannica dicenda, poſt decem circiter, quandoque imò poſt quindecim annos juxta Regis libitum fieri, & iterari ſolet, duobus autem vix annis per omnes Regni partes tranſeundo perficitur: quâ etiam viſitatione quandoque vix centum adinveniuntur puellæ, quæ deſtinatorum electorum & electricum arbitrio Regis dignæ gratiâ ſuſcipiantur, tametſi ſanguinis teneritudo toto oriente maximè vigere atque florere credatur in Perſarum fœminis.

Cùm porrò ſic electæ ad Regiam ducuntur Herem, anteq; Regis appareant oculis, per menſes aliquot inſtruuntur, ac diſciplinantur, qua ratione, modoq; primitùs ſeſe ad Regis præſentiam habere, quibuſque eum obſequijs venerari, atque ejuſdem ſeſe ad alloquia, interrogationeſque habere, & reſpondere oporteat: ſimili modo, qualiter, ſe coram Regis Matre, &

ejuſdem

ejuſdem uxore primâ ſiſtere, quo item modo aulicis ſeſe veſtibus induere atque ornare, & denique quomodo in balneis ſeſe habere, dormire, comedere, & cum alijs debeant converſari.

Sic ergò per aliquot menſes inſtructæ, magno tandem cum ſplendore adornatæ ducuntur ad Regis præſentiam; qui & ipſe magno cùm faſtu ac Majeſtate throno ſuo inſidet Regio. Hunc poſteaquam more ſibi præſcripto accedentes fuerint veneratæ, genibus tum flexis oſculantur pedes ejus, atque illico erectæ ordinatim ad illius ſeſe ſiſtunt præſentiam; qui & tempore aliquanto pro libitu ſuo eaſdem coram ſatiùs intuetur, ijſdemque tandem pro Regia munificentiâ ſuâ, precioſiſſima diverſiſſimaque muliebria donat ornamenta, eorundemq; plura & precioſiora quibuſdam, quibuſdam pauciora, juxta animi ſui pondus & amoris inclinationem in illas.

Cæterùm non ſolùm præfato hoc modo puellæ ad Regis conducuntur ſervitium, ſed & extra hæc tempora perſæpe Magnates atque miniſtri majores, & altioris in toto Regno dignitatis, ſuas ſolent Regis ad obſequia ſpecioſiſſimas deferre filias, eaſdemque ſponte propria ſupplices etiam, & magnâ cum devotione, nec minori faſtu adducunt, prout ſupramemoratus Vice Rex Armeniæ fecit.

Harum autem mulierum, ſive quæ primò, ſive quæ ſecundò modo ad Regis ſervitium ducuntur, quaſdam quandoque pro ſuo libitu Rex in uxores dare ſolet quibuſdam Magnatibus ſuis, qui & pro præſtitâ ſibi gratiâ Regem adorant, & has ſibi commiſſas præ alijs uxoribus ſuis ſingulari ſuſpiciunt veneratione atque obſequio. Sunt item eorundem nonnulli, qui ſcrupulis anguntur, verentes acceſſum aut copulam cum ijs, ratique eas eſſe conſecratas eo Regis ſervitio. Has proinde domi uti reliquias atque Deas obſervant, magis, quam tanquam conſortes pro thoro ſibi conceſſas.

Erat porrò ſenex quidam Princeps Perſarum, qui pulchram vel in ſenectute adamaverat ſibi dominam, quam ſubinde in ſuam duxerat uxorem, volens porrò maritali eidem acceſſu commiſceri, ſuamque perſentiſcens à ſenio frigiditatem, multo inde dolore, atque turbatione affligebatur: quam animi ſui amaritudinem cùm poſteris diebus quibuſdam ſuis expoſuiſſet amicis, hi debilitatem ejus non ſenio attribuêre, ſed magnæ Dei gratiæ, qui, ut inſani ominabantur, ſingulariter hoc in caſu dignatus ſit impedire copulam, reſpiciens ejus animi ſinceritatem, & fidelitatem erga Regem ſuum, in cujus olim ſervitio domina illa conſecrata eſſet. Inaudiens hæc ſeniculus ſimplex, gratias deſuper per quam maximas egerat amicis ſuis; ſed & comprimis Deo, hoc ſibi in caſu uſque adeo propitio, jubens illicò largas fieri ſuo nomine pauperibus elemoſynas, immolariq; ſacrificia benigno Numini, cujus arcano conſilio prohibitus eſſet, ne tantum in actum infidelitatis ſuum erga Regem caderet, per intentam commixtionem cum muliere, quæ ſacratiſſimis aliquando Regis fuiſſet conſecrata ſervitijs.

Aſt redeundo ad muliebrem Regis Perſarum aulam, ſciat amicus Lector, majorem in eâ adinveniri luxum atque ſplendorem, quam in aulâ virili, pluriſque illa cæteris paribus conſtat Regi, quam iſthæc. Quotannis namque innumera materiarum pro veſtibus ornamentiſque mulieribus copia ad Regis affertur expenſas ex Europâ, Indiâ, & remotioribus Perſidis locis, ſicut & Turcia, alijſque mundi partibus, à deſtinatis certis quibuſdam Regijs Mercatoribus, qui Gherech jarach nuncupantur, ſcilicet qui neceſſarijs incumbunt rebus, Regis ſervitio, quibus in diſſitas qualque mundi partes mercimoniæ cauſa migrare incumbit, omneque rarum & precioſum ad Regis curiam deferre. Ex his porrò mercatoribus ad Europam non mittuntur, niſi Chriſtiani, videlicet Armeno-Perſæ, quos inter primus

mus ac celeberrimus est ille, qui Venetijs manet, nomine Gregorius Gherac, mihi non solùm à longis annis notus, sed & singulari usque nunc amicitiâ propensus, qui à quindecim jam annis, tantum fideliter, quantum magnificè per Europæam exercet mercaturam sumptuosissimam, cum maximo suo commodo, nec minori Regis sui beneplacito, cujus etiam fratri, totique familiæ ejus ante tres circiter annos me adhuc in Perside, Rex ob præstita sibi ab eo fidelissima servitia multas conferre dignatus est gratias; sed & singulariter jussit scribi litteras salutatorias, & recommendatitias hujus Mercatoris tanquam servi sui fidelissimi ad Serenissimam Venetorum Rempublicam; idque ob quandam litem, quâ præfatus Mercator Gregorius, cum Domino quodam Veneto intricabatur: hoc etenim Rex inaudiens ægrè tulit, asserens mirari se, quod, cum ipse cum suis adeò propensus sit in Christianos Principes eorumque subditos amicus, taliter tamen hi tractare non vereantur fidelissimum servum suum, & in causà quidem, ut relatione constiterat, justâ. Litteræ porrò juxta Regis intentionem expeditæ missæ sunt à primo Ministro ad Reverendissimum P. Franciscum Piscopum Ordinis Prædicatorum, quem sumo venerabantur honore tanquam summi Pontificis Romani Legatum, qui easdem exposito sibi illarum contento, & singulari Regis displicentiâ, requisitus erat, propriâ manu easdem subscribere, tum in majorem satisfactionis spem Regi conciliandam, tum etiam ad faciliorem & securiorem hujus causæ exitum pro præfato Gregorio Mercatore apud Rempublicam Venetam procurandum; quem & in finem missæ sunt à Civitate Gazbin, ubi tunc temporis Rex morabatur, ad Regiam Isfahan, ut pariter & subscribat Venerabilis P. Raphaël Capucinus, sic datæ & subscriptæ literæ, forinsecùs singulari ornamento coopertæ, missæ sunt Venetias, adjuncto uno prædicti Gregorij filio in majorem negotiorum pertra-

ſtandorum ſecuritatem. Hæc porrò occaſionaliter dicta ſunto de Regis Mercatoribus, quorum ſanè mercimonias aula muliebris Perſarum, magis quam virilis defatigat. Per ſpacium enim unius menſis integri, diebus ſingulis novis incedere debent veſtibus, nec niſi finito menſe eandem veſtem repetere poſſunt, quo porrò finito ordinatim uti menſe priori ijſdem induuntur. Die autem Nauruz, quâ Perſarum incipit novus annus, omnia quæ præterito habuêre anno, ſuis donant Eunuchis, ipſæ verò ex Regis munificentiâ novis indumentis, ornamentiſque donantur. Aquâ porrò roſaceâ, alijſque odoriferis unguentis, nedum in balneo, ſed & omni tempore ſe ſe lavant atque inungunt, referuntque familiariùs Eunuchi, habitationes earundem, nedum mira ſuppellectile & ornamentorum varietate reſplendere, ſed & mirâ odoris fragrantiâ ſuaviſſimè redolere.

Pro quotidiano cæteroquin illarum ſervitio, magna ſervatur Eunuchorum copia, quæ numerum ſemper centenarium excedit, quorum quidem plerique nigerrimi ſunt Æthyopes, pauci verò albi: omnes porrò emptitij eſſe debent, & non ex Perſis: eorumque aliqui in aula primo Regis Perſarum caſtrantur, alij verò ex aulis aliorum Principum jam caſtrati adducuntur, Regique à magno Eunuchorum Præfecto coram ſtatuuntur. Hi pariter Eunuchi ſplendidiſſimè incedunt, magnumque ſecum ferunt famulatũ in foro exteriori, prout & ingentibus fruuntur divitijs, quas dono partim à Rege, partim ab ijs mulieribus ſortiuntur, quarum ſunt curatores in duodeno, ut ſupradixi, numero; dempta Regina, alijſque Regis uxoribus & matre, quarum cuique plures in ſervitia ſunt deſtinati ſemper Eunuchi.

Hæc præfata & plura ſimilia, quæ brevitatis causâ omitto, habent luxùs & faſtûs mulieres Regum modernorum Perſarum, ſicuti & ſemper habuêre mulieres Perſarum antiquorum, quod luculenter tam ſacris quam profanis hiſtorijs conſtat.

Cæte-

Cæterùm modernorum mulieres Perſarum, nedum diverſo incedunt, à modo incedendi illarum, quæ erant antiquorum; ſed & cum alijs aliarum nationum mulieribus ſemper differunt in modo veſtiendi, ſeſeque ornatu muliebri comendi; quem ſanè curiosâ omninò ſedulitate affectant præ cæteris Orientis mulieribus. Novi quolibet anno quidpiam ornamenti ſtudent excogitare, maximè circa caput, cujus miris in modis variare ſciunt ornatum; & præterquam quod odoriferis diverſis ſeſe aquis ſive unguentis lavent aut ungant, pulveribus etiam certis, aut coloribus pingere vultum ſolent. Lectori autem genuinum harum mulierum in aulâ Regis degentium modum incedendi exactè adeò, & pro captu deſcribere non poſſum, viſum enim, ut dixi, virorum illæ ſubterfugiunr cautiſſimè. Habui tamen Venuſtiſſimæ cujuſdam, & nobiliſſimæ Originale quoddam penes me, datum mihi in Regia Isfahan, à quodam ejus Eunucho, ſub titulo familiarioris notitiæ, cum magno tamen ſecreti ſigillo, ob præſatam Perſarum Zelotypiam, quâ non ſolum ſuas apparere mulieres non patiuntur, ſed neque publicè in picturis ab alijs videri volunt. Quod ſi etiam pictores mulieres pingant, non tamen ita pingunt, ut certam cum aliquâ determinatâ habeant ſimilitudinem, ſed magis in abſtracto curant exercere artem ſuam, quam genuina ſimilitudine determinatam quamvis mulierem concernere. Sunt tamen mulieres pictrices, quæ ſingulari quadam familiaritate requiſitæ ſive ab ipſiſmet mulieribus, ſive ab earundem viris, aut parentibus exactas juxta artem ſuam exprimunt ſimilitudines. Qua etiam ratione pictam illam ſortitus ſum cujuſdam imaginem, in illius memoriam ab Eunucho mihi communicatam, & ob ſingulariorem familiaritatem, quam habueram olim cum Parente ejus, cum ſupremus aulæ Regiæ præfectus eſſet, vir arte pariter liberali ac militari inclytus, & Chriſtianis deditiſſimus, nunc verò defunctus.

Effi-

Effigies porrò Domicellæ memoratæ picta erat ſuper atramentario quodam, cujuſmodi generis atramentaria Perſæ pro more ſuo, curioſitate, modoque ſingulari elaborant. Obtuleram curioſitatis gratiâ atramentarium unâ cum exiguo hocce opuſculo meo Auguſtiſſimæ Domicellarum omnium Dominæ Imperatrici, feliciſſimè Imperantis Leopoldi Clementiſſimi, Invictiſſimique Cæſaris Conjugi, ELEONORÆ THERESIÆ MAGDALENÆ, quam Deus in Longæva tempora, cum Auguſtiſſimo Conſorte ſuo, Domino meo Clementiſſimo, pro votis omnium optatiſſimè vivere concedat.

Quoad ornamenta porrò, gerunt ad pectus precioſiſſimos uniones, ac rubinos, & adamantes, aut alterius ſpeciei æſtimatiſſimos, ſicuti & his Perſis abundat, lapides; quos & à pectore adusque cingulum ita ordinatè diſponunt, ut veluti globuli aut noduli togam referantes appareant. Brachialia item, monilia, & murænulas aureas & precioſas gerunt: capillorumque in vertice cincinnos gratioſo modo inflectunt. Virgines verò ſingulariter, omiſſo ornatu reliquo caput corona precioſa cingere ſolent, ut unionũ gemarumq; fulgor ſtellarũ jubar adæmuletur. Hæc ſunt, quæ pro brevitate de mulierum inceſſu, amico exponere potui, & volui Lectori.

Articulus XVII.

De Regum Perſarum theſauro, eorumq; divitijs, luxu, pompa & Majeſtate.

POlitici theſaurum æſtimant, quandam bonorum congregationem in cujuſdam poteſtate conſitam, ſive per induſtriam, ſive per fortunam. Et vero dubitare quis auſit, quin Perſarum Reges præ cæteris theſauro gaudeant ingentiſſimo. Etenim gens iſthæc inclyta præ omnibus Orientis gentibus,

tibus, celebrioris ſemper erat induſtriæ atque fortunæ, unde nulla falli Lector fide poterit, ſi ditiſſimam omninò eandem crediderit: quippe quod antiquiſſimâ, opibuſque totius Orientis abundantiſſima Perſarum, ſicut & opulentiſſimâ Saracenorum, ſeu Arabum gentibus feliciter debellatis, Neo-Perſica gens armorum victoriâ bonorumque recuperatione incomparabilium ſibi divitiarum cumulum aggregârit. De his vel potiſſimum temporibus cogitemus, quæ à regimine primi illius Habas adusque regimen Solimani præſentis omni fermè bellorum immunitate, & continuâ quaſi pacis tranquillitate, aut certò fælici ſemper adversùm hoſtes triumpho trãſacta connumerantur. Etenim quid eſt ærugo Regia etiam opulentiſſima auro argentoq; abſumens æraria, niſi ipſimet ſplendidi per conflictus acinaces, qui niſi inimicorum ſanguine tingantur victorioſi, ignominiam ſibi cæteroquin, & ruinam patriæ adſciſcunt. Ubi milites pro patria præliantes adverſo marte terram mordere coguntur, ipſa occiſorum capita tineas agunt,& patriam in pulveres abſumunt. Annè bellorum tempore, &, quod pejus eſt, expugnato hinc inde Regno, Regum æraria feriabuntur? Laborant utique, ſed eo labore, qui infirmitatem ſonat. Feliciter porrò per pacem, aut victoriam laborare multis jam contigit temporibus Perſarum æraria Regum, unde omnis aulæ ſplendor, nulla non Regis Majeſtas, & univerſitas demum theſaurorum non potuit non evenire. Ego Lectoris curioſitati vel in modico ſatisfacturus particularia quædam paucula ſubjungam.

Triplex igitur eſt modernorum Perſidis Regum theſaurus. Primus quidem arcanior ſingulariorque in maximo quodam Aulæ Regiæ conclavi, quod quatuor clauditur oſtijs, aureo, argenteo, æreo, demumque ferreo: cujus porrò claves theſauri, Rex ipſemet ſollicitus aſſervat, nulli alteri unquam concredens. In hoc igitur omnia diverſiſſimarum antiquitatum precioſiſſi-

ma, gratiosissimaque reconduntur in cistulis, capsulisvè ferreis singula singillatim reclusa; ubi & quædam reperiuntur reliquiæ ipsorum, imò etiam ut eorum nonnulli credunt, quædam sacratæ Christianorum reliquiæ. Sed & ibi Rex, ut ij tradunt, asservat quandam Christi vestem, quæ nonnullis creditur esse illa inconsutilis, sed absque fundamento: prout & ego Lectori eorum tantum, qui credunt, sentire refero, ut quidpiam autem veritatis non assero.

Secundus Regis thesaurus quatuor amplissimis conclavibus custoditur, divisis quidem inter se per validissimos muros, & ostia, quâ aurea, quâ ferrea. Primò quidem in conclavi sunt preciosissima Regis arma, cæteraque indumenta, & universi corporis ornamenta. In Secundò arma, indumenta, & ornamenta Ephæborum atque Eunuchorum Regali tantùm servitio addictorum. Tertiò in conclavi preciosissima ephippia, & universi generis ornamenta equorum, qui Regis sunt, ac Ephæborum Eunuchorumq; ejus. Quartò denique in conclavi diversissimi est generis suppellex preciosissima aulæ omniumque palaciorum Regis.

Hujus porrò thesauri securitas,cujusdam prægrandis Regni Principis fidelitati committitur, qui subinde Nazir vocatur, id est oculatus; quippe sedulæ circumspectioni obligatus circa dicta Regis bona, atque thesauros incomparabiles: de quo alibi dictum est.

Tertius thesaurus Regis Numorum est indicibilis, cujus custodia Eunuchi cujusdam nigri committitur fidei. Et hoc quidem, ut ipsi sentiunt, singulariter ex duplici ratione. Primò, quòd Eunuchorum fides censeatur incomparabilis, ut vel inde honor & pudicitia mulierum ijsdem commendetur, quarum observatio magis Regem, atque pecunia premit. Qui ergo Regis, suarumque sunt custodes honoris, quod primarium est; non uti-

utique indecenter aut incongruè custodes etiam divitiarum designantur, quæ consequuntur tantummodo ad Regis honorem, & Majestatem. Secundo, quod ipsi, utpotè Eunuchi, carnis non ita subjacentes imperio, subinde ob lasciviæ libertatem, commoditatemque prolium, aut sustentationem uxorum, in aviditatis & avaritiæ se se detrudi non patiantur captivitatem, ut vel ideo Regios aggressuri thesauros debeant, possintvè timeri. His proinde Regis thesaurarius Eunuchus, dum vivit, pro libitu suo circa omnia, quibus fruitur, bona disponere potest, nihil tamen testamento cuiquam legare potest, quod ei post mortem obtingeret: omnia etenim Regis bona fiunt. Sed & Thesaurarius iste in vita eo gaudet honore, quo cæteri in curia Persarum Principes, non tamen, ut Satrapæ. Vocatur autem Sahib Chezanei hamire: id est, Dominus thesauri Regis. Sub ejus porrò manibus & computu cadunt omnes ex universo Regno provenientes Regis redditus; prout & expensæ Regiæ ipsius executioni substant universæ. Non absimilis est denique muneris, atque in aulis Christianorum Principum esse solent Præsides Camerarum. Et dempto, quod collegium unum pro studiosis erexerit, cætera sat avidè in Regis conservat obsequium, atque emolumentum. Sortitus est ætate annos nonaginta, nomenq; illi proprium est Aga Chafur, id est, Acacia, quæ est candida sicut nix, suavissimum, sed acutissimum habet odorem, & ea Machumetani defunctis utuntur ipsorum, dum sepeliunt eos, ponentes ad nares, & aures illorum cum bombace, hac intentione, nè dæmon illis noceat; & colligitur ex quibusdã arboribus, quæ Persicè Kafur vocantur, quæ maximè crescunt in Perside in districtu cujusdam oppidi dicti pariter Kafur, ex frequentia illarum, quod est cis Civitatem Sciraz versùs sinum Persicum, & Lar. Vocant igitur illum nigerrimum Æthiopem hujus candidissimi floris nomine Persæ juxta morem ipsorum.

Sed & precioſorum lapidum nominibus eos appellare ſolent. Unde Perſis nonnullus Eunuchorum dicitur, Aga Almaz: id eſt, Dñs Adamas. Quidam Aga Jacut: id eſt, Dñs Rubinus, Alius Aga Zumrut; Dominus Smaragdus, &c. Sed & nominibus compellantur ſuaveolentium florum; ut Aga Sumbul, Dominus Hyacinthus; Aga Suſen, Dominus Lilium: item Aga Amber, ſeu Dominus Ambra; aut Aga Balaſan, Dominus Balſamus. Quibus & ſimilibus, quemadmodum dixi, Perſæ Eunuchis ſingularẽ complacentiam, eorumq; in Regem fidelitatem, aliarumque virtutum proprietates ijs inditas phraſi ſuâ canere volunt.

Accedit tribus his, alius Regis theſaurus; non, ut illi, in aula Regia, ſed in civitatis Isfahan arce collocatus, & ingenti quodam palacio comprehenſus. Ubi quidem tot diverſa, curioſa & pretioſa armorum genera, Europæarum etiam, aliarumque quarumcunque nationum manibus confecta, ijſque pro more aliàs uſitata, ſunt repoſita; ut ex his vice ſubitâ ducentûm militum millia juxta Regis obſequium valeant muniri. Hunc porrò locum ad viſendum, ego cùm Venerabili Patre Raphaële Cappucino, cum ſpeciali & gratioſo loci Præſidis cõſenſu (quem ob eximias animi virtutes, & ſingularem erga Chriſti fideles devotionem Machometanum vix nominâro) ſemel ſubintravi, & poſtquam ſedulâ oculorum & veloci luſtratione duas conſumpſiſſemus horas, dictum nobis erat, quartam nos neque partem omnium inibi contentorum vidiſſe.

Sed & pro maximo apud Perſas theſauro habetur Bibliotheca Regis; prouti & reverâ habenda eſt: utpote tam ingens, ut tractum quinque ingentium conclavium occupet; diverſiſſimiſq voluminibus, & manuſcriptis vetuſtiſſimis, omnium Orientis nationum; comprimis hebræorum, inter quæ fors inveniri poſſet ſcriptura ſacra Eſdræ Sacerdotis. Scatet item volumi-

lumi-

luminibus Chaldæorum, Syrorum, & Ægyptiorum: Arabum verò innumera ferè ſunt omnium authorum, in diverſis artibus & ſcientijs celeberrimorum. Græcorum pariter, Armenorum, Indorum, Scytharum, Turcarum, & Perſarum antiquorum in vetuſto caractere; modernorum vero in novo & moderno, infinitus penè eſt numerus. Auget horum precium, diverſa, atque ornatiſſima, prouti more ſuo facere ſolent, librorum compactura. Tametſi autem theſaurus hicce, uti & cæteri, omni viſu, laude, atque memoriâ digniſſimi & ab ipſiſmet Perſis habeantur; neſcio tamen, quanam occultâ ratione, & rigidiſſimo zelo, neque ſuos, neque præcipuè advenas, quorum ora etiam tanti operis laudem in terris exteris deprædicare poſſent, curioſiſſima hæc omnia, juxta & precioſiſſima videre non permittant, contra rationabilem Europæorum morem, qui vel advenis gratificaturi, quæ rariùs cæteroquin viſenda ſunt, abſente periculo, humaniter exhibent viſenda.

Unde ad hanc Regis Bibliothecã rariſſimus & difficillimus habetur acceſſus, etiam à Perſarum Magnatibus, qui non niſi vel de ſpeciali Regis gratiâ, vel de cautiori Primi Miniſtri permiſſione ingrediuntur. Qua ſecunda permiſſione magna cum mea ſatisfactione habui ego ingreſum ad eam.

Denique & Majeſtatem ſuam, divitias, & omnem gloriæ luxum in alijs demonſtrant Perſarum Reges, unde non niſi theſauros indicibiles conjecturare licet. Primò quidem in maximâ Eunuchorum Ephæborumque copiâ. Secundò in multitudine atque diverſitate officiorum, quibus ad Regiæ magnificentiæ oſtentationem diverſi funguntur ſervi, quorum ſeriem paululum faveat recenſere. Primus igitur vocatur Mehder, id eſt, ille, cujus eſt Regem induere, atquè exuere, excepto Tulbanto, quod alterius eſt, qui ſubinde officio ſecundò fungitur, dictus Mendil Corciſi, ſeu cuſtos Tulbanti Regij. Ter-

tius eſt Kilic-Corciſi, cuſtos Regis acinacis. Quartus Chenger-Corciſi, cuſtos Regis cultri, ſive pugionis quem ſemper preciosiſſimè ornatum ad cingulum Rex geſtat. Quintus Chemen-Corciſi, cuſtos arcûs Regij. Sextus Sadak-Corciſi, cuſtos Regis Turcaſci, ſeu melius Tircaſci: quod Perſarum eſt vocabulum, qui id pronunciant ad ſignificandum illud, quo jacula reconduntur. Septimus eſt Gida-Corciſi, ſeu cuſtos Regis haſtæ. Octavus Calcan-Corciſi, cuſtos Regis clypei. Nonus Gheim-Corciſi, cuſtos toracis Regis Bellicæ. Decimus Pehle-Corciſi, cuſtos chirotecarum Regis. Undecimus Cekme-Corciſi cuſtos ocrearum Regis. Duodecimus Baſcmaccorciſi, cuſtos calceorum Regis. Decimustertius Giam-Corciſci, cuſtos poculi itinerarij, quo Rex vinum vel aquam in itinere libare ſolet. Decimuſquartus Hazier-Corciſi, cuſtos Ephippij equi Regij. Decimuſquintus Gilau-Corciſi, equi Regij habenarum cuſtos. Qui porrò ſub pænâ capitis Univerſi omni ſedulitate ſuis fungi officijs tenentur. Omnium verò principaliſſimus, & loco, & authoritate, eſt Mohurdar, ſeu, qui Regis habet ſigillum.

Sunt porrò & altioris conditionis Miniſtri, quos inter primus cenſetur Sohbet Jaſauli, iſt eſt, Regis Menſæ Præſes inſpector, qui aureo nixus baculo attendere debet, ne indecentis quidpiam in Regis mensâ ſuccedat. Secundus Scerbet Darbaſci, qui omnia Sciurbet, gratos nempe ſalutiferoſque liquores, ac omnis generis confectionum, & dulcium poculentorum varietatem ſub curâ & diſpenſatione pro Rege obtinet. Tertius Scireci Baſci, cujus eſt diligenti curâ providere, & curare de vinis menſæ Regis, quæ & in vaſis vitreis ſedulo conſervari procurat. Quartus Cinigi Baſci, qui ſcilicet omnia porcellanea menſæ Regiæ vaſa, quæ quaſi innumera ſunt, curâ tenet; ad diſcrimen quinti, qui aurea atque argentea vaſa menſalia,

lia, quæ quidem triginta millia creduntur, ſub cuſtodia habet. Sextus Haucidar Baſci, cuſtodiens omnia aromata odorifera & quæ ad ciborum Regiæ menſæ condimenta ſpectant. Septimus Sufraci Baſci, cuſtodiens cætera, quæ ad ornatum & complementum ſunt menſæ Regiæ, cui & concredita ſunt vaſa univerſa cætera tam ærea, quam ſtannea. Octavus, Ceſc-Nighir Baſci, cujus eſt omnes cibos, aliaque omnia, antequam Regis apponantur menſæ, delibare, pro Majeſtatis ſecuritate, cui nedum omnis veneni, ſed & indebiti cujuſcunque condimenti vel cibi periculum abſit.

His accedunt diverſa Satraparum, atque Principum miniſteria, quorum in Articulum ſubſequentem differo narrationem. Unum adhuc pro lectoris curioſitate in hujus Articuli coronidem annectens.

Inter alia denique ſpecimina faſtûs & luxûs Perſarum Regis, id quoque connumerandum eſt, quod die qualibet novis uti ſoleat indumentis, à capite quidem uſque ad calcem, ita, ut his, quibus ſemel fuerit indutus, aliâ non reinduatur vice, ſed ea pro ſingulari gratiâ Principibus ſuis donet, qui ut reliquias obſervant, tanquam à Rege ſuo, quem ſanctum habent: nec niſi in ſolennitatibus majoribus in honorem Regis ijſdem induti comparent. Ex hujuſcemodi porrò veſtibus Regijs, cùm chlamyde argentea & Tulbant mihi à Rege pro ſingulariſſimâ gratiâ collatam, cum quâ & in obſequium Auguſtiſſimi Imperatoris nonnunquã inceſſi, habeo, & in memoriã largitoris,ſedulus aſſervo. Quælibet porrò quotidiana veſtium Regalium mutatio ad minùs mille imperialibus comparatur; cujus quidem tanti precij expenſas ſortitur ærarium Regis tantum ex annuâ contributione, quam deferre debent ſolius civitatis Regiæ Isfahan meretrices, quæ quidem in libro tributario Regis ultra viginti millia ut plurimùm notatæ inveniuntur. Sentiunt

unt verò Persæ, hanc à meretricibus exactionem justâ ratione pro Rege fieri. Peccunia enim (inquiunt) est, & precium honoris illarum, quem pro illo vendunt alienis: unde decet, ut peccunia honoraria sic injustè accepta, usu justo applicetur in Regis honorem, & decentem vestium luxum persolvat indecens mulierum luxuria. Sed de his satis.

Articulus XVIII.

De Satrapis, Principibus, atque Inclytis Persarum, Parthorum, & Medorum, nec non de eorum officijs, modoq; exercendi illa.

Aliqualem me horũ tradidisse notitiam, legeris amice in articulo hujus mei opusculi 2. Ast exactiorem in præsenti aggredior.

Igitur & Persarum Politici veram hominis nobilitatem, nobilitatem, non tantum in parentum sanguine vel meritis consistere sentiunt, sed à personalibus individui virtutibus comprimis dimetiuntur. Neque (inquiunt) sufficit, nobilitatem antecedere hominem, puta in parentibus, sed magis sequatur eum, oportet, nempè per propria merita.

Sic porrò Persæ nobilitatem suam singulariter in duas dividunt classes. Prima quidem eorum est, qui suis defendunt, evehuntque Patriam armis, quorum nempè primus Rex ipse est, tum verò & cæteri de gente Ghizilbase supramemorata. Secunda illorum est, qui Patriæ calamo, doctrinaque & consilijs adstipulantur; quorum primi censentur duo loco citato memorati Pontifices, tum verò & ordine reliqui omnes in Gente Tat comprehensi. Porrò circa Primatem primæ classis nobilitatis Persicæ, Regem nempe, quæ diximus, satis superque pro

meâ

meâ brevitatis intentione dicta ſunto. Jam verò & de reliquis hac in claſſe exactiorem notitiam capeſſat Lector amicus.

Primus ergo primâ in claſſe nobilitatis eſt, Hedima Dolue, qui nomen hoc ſortitur, quod in eo collocetur Regiæ proſperitatis ſecuritas, fidelitaſq; eidem juratiſſima. Tam operoſo autem, & laudabiliſſimo titulo (quod utcunque quilibet Regis Miniſter facit) uſque adeo fidelitate, & generoſitate ſuâ correſpondere ſatagit modernus Hedima Dolue, ut nullius non famam, maximamque omnium poſt ſe trahat æſtimationem. Qui quidem proprio nomine Sciech AeilChan vocatur, vir non ſolùm omni præditus prudentiâ, ſagacitate, atque humanitate, ſed & omni temporum atque divitiarum felicitate donatus, anuum agens circiter ætatis octuageſimum.

Hic igitur inter cæteros primo fruitur nobilitatis honore atque officio, gaudetque tribus virilis ætatis, grandiſque dignitatis liberis, quorum natu major quartus eſt Regis ſatrapa; minor Vice Rex Caramaniæ, minimus denique præclaris dotibus dives Patris æmulatur dexteritatem, ut & illius ſuo particeps evadat tempore fortunæ. Tametſi verò maximus hic: graviſſimuſque vir Hedimâ Dolue, proh dolor, levibus, inanibuſque Machometi dogmatibus & nugis omninò deditus ſit, tamen, quo laude æquiſſimâ gaudet, illud eſt præ cæteris, quod Zeloſiſſimus ſit juſtitiæ amator, pauperumque protector, ita ut Perſæ eum vocare ſoleant Medar hiran, videlicet, ſubſidium, ſeu refugium Perſidis. Eſt vir cæteroquin valde ſobrius, & pudicus, unâ contentus uxore, maximopere item fugiens convivia, & crapularum oſor. Vinum neque bibit, neque cujus ſaporis ſit, novit. Sciurbet, alioſque precioſos liquores, quibus Perſæ delectari ſolent, nullatenus guſtat, ſolam tantummodo aquam libans. Tabaco, quod ore per fiſtulam hauritur, & cahuc, atque alijs, quæ à Perſis recreationis, &

 con-

consuetudinis causâ sumuntur, abstinet: omneque demum recreationi & carnali oblectamento suffuratur tempus & occasionem, ut magis, meliusque curis ac negotijs sibi incumbentibus, & Regem concernentibus, vacare queat. Qua etiam ratione ejusdem vigilantiæ atque sedulitati maxima ingentis thesauri ærario Regio comparati prosperitas, multo cum laudis fœnore adscribitur. Est enim tanti viri fidelitati atque zelo, omnis Regis & Regni commissa prosperitas, tantaq; authoritas, ut omnia, quæ in Regis Curiâ proponuntur & expediuntur, eo mediante Ministro fiant, cumque decreta quædam Regis muniuntur sigillo, ejus quoque subscriptione in fine muniri debent, hoc modo;

Bendei derghah hali il halia Hedima Dolue Sceich Ali.

Id est:

Cliens, & Captivus portæ illius, qui omnium sublimium sublimis est (scilicet Regis) securitas, aut fidelitas prosperitatis, Sciech Ali. Omisso titulo Chan, quod significat Principem, illique alias jure debetur. In his enim decretis ob debitam modestiam & reverentiam non ponitur, sed fidelissima tantùm in Regem servitus indicatur.

Est autem hic tantorum vir consiliorum, proindeq; & æstimationis apud Regem, ut solùs ipse consilio eundem impedire valuerit, ne arma suscipiat adversum Othomannos, cum cæteroquin Satrapæ omnes, atque Principes uno voto bellum suasissent in eundem, eo tempore, quo Turca cum Polonis bella gessisset. Porrò Sceich Ali duo hæc industriè Regi ponebat, & ratione deducebat obstacula. Primò Sarmatorum dissensionem esse formidabilem, quippe illi Genti planè familiarem; Secundò ad arma suscipienda grandis requiri momenti rationes

nes & caufas, uti & negotij pertractandi melior, quæ poffibilis, oportunitas atque occafio: unde fperaret præfenti meliorem, juftiorem, aptioremq; rationem capeffendi arma obviam fore, fi Rex ad utrumq; experiendum uno faltem anno ceptis adhuc fuperfedeat, & tum adversùs hoftem perpetuum commodius bella gerere valeat. Perfuafit viri authoritas armorum quietem Regi, contra omnium confilia: dum verò expectaretur anni decurfus, hoc non completo pax Polonorum cum Turcis audita eft, neque confultum jam arbitrati funt univerfim Perfæ, bella cogitata exequi.

Hic pariter vir laudatiffimus, plura colloquia, quæ in conclavi unâ cum bonæ memoriæ R. P. Pifcopo Ord. Præd. amicabiliter mifcuit, mihi patefecit uti melius in fuo referam loco. Lubenti quoque animo vir memoratus difcurfum capit de fidei rebus, quamvis de his ipfe non ita verba facere amet, fed magis avidus fit audiendi, quippe quod doctrina & experientia fua politicis magis in artibus, ac Theologicis verfata fit. In hujus item præfentiâ, illa à me feriò habita de Chrifti Domini Divinitate, & falfitate Machometi decertatio cum Regis Concionatore tranfacta eft. Sed & ipfe Sciech Ali perfæpè mihi condoluerat, afferens amicabiliter, permultum mifereri fe mei, quod fide Chrifti affumptâ non tantùm fui demerear gratiam Regis, quæ alias fingulariffima erga me foret, fed & falute periclitatus à Deo recedam. Cùm Porrò mihi talibus hic Machometi affecla condoluiffet, ego pari eidem compaffione condolui, eidemque omni humanitate fatisfacturus verba fimilia in eundem pariter detorfi. Hæc verò de Hedima Dolue fatis.

Sex autem iftum fequuntur Satrapæ, qui omnes uno quidem communi vocantur nomine Hercan Doluet, quafi prima principia, & fundamenta profperitatis Regis. Sed diverfis etiam finguli compellantur nominibus, juxta officiorum diverfitatem.

Primus ergo horum post Hedima Dolue Satraparum, Corcibasci vocatur, id est, Regis custodum caput. Sunt enim aliqui milites, qui Corci, seu custodes vocantur, de quibus alijsque militibus articulo sequenti. Atque hi milites curæ subjacent, imperioque primi Satrapæ mox nominati, qui & abinde eorum caput dicitur. Vocaturque modernus proprio nomine Kelb Ali Sultan, agens quinquagesimum circiter ætatis annum, ex antiquissima Persarum oriundus familia; vir pariter valde sobrius, humanus, nec usque adeò Machometicæ deditus superstitioni, quo minus saniori adhærere mavelit rationi. Secundus vocatur Gular Agasi, id est, Dominus seu Administrator captivorum Regis; sub cujus imperio omnes sunt milites, qui Gul vocantur. Moderno nomen proprium est, Mansur Chan; estque vir nobilissimæ progeniei Giorgianæ, in anno ætatis circiter septuagesimo; qui porrò præter generositatem animi sui, fidem legemq; Machometanam non tantum, quam Bachum, Martemque sequitur.

Tertius est Tufenkci Agasi, scilicet Dominus Sclopetariorum Regis, Giorgianus equidem origine; qui, sicut & præcedens Mansur Chan in pueritiâ coactus fuit Christo negare fidem. Vocabatur autem hic Tufenckci Agasi nomine proprio Keuchosrou, idem ac, generosus Chosroës (quem, ante aliquos annos præsens Solimannus vino occupatus injustissimè capite plecti jussit) alias ipsi dilectissimus; ætate in quadragesimo, justus cæteroquin, & religionis in pueritiâ amissæ adhuc magnus amator; maximus econtra Scytharum terror, ob singulares, quibus persæpè adversum eos triumpharat, victorias. Quartus est Mirschicher, nempè Princeps venationis Regis, qui & omnis venationum generis curam habet, cum omnibus hoc recreationis genus appertinentibus, & hunc in finem Regi deservientibus; de quibus in Articulo de recreationibus plura. Proprium

prium autem hujus Satrapæ nomen eſt, Habas Culibech; filius eſt jam præfati primi Miniſtri, mihiq; cæteroquin familiaris, parenti tamen valde diſſimilis circa ſuperſtitiones Machometanas, quas uſque adeo non ſectatur; excellentis autem nominis, ab excellentiâ venatoriæ artis, & ſagittarum peritiâ, inter Perſas habetur. Quintus eſt Mir-Achur, id eſt, Princeps ſtabuli Regis, in cujus providentiâ omnes ſunt Regis equi, tum qui in Regia, tum qui in toto ſunt regno, in multitudine maxima. Vocatur nomine proprio Firudinchan, eſtque frater Germanus præfati primi Miniſtri, natu minor, cujus & qualitates atque virtutes æmulo ſtudio proſequitur. Ultimus vocatur Divanbecghi, ſcilicet Princeps tribunalis Regis, qui ejus vices gerit circa juſtitiam, quæ Regem ſpectat: unde ſupplicationes, quæ Regi fiunt, huic Miniſtro traduntur, qui poſtea cum primo Miniſtro & Rege confert, quorum & dein ſancita exequitur, ſuoque ſigillo judiciaria decreta munit, cum hac tamen v. g. ſubſcriptione.

Bendi dercha ſephiculi:

Id eſt:

Servus Portæ ſephiculi: quod eſt illius nomen proprium, & ſine alio titulo ponitur, ad diſcrimen primi Miniſtri, qui cum aliquo titulo ſubſcribit, ut ſupradictum. Cum porrò hic judicij Princeps æquitatis adminiſtratione ſuo defuerit officio, ad primum Miniſtrum patebit partibus appellatio, & ſi hic defuerit, etiam ad ipſummet Regem licebit.

His porrò ſex Satrapis ſubjungitur aulæ Præfectus, qui Heſcigh Agiſi vocatur. Vir pulcher & elegans aſpectu, qui nunc eſt; melior inſuper operibus, quibus multùm proſequitur & fovet Chriſti fideles, eorumq; magno cum zelo cauſas agit. Proprio vocatur nomine Zeinel-Chan, ſuamque originem ex anti-

quiſſima Armenorum ducit familia: cujus & figura videre eſt in Cehil Sutun, ubi in parte theatri dextra cum aureo baculo collocatur.

Sequuntur dein quatuor Principes, ſive immediati Regis Miniſtri. Primus eſt Nazir, ſecundus Caznadar, tertius Mohurdar, de quibus ſuis jam locis dictum. De quarto parumper loqui faveat, qui eſt Vachihe nivis, ſcilicet caſuum ſcriptor. Eſt autem hujus officium, non ſolùm caſus, qui in aula, totaque ſuccedunt Perſide ſcribere; ſed & elegantes componere epiſtolas, quas Perſarum Rex amicitiæ titulo alijs delegat Principibus, & Regibus, aut Mundi Monarchis. Præſens proprio vocatur nomine Mirze Mehemed Huſen, vir profectò valde affabilis, mitis, totaliter morali deditus Philoſophiæ, habitus à Perſis pro facundiæ & eloquentiæ oraculo inſigniori. De litteris porrò Pontificis, quas Reverendiſſimus P Piſcopus Ordinis Præd. detulit, mihi ſub ſecreti ſigilloPrinceps hic indicavit ſcriptotenùs, ſimiles nunquam prodijſſe ex Perſarum curia ante hac, tum quoad elegantiam, tum quoad extraordinarios titulos, quibus, ut inquiebat, extra ſphæram Machometaniſmi ſummopere exaltatus ſit à Rege Pontifex Romanorum.

Sequuntur hos Vice-Reges, quos Beghler Beghi vocant; id eſt, Principum Principes, qui univerſim in tota Perſarum Monarchia 16. ſunt. Quatuor in Herach majori, quæ & Hircania dicitur apud quoſdam, ſive in Perſide, uti Perſæ ipſimet volunt. Primus Beghler Beghi Ardavel. Secundus Lar & Cyropolis. Tertius Kirman ſive Caramaniæ. Quartus in Candahar versùs Indos. Rurſum duo in Parthia. Primus Herat versùs Scythas. Secundus Meſced. Duo quoque in Chilan versùs mare Caſpium. Primus Mazandaran. Secundus Aſdarabat. Duo pariter in Media. Primus Taurez. Secundus Ciors. In Chaldæa item versùs Babylonem duo. Primus Loriſtan. Secundus Hamadan.

dan. Tres verò in Armenia majori. Primus Erevan. Secundus Sciamachi. Tertius Chenge; quæ Provinciæ ad Armeniam ſpectare cenſentur. Unus etiam in Giorgia Tifliz. Horum autem conditionis diſcrimen in multitudine aut paucitate tubarum cernitur, quas Charana vocant, & ſonum valde horridum emittunt, ut neſcio, in qua diſtantia loci audiantur, ſuntque dupliciter, etiam tripliciter novellæ majores in mole tubis Europæ, ad ciendum tamen in campo Martem alacriorem aptiſſimæ. Sed væ ſufflanti eas de vitæ brevitate. Horum ergo Vice-Regum quidam ſeptem tubas habet, quidā octo, alius novem, uſque duodecim, & non ultra, qui verò duodecim charana habent, ſex ſunt. Primus Beghler Beghi majoris Armeniæ, qui ad confinia Turcarum reſidet, in civitate Erevan. Secundus, qui tuetur terras Indis confines, in civitate Candahar. Tertius, qui in confinibus Scytharum reſidet, in civitate Herat. Quartus, qui incurſiones Arabum & Saracenorum prohibet in Loriſtan, quæ eſt in Chaldæa, cujus tamen reſidentia propria eſt antiqua illa Perſarum Regia Suſan, uti in articulo de civitatibus Perſarum dicetur, modo quidem deſtructa, & non amplius illius, ut olim decoris. Quintus, qui in Medorum Metropoli Taurez reſidet, & vigilat adversùm incurſiones Curdorum, aliorumque populorum, qui ſunt in Meſopotamia. Sextus tandem qui tuetur confinia Moſcovitarum, Calamucorum, Tartarorum, Circaſorum, aliorumque populorum, qui Caucaſum in- & circumcolunt monte, matq; ad maris littora Caſpij habitant. Hic verò reſidet in civitate Sciamachi, cui quaſi ſubjungitur Vice-Rex Giorgianorum Tifliz, qui Regnum defendit ex Maris Nigri parte à Turcarum, & aliorum incurſione.

His ſexdecim plures quoque ſubjacent Duces, quos ſimpliciter Chan vocant, & non Beghler Beghi, qui tametſi tubas habere auſint, quatuor, quinque, vel ſex, minimè tamen plures.

Sequ-

Sequuntur tum Principes, quos Sultan vocant, qui in aulis ſuis Charana ſeu tubas habere omninò non audent, ſed ſola tympana & buccinas.

Poſt hos ſunt Chiliarchi, quos Minbaſci vocant: Centuriones, quos vocant Juzbaſci. Pariter & ſequuntur eos nobiles Regis Captivi, ſive mancipia aut ſervi, qui Sciah guli vocantur.

Tandem ſunt milites, qui dicuntur cuſtodes Regni, ſcilicet Corci. Qui omnes juxta conditionem ſuam nec Charana nec tympana, nec alia dominij inſtrumenta aut inſignia habere ſolent.

Porrò unuſquiſque ex illis ſexdecim Beghler beghi, id eſt, Principum Principibus, ſeu vice Regibus, juxta conditionem ſuam, plures, aut pauciores ex Chan, Sultan, Minbaſci, Juzbaſci, Sciah guli, & Corci, ſub ſua habet juriſdictione; ita quidem, ut illi, qui talibus fruuntur officijs & beneficijs, in diſtrictu in quo ipſe eſt Beghler beghi, ſuâ huic authoritate ſubjaceant, eumque, poſt Regem, ut immediatum agnoſcere teneantur ſuperiorem, & in bello ſub illius auſpicijs & inſignibus arma gerere. Hæc de his, qui in primâ ſunt nobilitatis claſſe.

De his vero, qui in claſſe ſecundâ ſunt, qui nimirum Patriæ Doctrina calamoq; inſerviunt, & ſunt de gente Tat, ex dictis patebit pariter & dicendis. Unum dicere ſingillatim neceſſe arbitror; videlicet, de duobus Perſarum Pontificibus, atque judicibus eorum Eccleſiaſticis, quorum authoritas & bona, quibus fruuntur in Regno, non à merâ Regis voluntate, illiuſque liberâ pendent electione, ſed gaudent ijs per jus & ſucceſſionem quodammodo. Cæteri verò, & pleriq; illorum, cujuſcunque conditionis ſint, authoritatem, officia, & bona ſua non jure ſucceſſionis, & hæreditario, ſed ſola Regis authoritate obtinent. Porrò, tam qui per ſucceſſionem privilegiatam, quam qui per immediatam & ſolam Regis authoritatem

tem ſuis ſunt in officijs, debitè omnia & ſolertiſſimè adminiſtrant, parique fruuntur authoritate, ſive qui per ſucceſſionem, ſive qui per Regis authoritatem eſt in officio; redduntque fideliſſimè, quæ ſunt Regis, Regi; & quæ militum, militibus. Exemplum eſto. Primus Vice-Rex Armeniæ, qui per electionem eſt, præter ea quæ de jure debentur Regis theſauro, & munera quæ quotannis in ſuæ ſervitutis conteſtationem Regi mittere tenetur, tertiam quoque redditũum ſuorum eidem dare debet partem, parem & ſibi aſſumere, aliamque militibus diſtribuere, quos in promptu habere debet. Hujus porrò redditus aſcendit ſummã circiter quinquaginta millium *Tuman*, quod genus quoddam pecuniarum eſt apud Perſas, non in reali moneta, ſed tantum in nomine, & computu; ita, ut unum *Tuman* ſexdecim efficiant Europæorum imperiales.

Porrò tam qui eliguntur, quam qui per ſucceſſionem ſubintrantes ad officia confirmantur, tria priùs coram Rege vovere tenentur. Primò, ſe debitè obſervaturos conſtitutiones, Perſarumque leges univerſas. Secundò, poſt Deum, Machomet, Hali, illiuſq; filios & nepotes comprimis ſeſe velle amore colere, timoreque revereri Perſarum Reges. Tertiò, nullà ſe uſuros Tyrannide contra Regis ſubditos ſuo dominio commiſſos, ſed paternè clementer atque prudenter recturos & conſervaturos, ut nulla contingat in ſtatu ſuo rebellio, vitentur furta & latrocinia: & ſi alicui viatori per latrones bona diripiantur, teneri ſe ad eos inquirendos, atque aufferendum ablata ab ijſdem bona, aut de alijs latronum bonis viatori ſatisfacere: malefactores verò pro delicti qualitate vitâ plectere, & decapitare, aut palis perfodi, aliove mortis genere, ad aliorum terrorem interimere. Ex hac optimæ legis rigoroſâ obſervantiâ contingit, quod in Perſide longiſſima etiam itinera ſecuriſſimè

transfigi possint, magis, quam in Turciâ vel unum tantummodo milliare, cum hæc mera facta sit latronum spelunca.

Ad meliorem item subditorum conservationem, & Regni tranquillitatem sunt duo illi Vezirij, de quibus in Articulo secundo diximus, quod unus resideat in Taurez Mediæ Metropolitanâ; qui superintendit omnibus Provincijs quæ sunt à Civitate Regiâ versùs Turciam & mare Caspium, curans omninò, ne Regis subditi affligantur aut opprimantur per injustitiam tyrannidemue Principum, unde & subinde Provincias circuit, subditis tributa pro Regis emolumento auget, & quantùm possibile est, pro eorum levamine minuit, terrarumq; fertilitatem, aut sterilitatem omninò sedulè perpendit, atque observat. Secundus verò residet in Cyropoli, seu Sciras, & non minori sedulitate superintendit omnibus Provincijs, quæ sunt à Civitate Regia versùs Indos, Scythas, sinumque Persicum. Sicque debitâ nobilitatis atque officiorum distributione optimo sanè jure atque ordine sui obtinet augmentum atque tranquillitatem Regni. Cæterùm norit Lector amicus, quod famulorum incessus & distinctio, uti Europæis in more est, quam & Liveriam vocant, non observetur à Magnatibus Persarum. Obligantur cæteroquin & Magnates excepto primo Ministro juxta vices suas Regis noctu custodire palacium, suis quibusdam de famulatu stipatis.

ARTICULUS XIX.

De raritàte & pretiositate equorum, qui solent esse in Regis stabulis, cæteraq; Perside universim.

NOndum Regis aulam, Lector amice, deserendam duxi. Vel in stabulo pretiũ adinveniemus. Noveris equidem, quod omnes nationes, quæ arma tractare solent, sedulò dili-

diligenterque colere soleant artem benè educandi, disciplinandi, conservandiq; equos fortes & generosos; quippe qui, si boni sint, & ad amussim disciplinati, certò non solùm militi plurimum in bello conducunt, sed & pacis tempore delectationem faciunt, splendoremque & honestatem nonnullam suo afferunt possessori. Unde alia inter monita sua magnus Persarum Habas Rex, illud suis voluerat inculcatum, ut, qui generosus honoratusque miles esse cupierit, magè satagat, curamque impendat bono & disciplinato equo, quam malo & inepto filio, cùm ille militi sit in honorem, hic verò ei in contumeliam. Ponderabit vel inde Lector benevolus, studium permagnum & diligentiam indefessam Persarum circa educationem conservationemq; bonorum equorum, quos proindè & optimos pro sedulitatis suæ fœnore sortiuntur. Ut placeat curiositatis causâ breviter quædam de equorum diversitate, raritate & pretiositate, comprimis eorum, quæ in Regis sunt stabulis in civitate Isfahan disserere. Et calamo quidem de facili explicare non possum magnificentiam & sumptuositatem ædificiorum, pluralitatemque ac vastitatem eorum, & equorum inibi consistentium raritatem per maximam.

Quanti porrò Persæ æstiment Regis equos, ex ridiculâ eorum quadam observatione perpendere poterit amicus Lector. Nam tantùm æstimatione suâ equis Regijs tribuunt valorem, ut & ab his ipsa stabula sortiri sentiant dignitatem; præcipuè unum, quod vocatur Mase teuli, seu stabulum speciale, quod ab equorum inibi stantium preciositate, ita æstimant, venerantùrque Persæ, ut si quis, cujuscunq; tandem criminis reus, ad illud fugâ sese receperit, hoc ipso ab omni aggressione & pœnâ immunis sit. Inveniuntur aũtem in hoc stabulo equi omninò rarissimi, formosissimique, mirabilis in corpore proceritatis, & elegantissimæ per omnia membra dispositionis, taliter,

ut non tam crederes maſsâ conſtare carnali, quam tenui ſuper membrana artificioſiſſimi pictoris penicillo ad intuentium deceptionem eſſe depictos. Suntque generoſiſſimi, atque ad curſum perquam velociſſimi, raraque potiſſimum progenie æſtimati, cariſſimoq; pretio habiti.

Sunt porrò accuratiſſimi Perſæ in obſervatione generationis equorum, uſque ad ſeptimam generationem, tam ex parte maris, quam fæminæ generantium, quos dein ſingulariſſimè æſtimare ſolent, caroque precio vendere, aut pro rarioribus xenijs offerre. Unde ſi quis apud eos publicè venundare vellet aliquem equum, ſub titulo Kuheilan, quo nomine generoſiſſimi, virtuoſiſſimiq; equi in Perſide compellantur; debet inſtrumento authentico & teſtibus fide dignis probare, hunc equum ſuum eſſe ſeptimæ generationis, tam ex parte maris, quam fæminæ generantium: aliter, quod quærit, precium non obtinebit. Sunt autem & in rei ſerie æſtimandi omninò hujuſmodi equi, tum propter inſignem corporis proceritatem, & membrorum formoſiſſimam diſpoſitionem, tum propter alias innatam ſibi indolem rariorem, nempè ad velociſſimè currendum, & ſalvandum dominos ſuos ab inimicis ſuis per extraordinariam & concitatiſſimam fugam. Poſſunt hujuſcemodi equi per duos aut tres dies ſuſtinere famem, & ſitim, abſque eo, quod generoſitate & viribus deficiant, aut ſuis officijs deſiſtant. Poſſunt, & inſtante neceſſitate per mirabilem inſtinctum naturæ animadvertent, ſi quando domini ſui periculis ſuccumbere videntur inimicorum; tunc enim generoſiſſimâ dexteritate, tranſibunt ingentia flumina, mirabili agilitate adverſum etiam aquarum undas rapaces tranatare: Foveas cæteroquin, & rivulos conſiderabilis latitudinis abſque difficultate tranſilient. Sed & id, quod equis hiſce natura mirabiliter indidit, laudandum eſt, atque demirandum. Enim verò, quod ſi in bello prius

prius acceperint vulnus, dominos tamen suos medio in conflictu non deserunt, sed curant eos deferre ad castra sua; ubi & aliquando statim, cum domini descenderint ex ipsorum dorso, cadunt emortui; aliquando verò curantur. Quod si illorum domini vulnerentur, benevolo id ipsum naturæ instinctu animadvertunt equi isti, curantq; omninò fugam arripere ad castra amica, ne hi cadant sub manibus inimicorum suorum.

Plures & similes inditas sibi naturâ sortiuntur qualitates, dicti generosiores Persarum equi, quos proinde tanti æstimant, diliguntque; ita, ut nullus possit ex hoc equorum genere aliquem ducere extra Persidem, ad Turcas, Indos, aut Scythas, sub capitis pœna.

Plura quoque sunt genera equorum ordinaria apud Persas. Sunt autem omnes suâ laude dignissimi; quos inter aliqui quidem equi sunt rariores & cariores; hos Bedau, seu generosos vocant. Eorum porrò progenies habetur mixta ex equis gentis Turchman, de qua dictum est in fine Articuli quinti, qui & alias in toto Oriente sunt celebratissimi,& equis Arabum. Hoc ergò equorum genus commixtum multâ celebratur æstimatione in Perside ab indita sibi generositate & fortitudine, pariterque ab indicibili corporis agilitate,cursusque celeritate ad fugam. Sunt & hi staturæ satis proceræ, & venustæ dispositionis omnium membrorum; specialesque naturâ sortiuntur virtutes. Unde signantur & hi quodam caractere singulari à Persis, sicut & equi supradicti, ut proinde nec isti sub pœna pariter capitis, ad exteros & barbaros populos deduci possint.

Habui & ego de hoc equorum genere unum haud ordinarium, mihi sub titulo specialis gratiæ oblatum dono in die S. Paschatis, Anno 1672. à primi Ministri filio natu majori, Regis quarto, Satrapâ, & Principe venationis, de quo in suo loco jam dictum est. De hoc igitur equo inter alios meos, uti decebat,

bat, specialiorem gerere curam solebam: cumque ex Perside discessissem, mecum eundem duxi, ad ultimum usque Persidis castellum Derbent, cum animo ducendi eundem ad partes hasce; nisi Mare Caspium magno mihi fuisset obstaculo atque incommodo. Cæterùm cùm hunc neque vendere decuisset, tametsi à pluribus rogatus essem, & aliundè Principis tam amati insignem hujuscemodi memoriam derelinquere necesse fuisset; equum illum coactus donavi Principi Arcis nominatæ, non tamen sine magni animi mei contristatione. Rufus illi color erat, & nomen Bergh, id est, fulmen: & reverâ in modo indolis equinæ fulmen erat, quoad furorem, agilitatem, velocitatem, & fortitudinem.

Aliud item est equorum genus celebre apud Persas, non quidem tantæ proceritatis, aut elegantis membrorum dispositionis, uti præfati; sed majoris in carne molis, & brevioris staturæ. Nesciunt hi fugam velocem, belloq; sunt quidem inepti, aptissimi econtra ad iter longum in brevi tempore commodius faciendum. Hujusmodi enim equo per diem unum homo poterit sine gravamine conficere iter milliarium germanicorum quindecim; quod equi naturaliter habeant modestum, sed longiori passu procedendi modum, quo dum leniter equidem vehunt, & incessanter æquali gressu pergunt, sine fastidio uterque longius iter perficiunt. His ergo Persæ in bello uti non solent, sed in venationibus, & recreationibus, comprimis autem in itinere, quod brevi tempore conficere amant, & commodè. Scythæ verò & Tartari in bello his utuntur, utpotè quibus aliud equorum deficit genus. Præcipui autem, & electissimi equorum istorum devehuntur ad Persas ab illis, qui, Tartari nempè, ac Scythæ eos Bach-mat vocant.

Celebratur & aliud apud Persas equorum genus, aliquali formâ non absimilium illis Alascia, qui tamen fortiores & velociores

lociores in curſu greſſuque ſunt: inde dicti Ciab-cun, ſeu apti ad incurſiones. His majus indies iter perficitur, quàm ſupradictis, majori tamen incommoditate: quibus proinde ut plurimùm curſores & tabellarij Perſarum utuntur, unde & equi hi Ciapar vocantur.

Perſarum cæterum omneſque Orientis equi, non ſubjacent infirmitatibus, quibus Europæi, unde faciliori negotio educantur & conſervantur. Et hæc obiter ſufficiant de Perſarum equis, ſingulariter Regijs in ſtabulis Isfahan, quorum uti ſupradixi,curam habet quintus Regis Satrapa, cum tot ſtabularijs ſibi hanc in curam ſubjectis. Quotannis autem magna multitudo illorum equorum ducitur ad Regis curiam, ubi nominatus Satrapa in nomine Regis dono diſtribuit eos Principibus, & Miniſtris aulicis, alijſve ſub Regis ſervitio in aliqua dignitate aut officio conſtitutis: ſuntque equi omnes ſignati Regis ſigno. Modum habent Perſæ ſingularem diſciplinandi eos, non tamen ita perfectum ut Europæi: plures tamen ijſdem ſunt libri, de arte diſciplinandi, & ſignis eorum, unde indoles & dotes dignoſcantur; vocantque hos libros Faras-nam, ut plurimùm autem equis pro recreationibus utuntur Perſæ. Obeſi autem & prægrandes illi Europæis communes in Perſide non viſuntur, quin imò cùm admiratione nonnullâ ab ijſdem viderentur.

Articulus XX.

De Militia, & exercitibus Regis, totiusq; Regni Perſarum, illorumq; qualitate, ac quantitate, nec non de modo, quo in armis exerceri ſolent.

PRogredimur ex aulâ in campum, benevole Lector, poſt equos in ſtabulis viſuri pariter & milites in exercitibus. Nuncupant autem Perſæ in vernaculâ ſuâ militiam Spahigheri;

higheri; eſtque illa duplicis generis apud eos. Prima quidem militia eſt Regis, ſecunda Satraparum, Miniſtrorum, Vice Regum, Ducum, Principum, aliorumque, qui aliquo dominio Regni Provincijs, aut arcibus præſunt. Primæ porrò militiæ genus in tres dividitur ſpecies: quarum prima eorum eſt militum, qui Corci ſeu cuſtodes Regni dicuntur; & horum in toto Regno numerus centum millium eſſe poterit; qui primo etiam, ut dictum eſt, ſubduntur Satrapæ, proinde & ſub cura illius & Regia cancellariâ ſtipendia ſumunt, quæ quidem pro uno infra ſeptem Tuman eſſe non poſſunt. Hi quoque ſunt milites per generationem aut ſucceſſionem, ita ut mortuo parenti ſuccedat filius, cum primi tamen Satrapæ conſenſu, & Regis confirmatione. Qua propter inveniuntur etiamnùm plures Corci, qui ex modernorum Perſarum Regno condito cingula militaria ſecundum generationis geſtant ſucceſſionem. Secunda Regiæ militiæ ſpecies eſt, eorum qui Gul appellantur, ſive captivi aut Regis mancipia; atq; hi duplici claſſe ſubdividũtur. In prima ſunt ij, qui verè emptitij ſunt, ex populis Giorgianorum, Circaſorum, Coſachorum, Calamucorum, Rutenorum, & alijs. In ſecunda autem ij, qui vel vi coacti, vel ſpontè adducti, Chriſti ſanctam abnegarunt fidem, ſeque in Regis obſequium captivarunt, ut peſſimi Armeni, vel pariter ij, qui ſuorum reſpuêre ſervitia Dominorum, ad alienum Perſarum Regem tranſeuntes, ut Tartari, Scythæ, Indi, Turcæ, & Turchmani; qui proinde in eorum infidelitatis honorem Sciahe Seven, ſcilicet Regis Perſarum amatores nuncupantur. Unde hæc militum claſſis univerſim ex alienis, atque advenis, comprimis vero & ex Giorgianis eſt; ſuntque omnes ſub cura ſecundi Regis Satrapæ qui & Giorgianus eſt, ut dictum eſt in Articulo de Principibus. Militia autem hæc, quamvis in antiquitate & numero primæ cedat, non tamen in generoſitate,

quâ

quâ eſt celebrior, neque honore & ſtipendio, utpote, quod qui ex militia Gul ſunt, unus pro ſtipendio minus decem Tuman habere nequeat; atque ſucceſſivè ad honores, Principatus, Ducatus, imò & Satrapatus gradatim juxta merita ſua euehantur, ad quos tamen illi, qui Corci ſunt, rariſſimè pertingunt. Imò quamplurimi Gul, qui adhuc nondum ſunt centuriones, Chiliarchi, aut Principes, talibus tamen fruuntur honoribus, atque divitijs, ut ſe illis æquiparare minimè dedeceat. Habent pariter omnem armorum experientiam, illaque dexterrimè tractare norunt, ad diſcrimen eorum, qui Corci ſunt,& non niſi jacula,frameas,& lanceas geſtant,& nonnulli hodie etiam ſclopeta; unde horum Gul ſupremus, ſecundus videlicet Regis Satrapa antonomaſticè dicitur Spaſalor, ſeu Princeps militiæ, quam & Perſæ ut nobiliſſimam & generoſiſſimam, nervum imò omnis Perſici exercitùs ſelectiſſimum agnoſcunt. Tertia ſpecies primæ, quæ Regis eſt, militiæ ex ijs conſurgit, qui ingentia in Regis defenſionem ſclopeta geſtant.

Porrò milites hi præter ſclopeta, quæ ingentis & longè majoris ſunt molis, ac illa militum Europæorum, & ſolis brachijs geſtantur abſque alio fulcimento, prout & exploduntur, & frameas, alia nulla gerunt arma, dempto quod cultrum quilibet magnum palam ad cingulum geſtet. Sed nec equos conſcendunt; cum econtra tantæ ſint naturâ agilitatis, ut per montes, colles, & valles quaſi volare putentur, ex his ſubinde conſurgit militia illa Perſarum, quæ in Europa vocatur infanteria. Plerique eorum appellantur Geza eri, ſuntque ordinariè omnes ex Provincia Mazandara, quæ utcunque alere ſolet populum aptum, deditumque hujuſcemodi profeſſioni. Subduntur omnes tertio ſupramemorato Satrapæ, à quo proinde colligunt ſtipendia ſua, quæ pro uno ad minùs quatuor Tuman erunt. Hos ſubſequuntur ij, qui curam gerunt tormentorum

bellicorum, illaque explodendi artem callent: unde Tobci dicuntur; quamvis,& eorũ nonnulli Gebedar appellentur,ij nempè, qui curam armamentarij gerunt. Horum porrò militum in Regia Isfahan, & toto Regno, decem millia esse possunt: qui & nulli ex Satrapis subduntur, sed particulari cuidam Domino, qui Tobci Basci, & Getedarbasci dicitur (estque ille Dominus, amicus meus, qui me, Patremque Raphaëlem armaria lustrare Regis permisit) à quo & hi annuam suam sumunt mercedem, quæ minor octo Tuman esse non valet. Hæc igitur tria militum genera propria Regis dicuntur, sparsimque in Civitate Regia, & diversis Regni partibus morantur, & ab illius Domini propria cancellaria sua percipiunt salaria sub suprema cura primi Ministri,qui proinde secundus illorũ vocatur Dominus. Demptis his, qui tribus subduntur alijs Satrapis, nempè Mirsci-cher Basci, de quo in sequenti Articulo melius, & Mirachur, & Diuan beghi,de quibus jam satis dictum est supra.

Secundum Persarum militiæ genus est, ut dixi, particularium, qui aliquo in Regno potiuntur dominio, atque Officio. Sed & hoc militiæ genus in duas dividitur species. Prima illorum est, qui dominis his sub titulo alicujus inserviunt nobilitatis, quique tam pacis quam belli tempore eis obsequia præstant, non ob annuam mercedem, sed ob officium stabile, quod suis fortè in dominijs præfati Domini eis committunt; unde tenentur Dominos suos honoratè undique comitari, eorundemque aulam pro majori dignitatis splendore frequentare. Hique milites dicuntur Agaioli Spahi, seu Domini milites, aut nobiles aulici, seu equites eorum, quibus modo præfato inserviunt. Talium autem militum (exempli gratiâ) quilibet ex illis primarijs sex Vice Regibus, centum saltem in suo Dominio aulaque sustentare debet; atque ita proportione servatâ ij, qui sunt secundarij, Duces, Principes, Tribuni, & Centuriones:

nes: unusquisque plures paucioresve, juxta status & officij conditionem ac facultatem suam alere tenentur. Secunda verò species est militum, qui propriè servi appellantur, hoc vocabulo Nocher, quique pro annuâ inserviunt mercede, quæ tribus Tuman minor non erit. Et horum pariter illi primarij sex Vice Reges alere tenentur, quilibet viginti millia; alij verò pauciores juxta sui statûs conditionem, prout videlicet fuerint Vice Reges minores & secundarij, quique sunt Chan, vel Sultan, Minbasci, aut Juzbasci. Porrò in belli tempore cuilibet horum, non vero primorum, militum duodenæ, tenentur eorum Domini, præter victum & vestitum, unum pariter præbere camelum ex suorum camelorum cateruis, ut hi dictorum militum, seu victualia, seu vestiaria, cæterave necessaria in sarcinis valeant deportare. Currus etenim trahæ, aliaque similia Persis in more non sunt. Idem & Rex suis facit militibus: demptis ijs, qui tali jam funguntur officio, atque dominio, quo sufficienter supponuntur suis sibique providere posse. Unde & ortum habet commune illud tritumque adagium, quod Regis milites plus comedant, quàm ipse Rex, eo quod major pars proventuum Regis & Procerum suorum in militum distribuatur sustentationem, quam sanè omni tempore & anno exactissimè Persæ universim curant. Ut verò prægrandes hi atque continui eorum pro militibus insumptus gratis non sint editi, minimè illos feriari patiuntur, sed continuo armorum exercitio juxta cujuslibet conditionem & militiæ statum obligant. Unde qui sunt Corci, sedulò se se exercere tenentur in publicis arenis atque campis, hunc ipsum in finem destinatis, sagittis jaciendis omnem exhibentes dexteritatem, tractandoque acinaci curvo, idque singulariter ex eo, quod, qui curviori utuntur frameâ quam Turcæ, eamque dexterè vibrare scierint, lethale se certò certius infligere vulnus sentiant. Eodem & modo conti-

nuo exercentur in clypeo & lanceâ; & prout demum peculiaria quilibet arma gerunt, juxta genus & speciem militiæ suæ. Sed & post omne triennium, omnes tam Regis quàm Principum milites juxta ordinem publicâ in arenâ, ceu essent in hostili conflictu, generale suæ virtutis experimentum edere tenentur coram his, qui ad hoc singulariter à Rege deputati fuerint. Generalem porrò hanc militum lustrationem Persæ San vocant, & quisquis eorum bona in hac ediderit generositatis suæ specimina, ei vel stipendium augetur, vel officium, quod contra fit in tepidis & inertibus. Debent autem & hac in lustratione quilibet pro dignitatis & facultatis suæ possibilitate splendidè vestiti comparere, omnemque tum in armis, tum in ornamentis quà proprijs, quà equinis pulchritudinem & decorem ut exhibeant, satagere: quod si secùs fecerint; puniuntur. Cæterùm hac in occasione luxûs & pompæ excellentiâ celebriores utcunque fuêre, & sunt milites ij Regis, quos supra Gul nominavimus, ubi & eorundem exposuimus conditionem. Neque est in Oriente toto curiosius quid, splendidius, atque pomposius videri, quàm publica hæc Persicæ militiæ actio, maximè cum, uti nonnunquam, in Regis sit præsentia.

Verum inania hæc omnia & fucata sensit optimè Rex ille, exemplar mundi gloriæ & Majestatis, dum tandem sibi, alijsq; compatiens cecinit. (a) *Vanitas Vanitatum, & omnia vanitas.* Sed & simile quid sensisse putandus est moderni Persarum Regis Genitor Habas, cum enim suâ in juventute præventum sese sentiret laqueis mortis, amarissimè illacrimans suis inquiebat Satrapis atque Principibus. " Ubi nunc sunt thesauri mei? Ubi o-
" pes? Nunquid non me de hac mortis captivitate redimere
" poterint? Ubi nunc gloria & magnificentia dominij mei?
" Nunquid non illâ adversùm hoc mortis genus defendar? Et
" vero vos quid facitis fidelissimi mei, potentissimiq; servi? Nun-

(a) *Eccl. 1. v. 2.*

" quid

"quid non ab hac fatorum ſervitute me eruere poteritis? Ubi "tandem infinitus numerus & indicibilis copia ſplendidiſſimæ "militiæ fortiſſimorum Perſarum, Parthorum, atque Medo-"rum? Nunquid non vel hi ex hujus inimici faucibus in liber-"tatem ſtatuere queant? Cùmque omnes Satrapæ, Principes, & Inclyti Perſarum totiuſque Regni lacrimabundi cecidiſſent, ac proni in facies ſuas, dicentes: *en adſumus Rex potentiſſime atque amatiſſime.* Ille reſpondit: "Quid facere poteſtis ô miſe-"ri de me miſero? Rex ultro veſter non ſum: non ſum feliciſ-"ſimus, qui fui, Monarcha Orbis. Sum verò & eſſe debeo "miſerrimus mortis captivus. Hæc dicens exſpiravit, ſuamque utique reddidit animam illi, cui dum viveret, animo deſervierat.

Hoc denique ex dictis notandum eſt, de potentiâ militiæ Perſarum, quod aliorum orbis Principum vix aliqui obſervant; quod nempe omnes ſuos præfatos milites,eodem in amore, honore, ſtipendio, atque officio eſſe permittant, tam pacis quam belli tempore: unde aliud inde Perſis conſurgit emolumentum, quòd ſi inimicorum fortè potentia clam adarmata ſubitò inſurrexerit, novos tunc ipſi non audeant conſcribere exercitus, ſed de ijs,quibus actu ſemper ſtipendia militaria Rex & Principes contribuunt, primæ paratos neceſſitati ociùs convocare poſſunt. Quando porrò eos ad bella vocari contigerit, aut aliud munus, ſervitiumve Regis obire debent juxta vices ſuas,& ſuperiorum ſuorum diſpoſitionem, lubenti & hilari omne accedunt negotium animo, tum quod debito ſemper victu veſtituque, tum verò & Regis & ſuorum Principum charitate non carituros ſe norint: ſed & decore ſeſe adornant, quaſi Deo ad aras devotionis ſacrificium oblaturi. Itaque ex his militibus continuò ad Regis ſervitium conſtitutis major aut minor copia pro periculoſi belli diverſitate, campos aggrediuntur, juxta diſpo-

ſitionem Præſidis militiæ. Primæ autem forſan adversùm inimicorum phalanges ſubſiſtere non potenti, in promptu ſunt ex omnibus Regni partibus copiæ auxiliares majores, quod ſi & hæ ſuccumbant, maximus tandẽ confluit adversùm inimicos exercitus. Quod ſi plùs nimio potente hoſtium manu periclitati fuerint, omnis illicò Regis ſubditi, cujuſcunq; conditionis & ſtatus, etiam non conducti aut vocati, ex devotione in Religionem, patriam, & Regem debita, confluere tenentur, atque arma in defenſionem aſſumere. Tùm verò & ipſe Rex militiæ Præſes egreditur, exercitatiſſimamque ſuam, & ſelectiſſimam ducit phalangem ſub certo quodam vexillo, quo Perſæ dicunt, creduntq; Halli in bello uſum eſſe, quod & cautiſſimè aſſervatur in primo Regis theſauro. Cùm illo itaque infinitâ penè ſtipatus ſubditorum ſuorum multitudine Rex campos aggreditur: vocanturq; talis illius ad bella acceſſus: Sciah Gheldi, id eſt; Rex venit. Ac ſi dicerent; Accedit nunc bella Pater atque Dominus victoriæ & triumphi, ſuorum terror, atque flagellum inimicorum. Recedere igitur hi cogentur cum timore, atque pudore à facie iræ ejus. Et revera hic ultimus Perſarum conatus bellandi terribilis eſt, nec alius eſſe poteſt de facili, quam inſuperabilis. Cæterùm rariſſimè in Perſarum annalibus legitur, eos ad hoc faciendum eſſe coactos: aliunde etenim terrori ſunt vicinis quibuſdam inimicis ſuis, comprimis Turcis, qui eos magis atque cæteros timent, non tam ob militum copiam, quàm ob innatam ipſis Perſis generoſitatem & ferociam, tum ob dexterrimam eorundem præliandi artem, tum denique ob ſingularem, & exactiſſimum copiarum ordinem ac diſpoſitionem: in quo præliandi genere Perſæ omnes antecellunt Orientales, magiſque ad Europæorum peritiam militarem accedunt.

Hæc tandem de Perſarum militia breviter dicta ſufficiant. Nunc relinquamus arenas ſanguini expoſitas, alijſque in campis, quæ recreationis ſunt, ſectemur.

ARTI-

Articulus XXI.

De recreationibus, & delicijs, quibus Reges Persarum fruuntur cum Proceribus suis.

PErsarum Regibus, eorumque Magnatibus, qui aliquod in Regni districtibus sortiuntur Dominium, tria, honesta pariter atque deliciosa arridere solent recreationum genera præcipua. Primũ est venationis, quã quidem habent triplicem, terrestrium nempè animantium, volatilium & aquatilium; quamvis hæc ultima usq; adeo illis in frequentationẽ non veniat; cum tamen maria, flumina, lacusq; sint, ubi piscium prægrandem invenire est multitudinem, atque raritatem, Persæque exactam habeant piscandi notitiam & artem. Cæterùm sicut aridus est ijs naturâ humor, non aquis delectantur ut plurimum, sed terrestria venari, & volatilia omni dexteritate student. Animantium porrò terrestri venationi expositorum multiplices sunt apud eos species, utpote Cervi, Dorcades, sylvestres capri, & Apri, quos quamvis non edant, eorum tamen venatione se recreant, ijsdemque postmodum Christiani fruuntur, & renegati milites illorum. Ut autem hæc animantia Persæ venatores suæ subijciant artis dominio, non solum industria armorum, atque canum, sed & alijs laboribus quàm sedulè desudant, curiosa imò, & lepida excogitant: quorum illud non minimum neque narratione indignum puto; quod Regis venatores eidem in majorem recreationis ansam patrare Regis speciali jussu quandoque solent. Enim verò hi, pridie quam Rex loca venationis accedat, inibi quandam veluti panis massam ex aromatibus herbisque nonnullis, & alijs simplicibus condimentis confectam (cujus quidem secretum sub capitis pœnâ prodere non audent) animantibus in pabulum spargunt; quod cùm

cùm & ijs gratum ſit, imò odore è ſpeluncis aut nemoris intricatioribus locis alliciat ad ſuavem atque odoriferam auram capiendam; ad comedendũ pariter ea provocat, ut ita decepto ore,decipiantur & mente ac ſenſu animantia illa.Delirare etim taliter incipiunt, ut ſpontè ſe ſe ſuis offerant perſecutoribus, illiſq; lepidiſſimum omninò ſpectaculum exhibeant. Dum enim ſuos per gyrum efficiunt ſaltus, tametſi rectam intendant fugam, per circulum ſeu inebriata ducuntur, tandemque ubi ſint, neſcia, cogente naturam arte ridiculoſiſſimè mox cadunt, mox ſurgunt, mox aliquot paſſibus gradiuntur, rurſum mox humi decidunt, ad inſtar omninò hominis vino crapulati. Tandem verò Rege ſpectaculi curioſitate ſatiato abducuntur, & occiduntur.

Eſt quoque avis quædam, non niſi ipſiſſima omnis rapacitatis Magiſtra compellanda, quam Perſæ Carciga vocant, & in aſperrimis Caucaſi montis rupibus nidificat. Hanc quandoque Perſæ, raro veruntamen, diſciplinâ venatoriâ ita rapinæ atque ferocitatis reddunt induſtriam; ut non ſolùm omnis generis, & molis aggrediatur volatile, ſed ſingulari modo cum cervis ſuam exerceat ferociam atque rapacitatem. Viſo etenim cervo Princeps Regiæ venationis, qui illam avim Regi proximus manu geſtat, ſtatim detecto ipſi capite, quod cæteroquin more aliarum avium venaticarum coopertum habet, eandem avolare facit; pulſiſque forti ſtimulo equis, Rex omniſque ejus comitatus eandem inſequuntur, venationis verò Princeps alta poſt avim voce inclamat, tum ad eam magis animandam, tum ad Regem magis recreandum: hiſce & ſimilibus verbis. Eja avis Velox & generoſa, omnium volatu animoque Princeps, cui volatilia omnia, ſed & terreſtria in prædam ſunt; Ageſis; en cervus tibi adeſt, generoſè perge, illique fortiter dominare; tuâ ipſum duc virtute in Regis noſtri obſequium, & complacenti-

centiam. Similibus inquam, dum Venationis Princeps inceſſanter inclamat, avis illa ſummo impetu & velocitate curſum proſequitur, pronaque ruens in cervi verticem, inter medium ejuſdem cornuū ſeſe collocat, unguibus & roſtro eidem oculos diſcerpit, atque dilaniat, eruit imò; atque ita curſum eidem interdicit, doloreque languidum corruere facit. Cùm interim Rex cum comitatu ſuo, omneſque venationi præſentes veloci curſu ſubſequuntur; & ubi cervum adinvenerint, ociùs ad ſpectaculum magis viſendum equis exſiliunt, tamque venationis Princeps Mirſciher, quam Rex ipſe cum omnibus circumſtantibus aviculæ (cui naturâ quædam laudis & blanditiei indita eſt aviditas) generoſitatem & velociam blandiſſimis verbis collaudant, & de obtentâ induſtriè victoriâ gratulantur. Porrò Carciga, avis illa, quippe animal rapax & prædæ peravida, talibus non contenta blandimentis, ungues protinus tenet cervi oculis infixos, inſidenſque capiti ejus alas in cornua extendit, atq; ita firmiter conſiſtit, ſuæ veluti prædæ partem exigens; eandem imò ſibi approprians. Unde ut eam quantociùs deſerat, crudæ eidem carnis buccella oſtenditur, quâ & inſpectâ allicitur, deſerens prædam, & ad Regis aut Mirſicher manum advolans. Hæc autem eidem buccella ſubitò tunc ei non conceditur, donec poſt tempus aliquantulum hauſerit aquæ, caloreque volatu & ferociâ excitatus ab eâ receſſerit. Tum verò ſtatim atq; antea caput eidem contegunt ſubtili quodam corio ad hoc aptato, ut ita nullo alio diſtracta objecto rapinæ ſibi ſpecies ſemper habeat recollectas, prædamque ſuam, quam cæca ſemper præſtolatur, cùm rursùm viderit, avidius inſequatur; prout & hunc in finem utcunque aves venatoriæ, etiam apud Europæos viſum habent velamine obvolutum. Tandem verò Rex poſt horam prædæ captæ proprijs manibus eandem ad ſaturitatem paſcit aviculam, continuiſque lenocinijs eidem blanditur.

Magna quoque est oculorum animorumque delectatio Persis, in volatilium venatione, quippe quorum copia & diversitas in nulla orientis parte æqualiter invenitur, maximè cum Persia comprehendat majorem Armeniam & Giorgiam, quæ sanè Regiones deputata veluti à naturâ stadia & venationum loca sunt, imò venatorum officinæ atque palæstræ jure merito dici possunt; sicut & Ghilan, & montes Isfahan singulariter venationibus animantium feracitate diversissimorum permultùm favent. Videre autem singulariter est hisce in Regionibus omnimodam volatilium multitudinem, Perdicum, Cothurnicum, Turdorum, Phasianorum, Attagenum, aliarumque specierum complurimarum. Porrò in partibus Armeniæ præcipuè in Provincia Sciahrrur, tanta est cothurnicum copia, comprimis mensibus Augusto & Septembri, ut rustici laqueis & funiculis quibusdam, quos ex equornm conficiunt crinibus, mille quandoque & duo etiam millia in unâ capiant die, & vilissimo proinde precio venundent. Cumque in multo numero & quantitate emantur, complures sale condiuntur, & pro hiemali tempore asseruantur. Sic & de Pernicibus; ex his enim viginti tradere solent rustici pro uno imperiali: quippe quod in copiâ, & de facili omnino hæc volatilia capiantur, de parvulis aviculis quasi nulla est cura. Redeamus autem ad scopum Venationis nostræ.

Aves igitur hujuseemodi, venaticis canibus, sclopetis, & sagittis, alijsve rapinæ deditis avibus Persæ insequuntur, ut niso, falcone, & similibus, imò & retibus, ut plurimum cothurnicis avibus canibusq; venantur. Canes enim ad hoc jam disciplinati agnoscunt Domini sui vocem, quâ illis ut plurimûm dicere solet, Tab, Tab, id est: invenias, invenias. Quo verbo illi audito susque deque per montes & valles, per sata & segetes, per senticeta & fruticeta discurrunt inquirentes, eo sanè modo, quo canes Europæorum ad certam venatoris vocem id-

idipſum faciunt: itaque cum fecerint evolare volatilia, falcone aliâve prædatrice avi, equeſtres inſequuntur; cumque hæc volatu in campis aut ſylvis, eò abſceſſerit, ut videri non poſſit, pulſant quoddam tympaniolum, quod ad equi ephippium juxta ſtatûs ſui conditionem precioſiſſimè, ornatum geſtant, cum quadam alâ, quæ alicujus avis eſt ejuſdem ſpeciei cum deperdita, quam habet ad ſiniſtram ephippij appenſam. Pulſans ergò ſic tympanum, alamque manu geſtans venationis Dominus altâ clamat voce: Cuh! Cuh! quod ad libitum eſt, nihil etiam apud Perſas ſignificans, niſi quod ad vocandas hujuſcemodi aves deperditas aſſumptum ſit. Eodem modo particularia avibus imponunt nomina. Atque ita avis audito ex longinquo nomine ſuo, ſonoque tympani, deſerit quantociùs prædam ſuam, tametſi eam habere ſubitò poſſit, habeatve; & ſui ſequuntur Domini vocem: quo & deprehenſo, in manu illius, non verò aliorum, quamvis in venatione complurimi ſint, reſidere ſolent. Res viſu jucunda, & curioſa.

Porrò hujuſcemodi aves in multiplici ſpecie & copiâ ſervantur Regis ad ſervitia, ſub cura illius Mirſcicher, qui exceptis pluribus Miniſtris, viginti quoque ſub ſe habet centuriones, qui omnes cum centenis viris ſuis die noctuque illarum vacant ſervitio, quæ numerum quandoque excedunt trecentarum. Singulari porrò curâ his invigilant Centuriones prædicti, qui & hoc ſuper annua ſtipendia in gratiam habent; quòd recenſeo.

Nempè cùm avium illarum aliquam advertunt ſeniò confectam, debita ultro non poſſe in Regis favorem præſtare obſequia, vel etiam ab infirmitate, quæ ſæpe ſolet contingere illis, ſint redditæ ad labores & prædas ineptæ, dicti Centuriones ſuo ſupplicant à Principe Minſcicher, dicentes talem, quam proprio nomine etiam vocant, avim ampliùs ad Regis obſequia non valere, videri ergò dono mittendã cuidam Principi, qui eam pro ſuſcipien-

 ſcipien-

ſcipienda gratia Regia, & ſingulariſſimo munere ſuſcipiat. Quod ubi Mirſchicher inſinuârit Regi, hic illicò eidẽ in mandatis facit, ut avis nominata Regio ſuo nomine huic illive mitratur Principi, uni quidem ex Beghler beghi, ſeu Vice-Regibus, quibus ſolis, non ſolùm veſtibus, ſed & avibus à Rege donari, commune eſt, ad diſcrimen eorum, qui ſimpliciter ſunt Chan, aut Sultan, quibus tantum veſtium, non verò avium Regiarum munera eveniunt. Habito igitur Regis juſſo Mirſcicher, decretum ex Regia Cancellaria expediri ociùs jubet, juxta certam, & pro hujuſmodi expeditione jam uſitatam formam; illud proinde uni ex ſuis centurionibus pro ſuo delectu committit, qui id ipſum gaudens ac venerabundus exoſculatur, ponitq; ſinu ſuo, donec die poſterâ juſſa exequatur. Tunc verò comitatu viginti aut triginta ſervorum equeſter abit cum amica ſua, ſollicito tendens itinere ad nominatum ſibi Vice-Regem, cui amicam aviculam ut Regis deferat amico. Jam verò, priuſquam illius reſidentiam ingrediatur, de ſuo eum commonefacit adventu, teneturque tum poſterâ die Vice-Rex plures nobilium, aulicorumque ſuorum obviam eidem mittere, per eoſdem de felici gratulabundus adventû. Dumque ingreſſum ita ſtipatus facit per Civitatem, omnes Vice-Regis Tubicines ſeu Charana inceſſanti tubarum ſonitu tripudiant. donec ad deſtinatam ſibi à Vice-Rege Centurio domum deveniat. Inde die ſequenti ſuo, pariterque aulæ Vice-Regiæ comitatu inſigniori, tubarumque clangore permaximo accedit palacium Vice-Regis, geſtans manu fortunæ avim (ſic enim tunc illa vocari conſuevit) qui, viſo illo, loco ſurgit, perque aliquos eidem obviam venit paſſus, omni cum demiſſione Regis ſuſpiciens gratiam, omninò ſeſe favore hujuſcemodi indignum palam edicens, latorique debitas omninò referens gratiarum actiones, & locum eidem exhibens competentem. Tranſacta tum confabulatione familiariori incipiunt fulgere

cra-

crateres & bachi pocula. Hunc insuper Regiæ gratiæ delatorem Vice-Rex per unius mensis decursum, nonnunquam & ultra, ut gratissimum omni lautitie tractat hospitem & amicum, quem & dein quinque vel sex florenorum millibus donatum à se dimittit, sua Regi obsequia delaturum.

Sed quod rideas non tantum, verum & quod mireris Lector, est, de tanta Persarum in Regem suum observantiâ & devotione. Etenim, si quando etiam contigerit avim illam naturali, aut violentâ morte interire, sufficiet, aliquam ejus partem, & viliorem quidem, nempe caudam destinato Vice-Regi deferri, quam hic, prouti & latorem ejus tanti equidem æstimabit, parique honore & veneratione suscipiet, ac si vivam integramque avim suscepisset. Hæc brevis tibi amice de avibus Persarum.

Multiplicis etiam generis canes Rex alit venaticos, maximæ molis, & virtutis, si etiam in bruto indoles disciplinata virtus dici possit. Hi undique ex omnibus mundi partibus ducuntur, mittunturve ad Regis aulam, in singularium munerum vices. Curam eorundem habet singularis Princeps, qui & in eorum servitia, quingentos viros alit; is porrò vocatur Segh ban Basci, id est: caput eorum, qui Regis custodiunt canes. Disciplinatissimi sunt porrò naturâ ij, & quidam naturâ ferocissimi, quidam verò arte ad ferociam & generositatem educati. Catenis jugiter detinentur, & quando Regis tentorium figitur in Campo, circum circa illud veluti Leones ligantur in magnam Persarum ferocitatis & superbiæ ostentationem. Aliquando etiam, secundum libitum furoris, qui Regis fors mentem occupat, jubet is Principes delicti reos, vel Leonibus, vel hujuscemodi canibus obijci, ut ita rebellis homo, rebellis bruti dentibus dilanietur.

Recreatur & Rex pariter multâ diversissimarum ferocissima-

marumque belluarum copiâ. Habet namque in aulâ suâ Regiâ Elephantes plures, quorum custodes Indi sunt, eos diversis lusibus ad oculorum curiositatem & Regis venerationem instruentes. Cum hæc animalia ad Regis ducuntur præsentiam, juxta quod disciplinati sunt, eidem exhibitura obsequia, splendidissimè comprimis ornantur, crocoque in facie pinguntur, & tintinnabula resonantia permulta ijsdem appenduntur; hæc enim amant, ut Indi fatentur, qui naturam animantium hujuscemodi per experientiam habent notam. Sic porrò ornati omnique vinculo liberi elephantes, ab Indis conscenduntur, & forcipe, aut malleo ferreo cuspidato, domantur, diriguntur que, volunt porrò sic ab Indis Regi, prout & eorum vernaculâ corrigi. Domum porrò ubi habitant Filchane dicunt Persice, id est, domum elephantum, estque locus permagnus, in diversa divisus habitacula, quorum quodlibet uni aptatum est. In hac etiam domo Rhinoceros est, seorsim tamen ab elephantibus; utpote ijsdem infensissimus, suoque cornu, quod in fronte gestat, eorum ventrem ab infra dilaniare solet. Unum ante aliquos annos Persarum Regi modernus Scytharum dono misit Rex.

Accedunt Leones, qui omnes debito modo Regem ut venerentur disciplinati sunt. Solent autem in Persarum solennitatibus curiosa ad Regis præsentiam exhiberi spectacula, dum supra dicta hujusmodi animantia cum Tauris, bovibusq; sylvestribus & ferinis congredi permittuntur, ubi horribilis lucta visu contingit. Domus in quâ hæc nutriuntur & instruuntur vocatur Scir chane, id est domus Leonum, ingens omninò & ampla, ubi & aliæ diversi generis feræ servantur atque domantur, quæ ex Indiæ, Scythiæ, caucasique montis oris afferuntur. Horum autem omnium sicut & Elephantum custodes illi Mirscicher tanquam venationis supremo Principi subduntur, & illi pervigil cura de omnibus.

Tandem aliud recreationis genus eſt, quo Rex cum ſuis Regni Proceribus delectatur. Nempe quotannis à Principio menſis Julij uſque ad finem Septembris ſuaviores in montanis inquirunt auras, in locis etiam quinque aut ſex dierum itinere à Regiâ diſſitis. Hujuſcemodi enim loca dantur, quæ natura benignior omni amænitate, delicijſque, quà limpidiſſimorum fontium, quà pratorum floridiſſimorum, quà denique venationibus, & univerſi generis recreationibus aptiſſimarum omninò occaſionum locupletavit. Eò igitur Rex, cum internâ, externaque aulâ ſuâ, exercitu, omnique conſilio ſeſe confert, ſub tentorijs præcioſiſſimis amœniſſimiſque caſtris tres illos abſumit non inaniter mentes; nundinis nempè forinſecùs exercitis, in campo & interioribus conſilijs, aut conſultationibus, gravioribuſque negotijs neutiquam intermiſſis in Regia Cancellaria. Campi illius latitudo aut longitudo, quinque aliquando, quandoque & ſex laucarum erit. Nocte ante omne tentorium aut caſtrum juxta cujuslibet Principis inhabitantis conditionem plures, aut pauciores appenſas eſſe oportet faces, ita quod ad infimi caſtrum una ſaltem reluceat: vocanturq; hujuſcemodi faces Meſc-hel ſcilicet luminaria. Et hoc ob Regis recreationē, quâ etiam noctu vult delectari. Campus autem ille ſic occupatus Hordu dicitur; magis tamen propriè Jailac, id eſt, campus, ſive locus paſcendi ſeſe recreationibus. Hordu enim dicitur etiam de omni campo, in quo exercitus apparet. In quibuſdam porrò campis aut locis, qui Jailac Regis vocantur, & ſunt, inveniuntur palacia magnificentiſſimè conſtructa, & apparata, in quibus quandoque ſub tecto, non raròverò etiam ſub tentorijs pro libitu Rex cum ſuis mulieribus & Eunuchis eligit habitare. Imò præfato ordine comitatuque virorum ac mulierum, viginti quandoque & ultra dierum capit iter, recreationis abſolutâ gratiâ, maximèque id versùs Ghilan, quæ terra præter multipli-

cem

cem quam Subministrat venandi occasionem & copiam, abundat quoque diversis, ijsque rarioribus fructibus, ut sunt poma aurea, limones, &, qui Citrini dicuntur; sed & clima illud, ad Maris Caspij oras respiciens, adeo est ferax, ut vites uvis abundantissimas ferat, de quo alibi dicetur. Unde & in hujus Regni Civitatibus splendidissima complura Rex habet palatia, illud comprimis in Civitate Asciref, sanè nobilissima, totoque oriente delicicijs & raritatibus præstantissima, atque vel inde meritò ut talis celebranda.

Cùm porrò Persarum gens, eorumque inprimis Rex, præ omnibus alijs Orientis Nationibus, magis inclinentur in delicias & curiositates, quibus animus recreatur humanus illisque Persis omninò abundet, placuit Lectori curioso plura afferre, de alijs, quæ præter hæc tria recreationum genera, Persæ in usu habent. Pro quo sit.

ARTICULUS XXII.

De alijs Persarum ludis & recreationibus.

DUo adhuc singularia sunt recreationum genera. Primum dicitur Sciatir Dovini, seu cursùs cursorum. Rex etenim præter cursores, qui postas equestres perficiunt, & Ciapar dicuntur, plures alios habet cursores pedestres, qui Sciatir vocantur: quod idem sonat, ac apud Europæos Lackey. Hi porrò ante Regis equum quibusdam vestimentis specialibus, arctioribus, & magis corpori adaptatis, ante Regis equum incedunt, atque ita in arte cursoriâ sunt exercitati, ut iter plurimorum milliarium unâ die conficere possint. Magister porrò, & Præfectus istorum, ubi quem expeditiorem talium cursorum animadverterit, Regem admonet, ut dignetur quantociùs artem ejusdam cursoriam experiri; tuncque ad Regis nutum

æsti-

æſtivo tempore per certum ſtadium viginti quatuor milliarium curſor tenebitur velocitatis agilitatiſque ſpecimen exhibere, quæ quidem milliaria continuo curſu,& abſque quiete intermedia peragrabit. Illa porrò deputatâ ad curſum die primus Miniſter Regis edictum publicari curat, quo inhibetur, ne die illa ullus mercaturam, artemve aut quodcunque opificium exercere auſit; ſed omnes indiſcriminatim, plebæi, ac nobiles, Principes atque Satrapæ Curſoris intereſſe ſpectaculo non omittant. Hic igitur curſor illâ in die ex primo Regis palacio duodecies currere debet ad aliud palacium, quod diſtat à primo unâ leucâ, ſeu, ut Perſæ dicunt, Aghaci; totieſque inceſſanter hac eadem viâ ad primum illud palacium reverti, ut ita viginti quatuor vicibus emetiatur leucam illam, ſeu Aghaci. Numerant autem vices cursûs per ſagittas. Cum enim primâ vice ex primo Regis palacio iter aſſumit, manu ſecum ſagittam defert, quâ in palacio Regio ſecundo depoſitâ, inibi aſſumit aliam, quam ad primum reverſus itidem deponit, aliamque aſſumit; donec duodecim ſagittas ex primo ad ſecundum, rurſumque duodecim ex ſecundo ad primum Regis palacium deportârit. Porrò iter hoc in ortu Solis oſculatus primò Regis palacij limina inchoat, & ſerò circiter veſpere horâ octava perſolvit. Via cæterùm, per quam ſuo excercetur in curſu, ſplendidiſſimè à civibus adornari debet, tum in Regis honorem, tum in majorem curſoris animi delectationẽ. Quem & in finem Satrapæ, Principes, omneſque Regis Proceres pedibus eum comitari tenentur, ſubalternatis tamen vicibus ab uno palacio ad aliud, animosè ſemper eidem aggratulantes, exhortanteſque, ut virili conſtantiâ & ſine tædio aſſumptum ſibi faciat iter glorioſum, nulliſque in Regis honorem, & ſuæ generoſitatis ſpecimen viribus parcat. Quinimò & Perſarum ipſimet Pontifices eundem accedunt, ſimilibuſque hortantur & animant ſolatorijs blandimentis. Ubi

autem Satrapæ Principes , Proceresque comitatu defatigati fuerint , eidem se sociant nobiles, post hos cives , & demùm post cives cæteri Regis aliorumque Dominorum servi cursorij , semper eundem ad strenuè currendum exhilarantes. Sed & in majus cursoris hujus solamen, & generositatis excitandæ medium , quotiescunque hic ex uno ad aliud palacium pervenit , sagittamque deponit, omnis generis musicalium instrumentorum plausu eundem salutant, & nullis non tripudiorum signis , laudumque titulis eidem aggratulantur. Denique die illâ cursor hic ab omnibus ut idolum colitur , & posterâ munificentissimè à Rege donatur, sed & aula tota, Civitas, omneq; Regnum eidem munera defert, in majorem Regis honorem & complacentiam, suorumque laborum compensationem.

Solet autem, uti nec aliter esse potest , brevis hisce cursoribus esse vita : quantumque breviter , tantum & parcè vivere debent , & moderatissimè. Rex iste Solimannus inter plures unum excellentiorem omnibus habet , qui Hot hot vocatur ; id est , Upupa : & hoc ad imitationem Salamonis, qui, uti figmentis & mendacijs Machometi sui fidem habent , pro cursore habuerit hujuscemodi avim, utpote inter cæteras satis agilem , & velocem. Audivi etiam in hac Cæsarea Aula aliquos Dominos tales habuisse cursores.

Alia deniq; recreatione Rex fruitur in certamine Luctatorũ qui plurimi sunt , & in peculiari Gymnasio, seu palæstrâ sub Magistro instructionem capiunt , luctatorijs continuò studio, & indefessi artibus insudantes. De his porrò habiturus Rex experimentũ primò facit in mandatis Ministro , quatenùs formato ex Regio nomine decreto in omnes Regni partes edictum faciat , ut sicubi locorum quisque viribus pollens, & luctatoriæ peritus artis inveniatur, accedat quantociùs , si quidpiam de se præsumat , ad Regiam , suæque specimina fortitudinis cùm Regis exhibeat

hibeat luctatore. Expectatur tum trium decursus mensium, quo Regiam accedere possint, qui aliquarum sese virium confidunt: veniuntque inter hoc temporis ex diversissimis populis & nationibus viri robustissimi, subinde etiam Turcæ. Proinde destinatâ juxta Regis libitum die, in Regia platea, omni spectante & confluente populo, factâ priùs debitâ Regi aspectanti Veneratione, & salutis deprecatione, congrediuntur Regij & advenæ Luctatores, nullis non viribus robustissimis invicem tentantes, & nudatis corporibus, relicto tantum circa femora corio quodam, tamdiu colluctantes bini & bini, donec illorum unus alium humo dejecerit; quique omnium victor evaserit, præ omnibus singularissimis à Rege muneribus donatur.

Curiosissima denique est ars inter Persas circa instruendos nedum homines, sed & animantia bruta; prout utique horum Lectori constabit: & ex eo etiam constare poterit, quod columbas quasdam ita edoceant, ut literas, ultra etiam unius mensis iter aliàs ab homine conficiendum, deportent tabellariæ feliciores. Neque de unius ad alterius amici domum missæ aberrabunt, sed literas, quas collo, ne volatu prohibeantur, certo modo ligatas habent, deferent securissimas, nullique alteri consignabunt, nisi ad quem datæ sunt, qui & de adventu illius quantùm sollicitus, tantùm & certus præstolari poterit. Talis autem species columbarum maximè habetur ex Babylone luculentamq; facit de illis mentionem Petrus della Valle. Ego autem, hoc absq; aliqua superstitione, aut magia fieri vix posse arbitror. Hæc de his pro brevitate operis tibi Lector amice sufficiant. De cæteris enim Persarum ludis dicere vel nihil, vel pauca plane haberem, & nullius singularis momenti: etenim de actibus comicis, aut saltatorijs palæstris, uti inter Europæos visu obtingit, ignorant ij; sed neque ludum

alium præter aleas, & ludum latrunculorum habent, quem quidem expertissimi & ingeniosissimi ludunt, dicuntque eum ab Indis, qui & frequentissimo tempore eo exercentur, esse inventum: chartifoliorum autem usus ignominiosus, pilarum, aut pyramidum eisdem ignotus omninò est.

Denique Persarum Reges suis etiam in aulis stultos & histriones habere solent, estque præsens moderni Regis, nomine Hagibenghi, versutissimus & callidissimus in facetijs suis, neque Regi etiam datâ occasione verbis parcens, & appositè, omnia inducens. Cujus hic enarrare facetias opus esse non duxi: adducam tamen unam, quâ Machometanos quandoque exceperat Legisperitos. Cum his etenim proficiscebatur in Julpha quandam Armenorum coloniam, de qua alibi; ubi hi Ecclesiam visitantes Christianorum, depictum in parietibus viderant Martyrium sancti Gregorij Illuminatoris Armenorum. Erat autem & inibi pictum, quâ ratione impij calidum plumbum adipem oleumq; per infundibulum ei infunderent; quod quidem picturæ genus cum Legisperiti non intellexissent, jocosè ex Hagibenghi sciscitabantur: Equis hic esset, quidve cum ipso homines inciperent, aut quodnam esset universæ picturæ figuratum? Is porrò respondit eis. Huic ut videtis omnia corporis interiora plumbo bulliente, adipe oleoque perfunduntur: stultus enim erat uti vos, qui Machometo vestro ita adhæretis, ut vinum, quod optimum est, bibere nolitis. Sed & mihi quandoq; eidem obijcienti, Eccur Christianus esse nolit, cùm Machumetanos suos ita excipiat, respondit. Et ideò Christianus esse nolo, quod Machometo, qui omnem mihi concedit vivendi libertatem, servire non possim, atque inde minus Christo vestro, quem qui sequuntur, arduam vitam ducunt. Quibus & similibus patefacit, se non tam hominem esse amentem, quàm versutum & nequitiosum.

ARTI-

ARTICULUS XXIII.

De Convivijs Perſarum.

NObilitas Perſarum convivijs maximè dedita eſt, epuliſq; amicabilibus, adeò ut Proceres eorum, toto vix anno ter aut quater in ædibus proprijs edere ſoleant, ſed alternatâ amicorum converſatione de domo in domum ſplendidiſſimè epulentur. Conviviorum autem ſolennitas ut plurimùm noctis tempore celebrari ſolet, ut magis cænare ſemper dicantur. Ad horam igitur nonam vel decimam ſaltem, temporis matutini hoſpites in domo eſſe debebunt amici invitantis, ſeu in quo per ordinem ſunt tractandi vices. Tunc autem ſi æſtivũ fuerit tempus, quilibet ſe veſtibus exuit, & pro placito ſuo ſe recreandi, abſque ulla adverſitate vel faſtidio, atque in cubiculo ſibi ſoli parato veſtes oneroſas deponit,pariter & Tulbantum, ſervans autem ſemper birretum leve quidem, ſed precioſum utcunque & coloratum, prouti more ſuo geſtare ſolent. Ad veſtimenta porrò cuſtodienda, aliaque hoſpiti miniſtranda deputatur ſpecialiter quiſdam invitantis ephebus aut ſervus. Convivæ autem non ſellis, ſed humi reſident,quæ tamen precioſis ſtrata eſt tapetibus, & tenerioribus quandoque feltris, quorum certæ ſpecies carioris ſunt precij ipſiſmet tapetibus. Latitudo illorum duas ſeſe in ulnas, longitudo in triginta, & ultrò extendit. Ponuntur ergo prope muros in longitudinem, & ſuper ea quædam lintea ejuſdem longitudinis & latitudinis, albi coloris aut rubri,ſubtiliſſimè acu picta, nec non aureo & ſericeo filo, diverſiſſimiſque floribus atque aviculis, quæ Suzeni vocantur, intexta. Feltra porrò hujuſcemodi Technemed dicuntur. Super hæc tandem ſunt pulvinaria precioſiſſimis è materijs,quibus hoſpites inſidere ſolent. Porrò communiter in cænaculis

aut conviviorum locis fons eſſe ſolet, aut piſcina, lapidibus, & ut plurimùm marmore exciſa, circum circa verò, ut frequens Perſarũ mos eſt, vas florum, & aviculæ ſuaviſſimè canentes caveis ſuis recluſæ, nec non vaſa quorundam liquorum dulcium, quos vel Perſæ ipſi conficiunt, vel confectos ab Indis habent. Sic & pariter vaſa aliquarum confectionum, quæ, prout & liquores ſupra memorati, juxta diverſa condimenta, ſive ex aromatibus, ſive etiam ex precioſis lapidibus, diverſos in corpore humano ſolent cauſare affectus, ut hilaritatem ad colloquia & riſus, appetitum ad comedendum, aut etiam dormiendum, juxta quod fuerint in ſumentibus humorum diſpoſitiones. Sunt autem liquores & confectiones hujuſcemodi in vaſis porcellaneis, inſcriptis diverſis eorum nominibus, ut pro diverſitate hoſpites aſſumant.

Cæterùm diſcurſibus ſcientificis, moralibus, politicis, præcipuè verò Poëticis confabulationibus tempus conſumunt donec meridies accedat, tuncq; paratur illis Jentaculum ſatis lautum, adjectis fructibus, alijſque dulcibus edulijs conplurimis. Abſoluto illo ſumunt Cahue, aut Ciai, quem liquorem ex herba Te conficiunt. Semper autem Tabacum & ante, & poſt prandium uſque ad cænam ſumunt, humaniori tamen, & gratioſiori modo quam Turcæ. Vitream enim quandam habent amphoram de induſtriâ hunc in finem paratam, quam aquâ proinde frigidâ implent, illique os occludunt laminâ quadam ſphæricâ æreâ, argentea, vel aureâ, nonnunquam juxta Dominorum conditionem precioſiſſimè elaboratâ. Hæc porrò lamina in medio eſt perforata, ut per illud foramen pertranſire poſſit fiſtula quædam ærea, aliquantulum ſubtilis, quæ & demergatur uſque in aquam amphorâ incluſam. Dictæ in fiſtulæ parte ſuperiore vas quoddam latum eſt, habens os magnitudinis unius imperialis, precioſum pariter pro hominum conditione;

ditione; atque in eo tabacum ponitur humefactum, & super tabacum carbones igniti, utpote magis duraturi. In medietate autem fistulæ supradictæ, quæ propinqua est laminæ amphoram tegenti, est foramen quoddam, cui pariter alia ejusdem materiæ & valoris imponitur fistula longitudinis digiti unius. Ad hanc igitur fistulam imponitur cannula quædam Indica, & per illam trahitur fumus tabaci, malignos autem ejusdem humores trahit aqua amphoræ reclusa, ita ut hæc post quadrantem horæ, turbida & flava, bili imò non absimilis fiat, proindeque statim mutetur, & recens amphoræ imponatur. Hanc autem curiosam Persarum sagacitas adinvenit novitatem, perutili methodo, ne cerebrum grossiori tabaci evaporatione lædi contingat. Vocant porrò hoc instrumentũ tabaciGheilen, illoq; omnes Persæ cujuscunque conditionis utuntur, omnes quasi etiam mulieres, quæ indiscriminatim, & sat avidè, quâ die, quâ noctu hauriũt. Unde tabaci usus etiam apud Persas vitium magis est, quàm medicina, aut recreatio. Cannula item illa, per quam tabaci fumus trahitur, duarum, quandoque & trium est longitudinis ulnarum, utunturque ea Persarum singulariter Nobiles atque Proceres ad pompam magis, quàm ad commodum. Quantus porrò tabaci sit in Perside usus vitiosè introductus, ex eo conjectura Lector amice, quod venditores illius in sola Regia Isfahan, viginti circiter millia Tuman Regi contribuere teneantur, omissis ijs, qui in alijs civitatibus, & provincijs totius Regni sunt copiosissimi, unde non potest non ingentia Regis ærarium sumere incrementa. Inde & conijcies quantitatem & abundantiam herbæ hujus, quæ & maximæ est diversitatis in hoc Regno, præcipuum autem genus illius vocatur Muchdari, quod folia habet tenerrima, ad modum flavi serici laudabile antidotum adversùs bilim & pituitam, crescitque solùm in Chirman, sive Caramania, tabacum pulverizatum autem sumere per nares, non est in tan-

tum

tum uſui Perſis, niſi fors quibuſdam, qui ab Europæis id didicere; qui & hoc ita pulverizatum vocant purunoti, ſeu remedium naſi; alterum autem quod fiſtula trahitur ſimpliciter Tambacu omnes nominant. Figuram inſtrumenti Lectori adijcio, ut melius ejus curioſitati circa illud ſatisfiat.



Abſumpto igitur tali jentaculo poſt meridiem liberum eſt hoſpitibus manere in converſatione, aut aliam ſibi eligere recreationem. Quod ſi libeat quieti vacare, paratum cuilibet cubile, lectum, & famulum offerunt. Si verò horto deambulare, & ille pariter paratus erit. Mos etenim Perſis eſt etiam plebæis, amœniſſimos colere in ædibus ſuis hortos, non tam

tam ſuæ & familiæ propriæ, quam hoſpitum & amicorum recreationis gratia, quos juxta placitum tractare amant, quin imò juxta patriæ morem ad id unicè tenentur, qui hoſpites invitare volunt. Quod ſi his balneum arrideat, ijs frigidum aut calidum pro libitu parant, ſive in domo, ſive propè illam, juxta invitantis conditionem & accomodationem. Si autem hoſpitibus placeat quodam ludo recreari, eo pro libitu poſſunt, abſque tamen (quod ſua dignum eſt laude) turpis umbrâ lucri, ſic etenim ludere Perſis omnino ignominioſum putatur. Tandem ſi lectione librorum delectentur, hos paratiſſimos habent, de hiſtorijs, antiquitatibus, Scientijs, moribus, & præcipuè Poëſi, qua Perſæ ſingulariter delectantur. Hos proinde peritus quidam Ephœbus, aut ſeruus domini domûs, genibus flexis debita cum reverentia, & matura attentione prælegit, qua non minori hoſpites intendunt, ſumendo per interim temporis Tabacum, Chave, aut Ciai, ſive Te: aliquando vero & quædam puncta ex illis inter ſe controvertentes, diverſaſque collocutiones deſuper amicabili modo pertractantes. Hoc autem converſationis genus Sohbet il Kitab, ſeu recreationē librorū appellant, arridetq; magis ac cæteræ recreationes avido eruditionis genio Perſarū. Tranſactis porrò quatuor horis poſt meridiē, omnes relictis peculiaribus recreationibus, illud accedunt conclave, ubi jentaculum ſumpſerant; inibique pariter paratur menſa, more dicto in terra, appoſitis recentibus fructibus, & liquoribus, cum butyraceo pane, & omnis generis odoriferis oleribus, ſanitati & hilaritati hominis conducentibus; reſonante muſicorum Choro, qui quidem diverſi generis omnino, ac Europæi, inſtrumentis ludunt. Tunc porrò illi qui vinum bibere ſolent, ſuo ſedent ordine diſtincti ab ijs, qui vino ſunt abſtemij. Incipiunt igitur antequam cœnam ſumant fortiter bachari, & græcari; abſque ulla tamen propinatione aut ſalu-

tatione: unde eorum quilibet ab Ephœbo ſeu famulo in medio ſtante, cum aureo aut argenteo vaſe, juxta libitum ſuum libare petit, qui & ei pro libitu aureum vas, argerteumve vino infuſum exhibet; ut proinde nemo alium ad potandum cogat, ſed ſi qui ebrij, voluntariè tales efficiuntur.

Ubi tria mihi notanda occurrunt. Primùm; quod ſingulariter hæc natio inter cæteras omnes propinatione aut exhortatione ad hauſtum alijs conſueta abſtineat. Liberè ergo, & abſque ullo titulo ſe ſe ingurgitant Perſæ more ſane belluarum, uti rectè prudentiſſimus Rex Habas, de quo ſupra Articulo de Regibus, Legato Hiſpanorum inſinuârat. Relictis proinde cæremonijs, poculorum tot & tanta ſumunt, quot & quanta poſſunt: donec ſenſibus deſtituantur, & ad lectos deportati ut cadavera jaceant, cum maxima rationabilis mentis nauſea. Et hic quidem vitioſiſſimus potandi mos uſu non aberat antiquis Perſis, ut videre eſt apud Xenophontem, quibus tamen non erat cautum, ſicut eſt modernis per Machumetũ. Aſt tametſi cautum ſit, non ſolùm illud quidam generoſiſſimè bibunt, ſed & in nonnulis libris ſuis ut plurimum commendant, neſcio, quibus non encomijs & elogijs: quod præcipuè Poëtæ faciunt, qui plurima de vini generoſitate atque virtute canunt, & ſpeciali nomine Tochter Rez, in ſuis celebrare ſolent libris, quod idem eſt, ac filia uvarum; apud Perſas enim, ſicut & apud Germanos Tochter/ filiam ſonat. Et hoc nomine ſolent appellare vinum ex quadam phraſi Poëtica ad diſcrimen nominis vulgaris illius, quo ordinariè illud vocant Sciarab, quô & nomine nuncupatur à Turcis.

Secundum quod occurrit, eſt, quod tametſi Machometi lex prohibeat univerſim omnibus ſuis potum vini, nihilominus pleri que Perſarum, comprimis qui ſanioris eſſe mentis volunt, & ſunt, ſicut & ipſimet Reges atque Magnates eorum, utuntur lege

illa

illa ſecundùm placitum & commodum ſuum, & vino abſtinere nolunt, imò illud ut amicabile converſationis medium agnoſcunt, multumque pertractant. Cæterùm tamen quandoque fit Regis inhibitio, ne ullus Perſa ſub capitis pœna vinum bibere auſit: quæ verò in Chriſtianos Perſidem inhabitantes non extenditur, & hæc prohibitio rigoroſiſſimè à Perſis obſervari ſolet. Unde colliget amicus Lector, quomodo Perſæ magis ſui Regis legem, quam Legislatoris Machometi ſancita obſervent. Fit autem quandoquidem hujuſcemodi à Rege prohibitio ex motivo politiæ ipſorum, aut inſtaurandi in Regno Regiminis, & magis ſobriam militiæ inſtitutionem, ut proinde Perſæ non ſoleant de die plerumque bibere vinum, quippe quem ſerijs impendendum prudentiſſimè exiſtimant; ſed de nocte in cæna, quam quieti & recreationi aptiorem ſentiunt.

Tertium notabile eſt, quod ſint Perſarum aliqui Prophetæ ſuis legi magis addicti: quàm ut ſervent ſeu potius ſervare credantur, & tamen vini fruantur delitijs, ridiculoſum excogitârunt medium. Etenim poſtquam bene debachati fuerint, ceſſantes à vino jugiter ora manuſque aquâ lavant, ut ita mundentur ab infectione vini, & Machometicæ legis ſuæ rei non habeantur. Idem faciunt, cum gutta aliqua vini in veſtimenta deciderit, quæ ſedulo lavant ea in parte, ubi vinum ceciderit. Sentientes omninò per lotionem membrorum exteriorum ſufficienter deleri prævaricationis maculam, & per aquæ lotionem ne dum corporis, ſed & ſpiritûs ſeſe ſortiri munditiem, prout & alibi de hac eorum ſuperſtitione dictum eſt. Sunt ergo ſepulchra dealbata intus fœtentia & impura, de quibus jam olim Chriſtus puritatis auctor dixerat. His Lectori notatu datis ad eorum pergamus Perſarum converſationem, qui mutuam, vino tamen abſtemij, colunt amicitiam.

Hi ergo qui magis Machometicæ dediti legi vinum non bibunt, quin & bibere abhorrent, bibunt præfatos liquores, quos Scerbet vocant, præfataſq; ſumunt confecturas, in modum pillularum paratas, quas & Magiun nuncupant. Porrò ut illorum ſpiritus excitentur, & hi tam animo quàm capite calefiant, omni ſtudio ſatagunt, non minus atque ij, qui mero ingurgitantur; bibuntq; ideo liquorem quendam & ſanitati valde noxium, & guſtui omninò ingratum, quem Chocnar vocant: eſtq; ſuccus radicis pomi granati mixtis alijs quibuſdam aromatibus: & ſicut Cahuc præparant illum cum aqua calida, eodemque modo ſumunt. Succus autem niger eſt, ut ille, & par felli amariſſimus. Sed & præter iſtum liquorem ſumunt Opium tam in convivijs quàm extra, cui quidem ita aſſueſcunt, ut vitioſum habitum aſſumentes, de die potiùs omittant panem, quam Opium, cujus & ſubinde integram dracham ſumunt, unde quidem ſubitum & notabile corporis incommodum non ſentiunt, niſi quod poſt aliquantulum temporis temulenti fiant & ſomnolenti, ut vulgaris etiam inter eos inde orta ſit objectio, quâ invicem vocare ſolent Turiachi, ſeu opij ſumptores, quod idem juxta eorum phraſim eſt, ac ſi ſeſe temulentos dicerent. Cum interim inſani illius eſu, ſeſe animoſiores fieri, præter omnem rationem & propriam experientiam exiſtiment, & ad omnia belli pericula generoſiores evadere ſe credant. Cùm imò Turcarum tyrannus magnus bellũ geſturus militũ delectum facit, totum ferè Regnũ opio exſpoliat in conciliandam militibus ſuis generoſitatem. Unde tam in Perſide quàm Turcia largiſſimè abundantiſſimeq; ſeminatur papaver, ex quo fit opium. Et facilè crediderim, quod ſi etiam in aliquibus partibus Europæ, Germania nimirum & Italia coleretur papaver, haberetur utiq; opium perfectũ, ſine adulteratione artificioſa, quâ mercatores vitiant illud turpis lucri gratia, & ſic vitiatum ex Aſia minori, quæ non minus frigida eſt, ac ipſa Germania, in has partes afferunt, & divendunt. Ho-

Homines igitur hi deperditi, ut hac in vita vinum fugiant, & ebrietatem ab illo, indecentesque actus inde orituros, spem suam refundentes in vitam alteram, in qua affluenter omnibus sint fruituri, epulisq; omnigenis, & pulcherrimarum (ut somniant) puellarum per Machometi gratiam conversationibus delectandi, sumunt hac in vita, quæ pejora efficiunt ipsis, quam vinum inordinatè sumptum. Ille enim liquor ex Choc nar, & ille Magiun ex opio taliter eorundem alterant mentem, speciesque perturbant, ut omninò stolidiores ineptioresq; magis disparata loquantur, quam mero ebrij; unde & ab his derideri solent, & ut plurimùm illudi: sine tamen ullâ verborum aut armorum offensione, quam (quod mirum est) ipsa sua in amentia singulariter cavent, ut quid barbarum & inhumanum. Omnia proinde dicta aut facta, joco & hilaritati vini adscribunt, succisve & liquoribus à se sumptis, omniaq; manent die illa & domu sepulta, nullâ factâ reminiscentiâ eorum sequenti die, aut alibi locorum, quæ successerant. Edicens porrò talia pro infami & infideli habetur viro, & defectus ex amentia mentis contingentes humanitate tegere nescio. Singulariter autem politicum hoc silentium observatur circa gesta in Regis mensa. Is enim subinde vino captus, hilarius cum Satrapis Proceribusq; jocatur suis, quæ indiscreto Regiam dedecere viderentur Majestatem, puta saltando cum suis Magnatibus, vel stando coram illis (quod Persarum Regibus insolitum est) aut poculum vini manibus proprijs illis dando, aut jubendo ut inserviant mensæ, colluctationemve inter se habeant, visurus quisnam eorum fortitudine præstet; & jocoseria hujusmodi plura, quorum & ipse quædam pro vini audacia præstabit. Hæc inquam arctissimo tenentur secreto, rigidissimoq; sub capitis pœna sigillata manent silentio. Unum factum præsentis Regis addiderim. Jusserat semel hic prout & ipse vino jussus erat, senem illum supra sæpius memoratū Sceich Ali

Chan, ſuū Hedima Dolue, unicum Machometicarum ſuperſtitionum aſſeclam, luctaretur quantocius cum Satarapa quodam. Ut porrò ſeniculus Monarchæ ſui adimpleret juſſa, æmulum aggreſſus luctâ cecidit. Rex autem generoſiùs eundem allocutus inquiebat. Oportebit omninò, quòd, ut viribus polleas majoribus, vinum bibas, quod lac eſt leonum, leoninisq; tandem viribus adarmeris. Is autem reſpondit; malle ſe eſſe catum ſine vino, & fidelem Machometo, Regiq; ſuo, quam bibere vinum, & eſſe leonem, ac prævaricatorem. Quo audito Rex irâ præoccupatus juſſit vinum capiti ejuſdem ſuperfundi, barbamque, quam candidiſſimam nutriebat, radi, tandemq; aulâ pelli, cum vetito ultra ne accederet: prout & pulſus erat, ultra non accedens, ſed menſibus ſex in continua Regis indignatione domi ſuæ detentus. Donec Regis mater ſupplex filio eſſet, recordaretur quantocius ſenectutis & fidelitatis Miniſtri ſui; qui proinde in gratiam genitricis priſtinos eundem ſuſceperat in favores, habitumq; contulit officium, hoc tamen eidem proteſtatus. Tu equidem, qui talem perveniſti ad canitiem, ignorare ultra non auſis; quantæ bonitatis valoriſque ſit generoſus hic liquor. Putaſne (inquiebat) te fors habiturum in paradiſo, quod melius, aut nihil horum fuerit? etenim ſi hoc in vita prohibetur vobis (nota Lector, qualiter per ly *vobis* excipiat ſe Rex à legis obſervantia) vinum ut quid malum, quâ ratione licitum erit illic, ubi malum nullum permittitur? Porrò is Hedima Dolue, ut Regi complaceret, adpromiſit, ſe juſſa & hic & ibi (utique in inferno apud Machometum ſuum) facturum. Quæ dum occaſionaliter dixi ad ſcopum revertar, oportet. Hoſpites ergo illi, qui mero alijſq; liquoribus & confecturis utuntur, nullam non effunduntur in hilaritatem, magis ad id faciente jucundiſſimo muſicalium inſtrumentorū ſono, omiſſaq; omni, ut dictum eſt, cujuſcunque offenſione. Subinde autem, & ego ex amicitiæ obligatione

tione adesse debebam hujuscemodi eorundem conversationi, & ubi fueram, sua in factione quilibet me habere conabatur. Qui verò ego juxta justum rationis dictamen adhæsi cui adhærendum judicavi, & sæpius quidem servatâ discretione cum his, qui vina libabant, conversabar, non nullamque socijs causaveram complacentiam. Deriserã cum his æmulos eorundem vini osores, eramq; argumentum adversùm ipsos: ita, ut quibus adhæseram, dicerent. En compatriota & socius noster Europæos inter est educatus & eruditus, quibus longè præstantior est sapitia, ac nostra, vinumq; placet, ut melior & sanior sanitati liquor, qui & id ipsum ut quid potabile sanâ mente assumit. Factio igitur & secta vestra, nunquid non inanis, insana imò reputanda sit. His similibusq; jocis consumunt horas usq; ad cœnæ tempus, quæ in nona, aut minus decima noctis, plus minusve juxta anni tempora haberi solet. Tunc verò ablatâ mensâ primâ nova ponitur diversis referta cibis,quos simul & semel pro more suo per se deferunt, & paropsides semper habent coopertas, aliquas quidem grandiores, ut vir ex culina portandis nullas non vires debeat adhibere. Ciborum porrò hujuscemodi, & minorum universim quadraginta,aut quinquaginta, nonnunquam verò pro hominum conditione, centum usq; optimo ordine in mensa collocantur, taliter quidem, ut paropsis una ex cibo solido, quem dicunt Pilau, secunda verò ex liquido, multiplicis generis apponantur hinc inde; assidentibus in medio juxta mensæ capacitatem, pluribus paucioribusve dapiferis, qui mediantibus Ephœbis ordinatim distribuunt cibos, eosq; cuilibet sigillatim. Antequam porrò cœnam hanc accedant, cuilibet hospitum apponuntur quatuor aut quinq; porcellanea vasa minora, diversis herbis & aromatibus repleta lactucarum vice, suntq; in eorundem aliquibus, succi limonum, pomo granatorum, citrinorum, atq; similium, quos cochlearibus sumunt, quæ ex odoriferis lig-

nis

nis facta ſunt, pretioſa & elegantia, quibuſq; tantum pro liquidis cibis utuntur. Sumunt autem ſuccos hoſce, ut appetitus ſit ciborum expeditior, & digeſtio facilior.

Porrò Perſis in more eſt, dum comedũt, nihil bibere, ſed ante: ſicut & poſt, nihil niſi Cahue, aut Te, vel tabacũ ſumere, quæ omnia ad digeſtionẽ juvare, vinũ verò ſtomacho jam cibis onerato obeſſe ſentiunt. Porrò & antequam hæc ſumant, finitis edulijs manus lavare ſolent, & ora, roſaceâ calefactâ aquâ, quam Ephœbi in promptu aut ſervi habebunt. Tunc item accedunt, qui prætioſa geſtant thuribula ſuavi odoramentorum genere fragrantia. Factâ porrò lotione potu abſtinent, ſolo, ut dictum, Chave, Te, & tabaco contenti. Tandem verò, qui primus hoſpitum eſt, aſſurgit gratias referens hoſpitanti, quod & cæteri juxta ordinem ſuum non omittunt. Quem porrò convivium facere proximè contingunt vices, ſupplex hortatur omnes, ut manè craſtino in ſua declinare dignentur habitacula, ſumpturi pariter panem amicabilem, & mutuas capturi converſationis vices. Inſinuant ſe tum quibus comoditas & placitum eſt veniendi. Quamvis & præter has invitationes prævias, alias inviſentibus ſe juxta conditionem ſuam, aſtruere Perſæ ſoleant epulas. Cùm ſervis autem & luminaribus, pluribus paucioribuſve, poſtquam amicis hoſpitantibus valedixerint, diſcedunt. Cæterùm æſtivo tempore diverſis quà cibis quà recreationibus fruuntur, quam hiemali; prout & diverſis in hoc, quam verno, quod idem eſt de autumnali. Deniq; mulieres, non ſolùm nullam poſſunt cum hoſpitibus habere converſationem, ſed neque publicè ante eos apparere audent. Rariſſimis imò vicibus mariti proprijs cum uxoribus edunt. Zeloſiſſimi nempè hoc ſunt in paſſu Perſæ ut alibi dictum. Ut autem Lector ſelectiorem habeas de eorundem cibis, modoque comedendi notitiam, ſequenti Articulo declarabo.

ARTI-

ARTICULUS VIGESIMUS QUARTUS.

De cibis Perſarum, modoque condiendi eos, ſicut & de ſolennitatibus conviɥalibus in cibis & menſa Regia.

PRæter ciborum multitudinem, lautitiémque, ut dictum, ſingulares faciunt Perſæ ſumptus, ad condimentum, quod ex odoribus & aromatibus abundantiſſimè præſtare ſolent; maximè ad condiendum cibum, quem Pilau vocant, quo & ſummopere delectantur. Et non abs re. Cibus enim ſubſtantioſus eſt, ſanuſque, fit ex riſo, ita induſtriè, juſculo carnis & butyro decoctus, ut & grana ſingillatim numerari poſſint, appareantque quaſi cocta non eſſent. Unde hordeum hominis vocant, cæteros vero cibos & edulia paleam. Etenim, inquiunt, ſicut equus delectamentum & ſaturitatem plenam non niſi per hordeum habet, ita & homo non niſi ex Riſo ſeu Pilau decocto: Unde quamvis in convivijs ſuis lautiſſimi ſint, & magis qualitatem quàm quantitem ciborum obſervantes, rati potiùs illam eſſe congruam ſanitati quam hanc, magisque in ea monſtrari magnificentiam & hoſpitalitatem, in quantitate verò non niſi vitioſam affectationem; licetque duplo plus inſummant in convivijs quam cæteræ nationes (nam excepto indicibili luxu faſtuque eorum circa familiarium famulorumque inceſſum, equorum ornatum, domuumve ſtructuram, & delitioſas earundem ſuppellectiles) eſt nihominùs frequens Conviviorum luxus, ita ut in his multa prodigaliter inſummant, totam imò annuatim ſubſtantiam ſuam vix abire non faciant; unde Magnatum plerique etiamſi ingentes habeant redditus, ut plurimum tamen ſunt debitores, idque ſibi in gloriam adſcribunt non curantes multum deMamona iniquitatis, niſi ut illa ſibi faciant amicos, fruanturque cum eis.

Porrò ad cibos redeundo, laudabilis ſanè eſt confecturæ Pilau. Quando enim à paropſide cooperculum ablatum fuerit, tam ſuavis inde evaporat odor, ut omnes ſpiritus mira cibi illis energia recreentur, & omnis appetitus, ſi etiam aliunde non ſit excitetur. Cibum ergo hunc dum calidus eſt, comedunt una manu, dextra ſcilicet, ſiniſtra ſemper libera, ut poſſint neceſſaria cætera eâdem arripere. Porrò manum qua comedunt ita implent, ut magnam cibi copiam ad os deferant, eaque veluti cochleari utantur, etiam Rex ipſe eorum. Cumque comeſtioni finem imponunt, quantùm poſſunt, implent cibo illo manum, totum ſimul & ſemel ore capientes: vocantque hanc ultimam ſumptionem Sciach Ticheſi, quod idem eſt ac pars, ſeu portio Regis: nempe quod ſumant in obſequium ejus, cujus & gratia fatentur ſe habere ea, quibus fruiti ſunt, quibuſque amicos ſuos tractare poſſunt. Igitur eo fere modo comeſtioni ſuæ in Regis honorem finem imponunt, quomodo Germani potui ſuo in venerationem & benedictionem S. Joannis.

Cœterum cibum hunc diverſimode condiunt, & pro condimentorum diverſitate nominant. Cum enim coquitur cum gallinis; dicitur Tauch Pilau. Si cum pernicibus vocatur Keklik Pilau. Si cum columbis, dicitut Goghercin Pilau. Cum coturnicibus, Beldircin Pilau, ſimiliter ſi cum Phaſianis, attagenibus, Turdis, anſeribus, anatibus Gruibus, alijſque id Generis volatilibus paratus cibus iſte; ſicut & cum agniculis, coctus, dicitur Guzu Pilau: aut cum herbis odoriferis in juſculo ovinæ carnis dicitur Scivit Pilau: cum uvis paſſis, Chiſc-miſc Pilau: cum Sacharo & Croco pariter in juſculo ovinæ carnis, vocatur Sari Pilau, quod idem eſt ac flavus, ſeu Scecher Pilau, quod idem ſonat ac ſacharaceum riſum. Juſculo autem carnis bovinæ aut bubulæ non coquunt eum. Cœterum parant & illum eum ceraſorum Succo & fit coloris rubri, aliquantulum acer: vocantque eum Gulinar Pilau: aut cum ſucu pomi Granati, & tunc pariter acer eſt, & niger. Alijs denique jam plurimis conficiunt modis, eſtque ſingularis varietas & curioſa raritas viſu, in Regis menſa de cibo iſto, cum eam ſolemniter parari jubet. Sed

& con-

& condiunt illum, præter aromata & odores aqua roſacea cum juſculo delicatiori avicularum ad majorem ei addendam fragrantiam,& magna denique in ejus coctione requiritur induſtria. Unde & artem coquinam permulti æſtimant Perſæ. Potiſſima ergo vaſorum copia diverſis hujus generis Pilau erit repleta. Habent & vaſa ad cibos argentea vel ærea, ita quidem deargentata, aut arte dealbata, ut vero æquiparari argento poſſint: Et hæc quidem vaſa majora ſunt. Plura cœtera minora utcunque etiam ex argento aut ære, pleraque tamen ex maſſa porcellanea: ex auro vero nihil niſi pocula & vaſa, quæ vino inſerviunt; & vaſa ſeu Scutellas potius, quo ſputa conijciunt. Sunt autem hujuſmodi vaſa ſeu Scutellæ majoris profunditatis, oris tamen minoris, tanti quidem, quantùm ſufficit ut homo in illud ſputum conijcere poſſit. Porrò tale vas quilibet hoſpes habebit ante ſe, ne in terram, quam utcunque prætioſe ornatam habent, exſpuere cogatur. Unde & vocantur hujuſcemodi vaſa Tifildan ſeu exſputatoria.

Denique vaſa hujuſcemodi innumera in Regis aula omnino aurea ſunt, & ingentia, cum operculis ſuis, ſicut & omnia illa quibus cibi hoſpitibus tribuuntur, ex argento vel porcellana rariſſima. Horum in curioſiorem notitiam faveat tibi lector amice conſulere nobiliſſimum Romanorum peregrinum de apparatu menſæ Perſarum Regum, quod quidem ita conſcripſit ille, uti tanquam hoſpes & peregrinus facere poterat, & in illis circumſtantijs viderat, in quibus primus Habas Regis menſam intuitus erat, non niſi ſub caſtris & in peregrinatione, talique quidem tempore quo non tantum ſplendorem, faſtum, & pompam exhibuêre Reges, uti modo pro abundantia divitiarum ſuarum, quam ſortiti ſunt juxta annorum tranquillitatem & pacem, exhibere ſolent. Tu interim ex ungue leonem conijce, & quæ author iſte de Regiæ menſæ faſtu ſcribit bene pondera. Sic ergo in ſuo idiomate promit. (*a*)

(a) *Petrus De La Valle. pag. 535.*

Non alloggiavà più il Rè vicino à quel colle, dove dissi di haverlo trovato da principio: mà si era ritirato presso ad un giardino delle ultime case della Città. Quivi in campagna aperta, mà vicino alle mura del giardino, havea teso un padiglione, di quelli che chiamano scervanli, cioè all' uso della Media: che sono di forma lunga, e tondeggianti nel cielo, quasi à guisa di gallerie. Di fuori, son di feltro; e perciò molto buoni à riparare, tanto il fredo, e la pioggia, quanto il caldo, & il sole. Questo del Rè era colorato à lista di trè colori; cioè, una lista cremesina, & una gialla; una cremesina, & una verde; e così sempre alternatamente: essendo le liste tanto larghe, quanto è largo il feltro. La sua lunghezza, mi parve, che fosse quanto un tiro di arco punto in bianco: però la lunghezza, e la larghezza, meglio la comprenderà VS. da quel che appresso dirò. Dentro à questo padiglione: che era strato tutto di finissimi tapeti, erano preparate in terra due mense, con tovaglie di broccato molto ricco; pari, e lunghe da un capo all' altro del padiglione, una da una parte, & una dall' altra della sua larghezza. Non erano preparate per cena: mà solo per trattenersi à bere in conversatione: e però erano imbandite solo di cose à ciò à proposito: come frutti, pistacchi salati, cedrivoli, e simili galanterie da loro usate à questo effetto, messe in piatti grandi: una sola fila de' quali, mà molto spessi, e stretti insieme, ricopriva le tovaglie, i piatti erano tutti coperti: & al solito, d'oro, e d'argento: mà quelli d'argento erano pochi. Oltra dei piatti, v'erano per tutto sopra le mense, da una banda, cioè dalla parte di quei, che sedevano, una quantità di quei vasi coperti, che altre volte hò descritti, per mettervi dentro le scorze, e le immonditie; e dall' altra banda, una mano di caraffe, e di fiaschi, e d'altri vasi grandi di di-

verse sorti, i quali, tanto quei di una parte, quanto quei dell'altra, erano pur molto spessi, e stretti insieme, disposti, e framezati co' piatti grandi, con quest'ordine: un piatto, e due vasi, e così sempre per tutto: & erano i vasi ancora tutti d'oro, con alcuni pochi d'argento, à luogo, à luogo. Di più di queste due mense, che erano stese, come hò detto, alle bande del padiglione, occupando tutta la sua lunghezza; ve n'era un'altra in mezo, di simile lunghezza, larghezza, e con simili tovaglie di broccato addobbata: è tanto lontana da amendue, quanto da una parte, e dall'altra vi fosse luogo da passar gente innanzi, & indietro per servir, cioè luogo per due persone al pari. Questa terza mensa di mezo, non era per sedervi i convitati; mà per ornamenta, per tenervi il vino, i vasi da bere, i lumi, & in somma per quello apparato, che noi altri usiamo di far nelle credenze. Era però piena tutta da capo à piedi d'una infinità di vasi grandi, e piccoli di diverse sorti, quasi tutti d'oro più belli di quell'altri, che stavano nelle altre due mense, e tanto spessi, e stretti un con l'altro, che la tovaglia non si vedeva punto. Vi erano candelieri grandi, e di varie foggie, con lumi, i vasi grandi in forma, quali di fiaschi, quali di boccali, quali di brocche da barbiere: tutti veramente di manifattura semplice, e di poco buon disegno, che mi parve un peccato: e non sò se avuenga, perche i maestri di questi paesi non sappiano fargli meglio; ò perche il Rè non voglia spender, e perder denari nelle fatture: poiche tiene questo tesoro, e se lo conduce sempre appresso, non solo per ornamento della sua casa, e de' conviti: mà anco per servirsene, se bisognasse in un'occasione, v'erano anche molti bacili, pur d'ore, grandissimi, e pieni tutti di tazze da bere di diverse sorti, e di varie forme: & erano tante che in ogni bacile ve ne era almanco una dozzina, & in tal'uno più di

venti. Trà l'altre cose più notabili, vi era un rinfrescatoio pieno di neve, e di fiaschi d'oro con vino nella neve in fresco, il qual rinfrescatoio, era di forma quadra, alquanto lunga, à guisa d'una cassetta, overo una cuna di miglor fattura, e disegno, che l'altre cose, con certi balustretti, & altri ornamenti galanti. Era pur tutto di oro, e tanto grande, che due huomini, credo che con difficoltà l'haverebbero alzato. Questo pezzo solo, senza i fiaschi, che v'erano dentro, il Padre F. Giovanni (qui fuit Carmelita, & fundator domus suæ Religionis in Regia, & valdè fuit à Rege isto amatus, ut sæpè illum voluerit habere sibi commensalem) & io, lo stimammo di peso di vinti mila zecchini, poco più, ò manco, da che VS. potrà argomentare il valor di tutto il resto, havendo inteso, che un padiglione così lungo, era tutto pieno da capo à piedi, à trè ordini di cose così fatte. In capo alla già detta mensa di mezo, dove erano le cose migliori, v'erano molti vasi, e tazze grandi da bere, in mille foggie strane, tutti giojellati: e particolarmente alcuni con quantità di diamanti, che rilucendo al lume delle candele, apparivano non men belli alla vista, che ricchissimi. Il padiglione da una banda della lunghezza, cioè da quella, che guarda alla campagna, era tutto aperto dal mezo in giù: di maniera che co' molti lumi accesi, che vi erano dentro (perche il convito fù di notte) assai di lontano si poteva goder la vista del bell' apparato, e scorger lo splendore dell'oro, e delle gioje. Dalla medesima banda del padiglione, è lontano alquanto, con lasciare in mezo una larga strada: era tesa ancora in alto da una lunga, & ugual fila di tende aperte, cioè di quelle, che chiamano Saivàn, ò come più correttamente scrivono, e pronontiano i dotti, Saiebàn, quasi ombraculi, e che non cuoprono, se non di sopra verso il cielo sostenute dalla parte di dietro, ch'era verso il padi-

glione da molte baſte altiſſime, e dalla parte divàn, ò di fuori, che inchina alquanto più baſſa dalle corde appuntate, come ſi uſa in terra. Queſta fila di tende, non ſolo correa per lungo al pari del padiglione da capo à piedi: mà girava anche da piedi, abbracciando, per dir così, il padiglione da due parti, con la medeſima diſtanza interpoſto: e le tende erano tutte uguali di altezza, e di lunghezza, e di belliſſimi fogliami, come ſogliono eſſer dentro i padiglioni Perſiani di tela. Sotto à queſte tende, che pur'erano ſtrate in terra di tapeti, vi erano ſteſe due altre lunghiſſime file di tovaglie di drappo di ſeta ſenza oro, e ſenza alcuno apparato ſopra le tovaglie di vaſi d'oro, ò d'argento, & à queſte due lunghiſſime menſe, prima che compariſſe il Rè, furono fatti ſedere, e cenare, tutti gli hoſpiti, e convitati: imbandendo le menſe, molto piene da capo à piedi di gran piatti d'argento, e d'oro, con piramidi altiſſime di piluo di varie ſorti: cioè, bianco, nero, giallo, dolce; con ſpecie, con carne, con polli, con uccellami, e ſimili altre vivande calde all'uſanzu loro condite tutte regiamente ſecondo il lor coſtume. Fù portata la vivanda dai paggi, de' quali ne aſſiſteva fuor delle tende una lunghiſſima fila in piedi, e ſenza moverſi alcuni di loro dal ſuo luogo, facevano, come hò ſcritto altre volte, caminare i piatti fino alle menſe, porgendoſegli l'uno all'altro. Sopra le menſe poi gli ponevano, & accommodavano diverſi altri paggi, che in mezo alle menſe trà l'una, e l'altra andavano caminando, e ſcorrendo dove biſognava, e di comandare ai paggi, e di far ufficio di ſcalchi, havevano penſiero alcuni ſervidori de' più grandi del Rè.

ARTI-

ARTICULUS VIGESIMUS QUINTUS.

De famosioribus Persidis Civitatibus, præcipuæ de Isfahan, nec non superbissimis ejus ædificijs, hortisque delitiosis.

QUam Persidis Regio, laudatissimis gaudeat civitatibus Pulcherrimisque adeo certum notumque lectori puto, ut singularia desuper referre, supervacaneum jure ducere possim. Ut tamen vel pauca commemorem, tres inter eas dicuntur Deril Saltanea, seu portæ Dominij, scilicet in quibus Rex ut absolutus Dominus residere potest soletque Prima harum est Isfahan, secunda Ghaziuin, tertia Taurez. Porrò ante primum Habas solebant in Ghazuin residere Persarum Reges, donec præfatus Habas, uti erat vir omnis novitatis & curiositatis amator, monstrum imò prudentiæ & sagicitatis naturalis, deservit illam, regiamque in Isfahan sibi collocavit sedem; quidem illa præstantior, & præstantissima imò qua Climatis benignitate, qua aquæ & aëris salubritate, situs amœnitate, fructuum florumque varietate, terræ fæcunditate & omni vinorum abundantiâ generosissimorum præstantissima. De ædificiorum in eo contentorum Magnificentia Elegantia atque splendore, nec non de hortorum amœnissimis delicijs, aquarum, fontium, & piscinarum jucunditatibus parum dixerim, quippe quod dictum sufficiat in his civitatem memoratam, omnes reliquas quantæcunque in toto Oriente sint elegantiæ, longè antecellere. Sed & Europæ civitates per multæ ei cedunt; neque videar exaggeratione plus nimio audaci verba facere, & civitatem multorum oculis non visam, veluti cœco colorem depingere, legatur quod acceptatissimus author refert, peregrinus ille Romanorum Petrus della valle, qui & exactè de incomparabili magnificentia & amœnitate civitatis hujus, suam prosequitur descriptionem. Parte prima Persidis pag. 46.

Sed

In quanto alla grandezza, quel ſolo che propriamente ſi chiama Sphahan, non ſarà manco di Napoli, ò molto poco: mà ci ſono di più trè altri luoghi nuovi, fatti dal Rè in poca diſtanza Sphahan intorno. Uno è il novo Tauris habitato dalle genti traſportate da lui quà fin da Pauris: hora tuttavia, non più nuovo Tauris, mà vuole il Rè, che ſi chiamî Abbàs Abàd: cioè, dal nome di lui, Bolonia di Abbàs. L'altro è la nuova Ciòlfa: e ſon tutti chriſtiani Armeni mercanti ricchi: e queſte traſportationi le hà fatte il Rè da più luoghi, per non laſciar quelle genti à i confini de Turchi con pericolo un giorno di perderle. Dove hà potuto nei confini hà deſertato i paeſi: e le genti le hà condotte quà nel centro del Regno, dando loro altre terre: con che ſi aßicura di haverle per ſempre, e viene à far più grande, ricca, e bella queſta Città di Sphahan, la quale egli primo di tutti i Rè ſi hà eletta per Sede, & in eßa per le continue fabriche, e ſpeſe, che ci fà, ſi vede, che hà poſto ogni penſiero. Il terzo luogo vicino è quello, dove habitano i Gauri, cioè infedeli, idolatri: e l'animo del Rè, per quello, che già ſi vede, è, che tutti trè queſti luoghi ſi uniſcano con Iſpahun, e ſi facciano uno, e ci ſi attende gagliardamente: e già la fabrica è tanto innanzi, che non molto ci manca, ſovuenendo egli quello biſogna di terra, e di denari per fabricare: e quando ſia fornita ſarà ſenza dubbio Sphahan più grande di giro, che Conſtantinopoli, benche non coſi alte, perche ſi habita per lo più al piano del terreno: & in ſomma, per Levante, ſono aſſai buone; mà ſopra tutto i Bazari non poſſono eßer migliori di di buoniſſima fabrica, grandi, in volta, eguali, e con ordine aſſai buono di architettura: ſono anche aſſai molto pieni di robba d'ogni ſorte, e molto ben diſpoſti à luogo per qualſivoglia mercantia, con gran commodità di chi hà da comperare,

e far

e far negotij. Ci è poi quantità grande chieruàan-ſeràì per foreſtieri di ogni ſorte, e molto grandi, e di fabrica aſſai buona, & ornata, & in queſti, da i quali ſi cava groſſa entrata, mi par, che tanto il Rè, quanto i particolari pongano ogni loro ſtudio, & artificio di fabrica. In particolare poi, non vi ſono meſchite, come quelle cinque ò ſei fatte da Turchi in Conſtantinopoli: mà ci ſon ben due coſe, che al mio parere, à tutte quelle di Conſtantinopoli, & à qualſivoglia della chriſtianità, non ſolo poſſono paragonarſi, mà nel lor genere ſenza dubbio portano vantagio. Una di queſte è il Meidàn, e piazza maggiore, innanzi al Palazzo Reale; lunga circa à ſeicento novanta paßi dei miei, e larga intorno à ducento trenta, e tutta attorno attorno di un medeſimo ordine di architettura, eguale, giuſto, e non mai interrotto, nè da ſtrade, nè da altro, fatto à portici grandi, e piani ſotto di botteghe con diverſe mercantie, diſpoſte per ordine à luogo à luogo, e ſopra con balconi, e fineſtre con mille ornamentini molto vaghi, la quale unione di architettura così grande compariſce tanto bene all'occhio, che, quantunque le caſe di piazza Navona ſiano fabriche più alte, e più ricche all'uſanza noſtra; nondimeno per la diſcordanza loro, e per altri particolari, che dirò del Meidàn di Sphahàn, jo ardiſco di anteporlo alla ſteſſa piazza Navona. Intorno al Meidàn, da tutte quattro le parti corre non lontano da i portici un groſſo rivo di acqua, tirato ad arte dirittiſſimo con le ſponde à filo: dentro al rivo, gita un paſſeggiatojo di pietra per la gente à piedi, aſſai pulito: e fuori del rivo verſo i portici camina un'ordine ſpeſſiſſimo, & ugualiſſimo di alberi da verdura, che quando trà pochi giorni haveranno le foglie; credo che ſarà la più bella viſta del mondo. La piazza poi tutta in mezo è coperta di ſcaglia minutiſſima, che è ſempre aſciutta: e per correre, e

giocar co' cavalli, non può esser migliore. La porta del Rè stà da una banda delle facciate lunghe, à due terzi della lunghezza, & à dire il vero, apparisce più tosto vaga all'uso loro, che magnifica. Poco più giù è la porta delle donne, mà non è ancor fornita. Incontro à quella del Rè, dall' altra parte è una Meschita con faciata, e cupola come usano, fatta di majoliche fine, dipinte in varij modi. Da capo, e da piedi, c'è da una banda un'altra gran meschita, che stà adesso in forsi: e dall'altra verso i Bazàri, una bella prospettiva corrispondente con due loggie in alto sopra i portici, nelle quali la sera stanno sonando due mute di strumenti bellici, una alla Persiana, e l'altra alla Turchesca, che certo è bel sentire; e son tali, e tanti, che non ostante la grandezza della piazza, per tutto si odono assai ben rimbombare. L'altra cosa notabile di Sphàhan è una strada, che adesso è fuori della Città: mà quando questi quattro luoghi saranno insieme uniti, e fatto uno, come hò detto, sarà dentro, e giusto in mezo di tutti quattro, molto à proposito. Questa strada è lunga due, ò trè miglia, e larga forse due volte quanto quella di Ponte Molle di Roma. Nel suo principio verso Sphàhan, ci è fabricata in Isola una piccola casa quadra piena tutta di balconi, e finestre, con pitture, & altri ornamenti; fatta solo per veder di là, e scuoprir d'alto tutta la sua lunghezza, & à questa casa ci si viene per un corridore del palazzo del Rè. Di quà, e di là della strada ci sono muri egualissimi diritti, e dentro a' muri giardini, li quali fin' à meza strada sono del Rè, e si tengono publici per chiunque vuole entrare à passeggiarci; e de' frutti ancora, che ce n'è infinità, con solo un poco di cortesia, che si dia al Giardiniero, ne può pigliar chi vuole. A luogo scompartite con ordine eguale una incontro all'altra, ci sono da tutte due le bande le porte di

questi giardini; mà vaga, e fatta solo per delitie, & per commodità di chi volesse mangiarci, ò cosa simile. Molte, e molte son queste case con facciate assai capricciose, e così ben compartite, e così ben corrispondenti una con l altra à coppia à coppia, secondo che stanno incontro, che non si può veder cosa più gratiosa. Di più, di quà, e di là, tanto di fuori de' muri nella strada, quanto dentro ne' giardini ci sono ordini interrotti, & eguali di alberi spessissimi, che con la loro verdura fanno quel accompagnamento, che VS. può pensare. Oltra di questo, à luogo à luogo, dove sono le case più belle, stan compartite in mezo peschiere grandissime di acqua in diverse forme stravaganti; mà tutte senza parapetto, e con l'acqua, che viene sin' al pavimento della strada, lasciando dalle bande ampio luogo da passare à piedi, & à cavallo. Queste peschiere, le fà un rivo grosse di acqua, che corre in mezo della strada per la sua lunghezza dentro un canale ben fabricato di pietre, & in molte delle peschiere, sorgono in alto schizzi di acqua, & in altre l'acqua con certe pendenze, fà cascate bellissime, che non si può veder cosa più vaga. Il pavimento della strada in mezo, e verso i muri alle bande, lo fanno di pietre, buone à i cavalli, & à gli huomini per caminarvi; mà di quà, e di là lasciano due spacij di pura terra; per seminarci varij fiori, che, quando sarà il tempo loro, renderanno odore, e vista bellissima. A mezo giusto della strada, si trova un fiume che la traversa, poco profondo, mà molto largo, di conditione assai stravagante, e differente da tutti gli altri fiumi, perche si raduna da diversi rivi, che calano dalle montagne vicine, e poi di nuovo divisosi in mille rivi, si perde per le campagne senza sboccar nel mare, nè altrove. Sopra questo fiume c'è un ponte tutto di fa-

brica

brica di matoni largo assai più di qualsi-voglia di quelli di Roma, e lungo trè ò quattro volte più dei nostri. E di una architettura stravagantissima, con certi portici alle bande, in cambio di sponde, molto alti; & in quelli ci son passeggiatoi sotto, e sopra, per la gente à piedi, coperti, e scoperti, assai belli: mà quello, che più mi piace, son certi passeggiatoi sotto al ponte al piano delle acque sù per certe pietre messe à posta, che attraversano gli archi, che son doppi, dove l'estate bisogna che sia delitia molto grande, per l'ombra, per lo fresco, e per lo mormorio dell'acque, alle quali, acciochè facciano maggior suono, e più bella vista hanno fatto un letto egualissimo di pietre in quel luogo un poco pendente, con che si fà una cascata non men bella à vedere, che gustosa à sentire. Di alberi, di case, di giardini, e di peschiere c'è solo questa differenza, che le case, e giardini alle bande, non son più del Rè, mà di diversi huomini grandi, che per ordine suo, e per bellezza del luogo le hanno à gara fabricate. Và finalmente la strada à terminare in un grandissimo giardino, che si chiama Hazár Gerib, e Gerib è una misura di terra, mille delle quali appunto il giardino ne contiene. Si chiama altrimente il giardino (& hora la strada ancora, come jo sento) Ciahár Bagh, che vuol dir quattro giardini; perche erano già quivi quattro giardini, de quali si è fatto uno, che è quel grande in fine: e questi stanno come à gradi, uno un poco più alto dell'altro, di maniera che l'ultimo è più alto di tutti; mà per tutto si entra, e si và à cavallo commodamente. Non c'è altro nei giardini, che alberi spessissimi di frutti, piantati per ordine in fila, e tutti bassi con rami molto sparsi, che à cavallo, & à piedi si possono i frutti coglier con le mani; e son distinti, e compartiti à quadri grandi; cioè, un quadro tutti di fichi, un'altro tutto di peschi, e così tutti gli altri.

Questi

Questi giardini son del Rè; mà si tengono pur publici per chi ne vuole, e la quantità de frutti è tanto grande, che bastano, & avanzano per tutta la Città, che ci và spesso à passeggiare. Si vedono quivi viali per traverso, lunghi da ogni banda, quanto si può mirar con gli occhi: altri, per lo lungo della strada, guerniti di Cipressi. In fine poi nel più alto, ci è un grosso rivo di acqua, e di là un muro, che termina, e rinchiude tutto'l luogo. Diverse altre strade poi, che traversano questa grande in più luoghi in croce, se non tanto belle, poco manco: i rivi di acqua in tanta abbondanza, che vi corono in mezo con continuate file di alberi alle bande; & altre cose simili, che non occorre perder tempo à descriverle: in fatti conchiudo, che Giabàr Bagh è cosa Reale, e che hà molto del grande. Cedano pur con buona pace la strada del popolo di Roma, quella di poggio Reale di Napoli, quella fuori di Genova, e quella di Monreale di Palermo, perche questa di Sphahán, senza altra passione, tutte le altre avanza.

VI. *Due altre cose hò vedute in questa Città, non maravigliose, ò stupende; mà per curiosità degne di esser raccontate. Una è, che alle stalle del Rè (che è una fabrica à parte divisa, e lontana alquanto dal palazzo in altro luogo) ci è una torre, ò campanile, che vogliamo chiamarlo, di quella forma, rotonda, che usano i Machomettani alle loro Meschite, come altre volte credo di havergli descritti à V.S. e quì alle stalle, che non sò, se ci sia Meschita, forse à simil uso, ò di farvi luminarie, ò di chiamarvi all'oratione deve servire. Basta, la sua curiosità è, ch'è fabricato tutto di fuori d'alto à basso di teste di capre salvatiche, e di altri animali selvaggi, che un Rè, ò parente del Rè, che lo fece, prese, & amazzò in una sola caccia generale.*

Di

Di che, quantunque ſiano molte migliaja (che il Campanile è alto, e le teſte ſon murate ſpeſſiſſime per ordine in fila una ſopra l'altra, che tutte ſi toccano) non mi maraviglio; perche queſte caccie grandi, come anche il Rè d'hoggi ne fà, durano più giorni, e ci ſi impiegano migliaja d'huomini in cacciare, e far uſcire le fiere dalla ſelva. Mà è coſa capricciosiſſima à veder quel Campanile con tante teſte, e come, che ſporgono in fuori: inditiò in ſomma del naturale humor fantaſtico, e bizzariſſimo di tutti i Perſiani: frà i quali però non c'è hoggi alcuno, che di bizzaria, e di capricci, ſi agguagli al preſente Rè; delle cui bizzare, & inſieme ſenſate attioni (altre che quelle del Duca di Oſſuna) potrebbero ſcriver libri molto alti, & un giorno, piacendo à Dio ne racconterò à VS. più una à bocca. L'altra coſa notabile, che diceva di haver veduta, è il primo ingreſſo della Caſa Reale; dove il Rè ſuol ricever gli Ambaſciadori, gli Hoſpiti, e fare i ſuoi banchetti, e converſationi; dicò al primo ingreſſo, perche il palazzo, dove propriamente habita, e vive il Rè, ſtà lontano, molto dentro à i giardini; e là, conforme al coſtume di queſti Principi Orientali, di rado vi và mai, ne vi entra alcuno: Mà, nella gran piazza del Meidàn ſopra la porta della prima entrata (che ſi hà molto in veneratione è ſopra una certa Soglia, che vi è di legno un poco alta, neſſuno mette il piede: anzi in certe occaſioni la baciano come coſa ſanta) vi è fabricato un caſino, che, come diſſi di ſopra, nella ſua proſpettiva, & in tutto il reſto hà più del vago, che del grande. Si aſcende in alto per una piccola ſcala lumaca, che ne anche mi piace, e ſopra ſi trovano più piani, mà ciaſcun di loro non conſiſte in altro, che in una ſaletta in mezo, & attorno attorno una quantità di piccoli camerini, verſo la piazza, e

verſo

verſo la parte oppoſta del giardino una mano di balconi al lor modo da ſedere in terra, e goder la viſta d'ogni intorno. I piani, & i camerini ſon tanti, e con tante paſſate d'uno nell'altro, che i cuſtodi mi affermarono, che in tutta la Caſa ci erano cinquecento porte, le quali però ſon piccole, come tutto il reſto. La bellezza di queſta Caſa è, che tutti i muri d'alto à baſſo ſon lavorati d'oro, con miniature finiſſime di varij colori, e frà l'oro, & i colori in certi luoghi alcune graffiature ſopra il muro bianco, che fanno effetto molto vago. Tanto più, che il muro, dove è bianco, incollato con certa ſpetie, non sò, ſe di geſſo, ò di altra materia di tal ſorte, che quì fanno, non ſolo è modo ſodo, e liſcio; mà è anche tanto lucente, che pare apunto un raſo bianco; ſopra il quale, non men lo ſcuro delle graffiature, che il luſtro degli ori, il vago degli Azzuri oltramarini, e de gli altri colori acceſi, & vivi, campeggia per eſtremo bene.

Sed & complura laudabilia de hac civitate Iſphahan teſtatum exhibet At novus Athlas Mundi in tomo tertio, hæc ex relatione Holandorum perſæpe eam frequentantium referens. *Porro Herach Perſiæ magna & nobiliſſima Provincia cujus hodie Metropolis eſt Isfahan, Regis Perſarum ut plurimum aula, commercijs & annonæ copia, longè poæſtantiſſima. Ambitus cum ſuburbijs creditur eſſe duodecim miliarium, alij quatuordecim eſſe ajunt, &c.* Et quidem eſt quatuordecim & quindecim miliarium Italicorum de præſenti. Unde ſaltem conjecturare poterit lector de ſtructura & magnitudine aliarum civitatum domumque Perſidis, de quibus complurima recenſere omitto. Duo autem ſunt quæ moderno tempore conſideratu digna, & proinde hic non omittenda cenſentur. Primum eſt Sahhad Abad, ideſt: felicitatis Colonia: eſtque prope pontem illum, quem memoratus author deſcribit è regione civitatis ad alteram fluminis, quod deinde per muros illius tranſit. Locus equidem fæliciſſimus & amœniſſimus eſt, non

tan-

tantum ex naturæ benignitate, ſed etiam ex arte ſtructuræ, per quam in capite hujus coloniæ conſtructum eſt magnificum & elegantiſſimum Regis Palatium: in quo quidem tale eſt ædificij genus, quod ante illa quæ de Valle deſcripſit, longè laudes obtinet. Sunt & circum circa amœniſſimi horti cum diverſis fontibus, & multiplici aquarum ſcaturigine piſcinis. Sunt autem & cubicula regia in ſuperiori parte in quibus Rex eſſe & morari ſolet, fruiturque ibi omni totius civitatis & fluminis proſpectu. Luxus item ſtructuræ tantus eſt, tamque ſuperbus, ut feneſtræ palatij ex omni parte quâ ſe reſpiciunt, crates non ex ferro, ſed ex argento puro habeant. Omiſſis ſupellectili, & apparatibus interioribus. Sequuntur dein Palatia & cubilia ſatraparum, Miniſtrorum, Principum, aliorumque Dominorum, qui ſunt in actuali aulæ ſervitio; Sumptuoſiſſimè omnia conſtructa cum hortis amœniſſimis, qui vel maximè Perſis arrident. Unum quidem majori pompa, atque aliud juxta conditionem ſuam exſtructum eſt, prout & unum contra aliud cum amicabili quadam æmulatione reſpicit. Erit autem ordo palatiorum in longitudine ultra duo miliaria Italica. In hac ergo felicitatis colonia Rex verno ſolet tempore habitare cum Magnatibus ſuis, & in qualibet nocte cænare in palatio unius ex illis. Sed & in eo manet â præfato tempore uſque ad principium menſis Julij: quando dein pergit ad recreationes montium, ut alibi dictum. Unde in omnibus quatuor anni temporibus Rex mutat loca, juxta commodum recreationum quæ haberi poſſunt in ijs. Memoratum autem ædificium generoſiſſimus Habas ſecundus Pater præſentis Regis exſtrui curavit. Prope hanc felicitatis coloniam ſita eſt colonia Armenorum, quos ex Armenia transmigrare fecit primus ille Habas, ad majus novæ ſuæ reſidentiæ Isfahan ornamentum atque augmentum. Vocatur hæc colonia Giulpha eſtque inter hanc & illam intermedia via lata & longa à Petro della Valle optimè deſcripta. Et diſtinguitur â civitate Isfahan, ſicut & illa Sahdet Abad per flumen. Eſtque ut formata civitas exhibens forinſecus fora plateas, officinas artificibus idoneas, prout & ab ijſdem inhabitatas, independenter

ab Isfahan. Sunt & ædificia longe curiosiora & sumptuosiora quam quædam ex ijs quæ Persæ Magnates habent in Isfahan. Hi enim Domini qui sunt in Giulpha, ditissimi sunt, & maximas per plurimos factores in universum orbem exercent mercaturas, unde & ijs lucrum permagnum evenire debet, estque hæc natio Armena curiosa & gloriosa quo ad architecturas, cœterisque omnibus totius Orientis Armenis, imò etiam Persis in multis excellentior, prudentior, ditiorque. Colonia verò hæc Giulpha, non est immediate Regi subjecta, sed Matri ipsius: cui proinde quotannis quingenta tumam per Principem suum pro humilis Clientelæ munere deferri ejus incolæ faciunt. Peculiarem enim Principem habent, qui Calenter vocatur, alias etiam dictus Scehri-Iar, idest: Opitulator Civitatis. Qui proinde hujus Regimini intendit in Gubernio politico & temporali. In spiritualibus vero Antistitem habent Archi-Episcopum quendam, qui & sumptuosum habet conventum cum pluribus Monachis & Doctoribus monasticam ducens vitam: & habens sexdecim sub cura sua Ecclesias quæ sunt in illa Giulpha: cujus proinde totum clerum & populum in spiritualibus dirigit. Sed & sub se habet conventum inibi existentem, Monialium quarundam, quæ ultra quinquaginta esse solent, & in nigris incedunt, sine clausura quidem, maxima tamen in austeritate, ad ædificationem etiam infidelium Persarum vivunt. Hæ porro Christianam exhibuere hospitalitatem, per annos aliquod memorato Patri Societatis Amato, donec fundaret domum Sociorum in Giulpha. Cœterum ille Coloniæ hujus superintendens seu Gubernator Calenter plurimis fruitur privilegijs. Primum est quod esse possit, imo debeat Christianus. Secundum quod possit sedere cum alijs Persarum Magnatibus in Regis mensa debitumque sibi in aula illius locum tenere. Et similia plura. Aliquando etiam ipse Rex in ejus domum devenire solet, & inibi cum suis convivari: quod quidem contingere solet in festivitate trium Regum, in qua memoratus Armenorum Archi-Episcopus Pontificalibus indutus cum toto suo Clero, delato crucis Sanctæ vexillo & luminaribus per multis

canta-

cantatisque solemniter Evangelijs solet juxta morem Orientis benedicere aquam fluminis: ad quod proinde spectaculum Rex cum tota quasi civitate sua venire amat, tuncque ut dixi, in domo Principis memorati prandio assidere. Regi porrò ingressuro palatium & ante liminaria ejus, totamque viam prætiosissimis stratam tapetibus parant, atque in majorem Regis honorem diversim pecunias dispergunt: quod quidem non solum Armeni, sed ipsimet Persæ facere solent, cum Rex de singulari gratia sua in domibus eorundem diversorium cœperit. Præsens autem Calenter Armenorum, unici viri respectu habitus est tam Persas inter, quàm Armenos, tum ob divitias quas possidet ingentes; quibusque par est cuilibet Persarum Satrapæ, tum proptet vitam exemplarem, doctrinamque insignem, in omnibus Armenicis, Persicis, Arabicis, Indicisque litteraturis. Erat pariter multum inclinatus fidei Catholicæ Romanæ, & nonnunquam circa sui totiusque civitatis Giulpha sibi concreditæ, cum eo unionem, hnmaniori jam persæpe conveneramus modo, estque nobis affinitas quædam. Magna autem DEI sunt judicia. Cum enim esset tantus, & omni respectu vir Excellentissimus, & sapientia illuminatissimus tandem â diabolo obcœcatus est, ut fidem negaret Christo ad Regis exhortationem. Obtulerat enim Regi rarissimum quendam adamantem, quem eidem detulit principalis quidam factor suus ex Indijs. Qui quidem lapis, quamvis, utpote non politus, rudis videretur, centum quinquaginta millibus imperialium constabat. Cujus porro Principis Magnificentiam & munificentiam cum Rex expertus esset, eum adhortabatur, oportere omnino ut fidem negaret suam, & Regia tunc munificentia ad majora provehatur ob munus tantum suæ oblatum Majestati. Renuit quidem primò vir saniori adhuc ratione ductus: ast serius eum Rex adhortatus est, deponeret quantocyus in suo conspectu, abjuraretque fidem, aut amitteret vitam. Quibus ille comminationibus animo dejectus, temporalem æternæ anteposuit vitæ, & fidem negavit Christo, adscriptus Machometi cœtui coram Rege adstantibus omnibus Magnatibus primoque Persarum Pontifice. Eo

usque porrò Satanicâ vir hic deceptus est perfidiâ, ut & post suam perditionem intenderit, imò & per quam fortiter tentârit meam. Innuerat enim me nesciente Regi, ut & is me ad hoc adigeret, quod quidem Rex eidem promiserat, sed DEO benigniter circa me disponente in tanto salutis æternæ negotio naufragium evasi: expertusque sum singularem Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ benedictionem; sicut & in plurimis alijs fidei periculis, me Orphanum â Christo meo non derelictum. Memorata ergo in causa admonitus fui â Patre Raphaële, & à quodam tunc in Regia degente Anglorum agente, ut diabolicum hoc & Principis illius & Regis intentum evitarem, ex quorum proinde consilio, DEOque sic disponente, tentationem evasi, relictisque omnibus cum uno solo servo sub medium noctis ex hac civitate auffugi, ac per incognita itinera in Provinciam Catholicam per spatium unius mensis me recepi: pro ut melius in suo loco. Ast hæc occasionaliter dicta sunto, utque ad Persidis civitates alias revertamur oportet.

Igitur & hic non omittam quædam edicere de celeberrima illa civitate Susa. Fuit & hæc veterûm Persarum, licet non sit Regia modernorum, magnitudine tamen civitas ista Regiæ Isphahan non cedit, hodie quidem vocatur Susis, seu melius Susen: sumptumque est ejus nomen â flore lilio ut optimè etiam notavit Athenæus. Susan enim Persis idem est ac lilium. Inde & hodie potentissima illa Provincia seu Regnum, Susistan dicitur, quæ vera Chaldæa est, quamque sibi miris modis subjugaverat primus Habas exindigentia Principum ejus. Est autem Susistan calidissima Regio, optimum tamen Regi militem alit,& districtù suo se usque Babylonem extendit. Porro ejus districtus ex plaga Orientali occupatur, ipsa imò civitas Babylon vexatur ab indigenis Susistan quos Persæ Lor vocant, illi vero seipsos Cachti, ac si dicerent Chaldæi. A meridie verò occupatur ab Arabibus ex deserto. Unde Persæ facile etiam occupare possent Babylonem, & facilius illam conservare quàm Turcæ. Etenim deserti illi Arabum Principes sicut suam clam cum Persis ducunt correspondentiam, ita & cum plerisque ipsis Ba-

bylon

bylon Optimatibus. Quare Perſæ ſe ſecuros ſupponere poſſunt, imò & ſupponunt de illius recuperatione: quod quidem metuens Turca majorem militum Janizarorum in ejus conſervationem extendit manum.

Alterum quod in præſenti dici poteſt, eſt quod ſubjungo, nempe Babylonem, quæ hodie dicitur Bagdad, modo non eſſe in priſtina magnitudine, & ſicut in ſitu antiquo: quamvis adhuc videantur rudera vetuſtatis. Sita eſt ergo pœnes fluvium Tygridem, qui Sciat hodie dicitur apud indigenos, in diſtrictu autem illius verſus Arabiam maximæ ſunt ſylvæ & fructiferæ, quarum & fructus communiter ſunt dactyli, ſic ab Europæis nominati. Ex his Babylonenſes crematum conficere ſolent, cum terra ſua ob nimiam ſiccitatem vinum non ferat. Sed & habentur alij diverſi generis fructus, dulces omnino atque eſui grati. Eſt & in Babylone quædam domus Patrum Cappucinorum, quam Exteri & indigeni Chriſtiani frequentare ſolent, cum propriam Eccleſiam non habeant.

ARTICULUS VIGESIMUS SEXTUS.

De terra & Perſidis Regionum modernarum natura, necnon de itinerandi modo quo quis ex Europa facilius in Perſidem devenire poſſit.

POſtquam in Articulo præcedenti breviſſimè quædam de Perſarum civitatibus diximus, jam de ipſa terra in qua hæ jacent, & Regionum qualitate pauliſper diſſeramus. Inveni quidem hodiernum Perſarum Regnum, cum Provincijs populis, totaque natura ſua luculenter deſcriptum à pluribus Europæis, taliter tamen tantum, qualiter hi poterant, ſecundum ea quæ aut per aliorum relationem aut per propriam licet exiguam experientiam habuerunt. Principalia tamen cum tetigerint, immorandum his ultra non cenſui, ſed ſolummodo addendum, quod novi & curioſi pro lectoris beneplacito adhuc

huc dici poteſt. Porrò inter alias mihi magis placet deſcriptio recentior ex novo Atlante, quæ cum pro operis raritate rarius habeatur, à me hic curioſo lectori inſeritur. Poſtquam igitur hic de populis, & quindecim potentiſſimis Provincijs & regnis, quæ hodie ſunt ſub Perſarum conditione (tametſi addito Regno Scirvan, cui & Regnum Giorgianorum communiter adijcitur, faciant numerum ſexdecim Provinciarum, quod quidem ſcriptor ille omiſit, quibus Regnis ſexdecim univerſim potentiſſimi vice Reges, ut alibi diximus, pro Regia Majeſtate præſident) plura retuliſſet, hæc ſubjungit. *Quid ergo tot Provinciæ ſint in hoc Regno, non mirum eſt qualitatibus cœli ſolique multum differre: Perſia, inquit, Contaranus planiſſima eſt Regio, & valdè arida, in multis locis aquæ ſalſæ reperiuntur: frumenta & fructus aquæ adminiculo abundanter proveniunt, ab utroque latere imminent montes fertiliſſimi, qui frumenti & fructuum copiam producunt. Arboreos fructus habent maximo numero, nimirum poma, ſed noſtratibus minora. Perſica mala vaſtæ molis, præcocia ceraſa, & ſimiles fructus, præter fraga. Uvas habent plurimas & præſtantiſſimas. E mari Caſpio accipiunt haleces, Salmones, Sturiones, Trutas & alios piſces, tam ſale conditos, quàm ad ſolem induratos. Gens Perſarum eſt candido colore, & formoſa, amictus ſimili fere turcico, Bellicoſa eſt & robuſta. Amat libros legere. Delectatur arte Poetica, ſcientijs artibuſque ſpeculativis excellit. Lingua Perſarum pluribus Orientis partibus familiaris eſt.*

Sed quo ad fraga excuſatum habeo authorem, & ipſe Hollandos ſuos, qui forſan retûlere ei quæ ex parte tantum experti ſunt in Perſide. Cœterum in Regno ſupradicto ſcirvan, in copia inveniuntur, quæ quidem eſt ex principalioribus Perſidis Provincijs, plurium aliorum comeſtibilium fructuum atque olerum ferax, quæ aut nunquam aut rarò producuntur in Provincia Herach ubi eſt Regia, ab Hollandis per ſinum Perſicum frequentari ſolita. Sed & in memorata Regione copioſiſſimè creſcunt ſparagi ut Europæi vocant, in campis, taliter quidem, ut falcibus meti queant. Et quamvis hic indigeni veſci non ſoleant, imò ut fructum comeſtibilem non agnoſcant, nihilominus de ijs ego quibuſdam Optimatibus notitiam feci, ita ut hodie

die copiose fruantur. In Herach autem rarissimè videntur, nisi in Isfahan, ubi solent eos in hortis colere, sicut in Europa fit: maximè pro Regis delectatione qui avidè omnino eos comedit, maxime cum potum facit. Alio porrò modo sibi parari seu coqui jubet, nempe super craticula ad carbones assari, & Sale conspergi. Imò persæpe Principes aulæ ad ipsius præsentiam sic eos assant, ut majus ei delectamentum faciant, maximè cum in hortis aut recreationibus sese detinet. Contigit ut ego quadam vice cum cœteris suis Ministris in horto quodam, quiGennet Bagh dicitur, seu hortus paradisi, essem in ejus præsentia: benigno igitur juxta solitum me vultu respexit, sciscitans, num tales herbæ & in Europa haberentnr; illiusque incolæ his vesci soleant? cui ego præstitis præstandis obsequijs & veneratione, respondi, haberi, & comedi ab Europæis. Rex porrò curiosus & hilaris modum comedendi indagavit, quem cum ei juxta quod in Europa vidi, exposuissem, alta juxta morem suum voce subridens inquiebat, non esse nec esse posse meliorem modum talibus vesci, quam sit modus ille, quo ipse vesceretur. Hæcque edicens, statim unum ex manu primi Ministri sui sic assatum sumpsit, atque ori imposuit, movendo caput & aggratulando sibi de cibo Regali suo: quem cum comedisset, potum illicò postulavit.

Sed non omittam & hic dicere de laudatissima, & fœcundissima hac Persidis Provincia, quod in quibusdam campis prope metropolim illius Sciamachi in tali multitudine terra proferat flores illos, qui vulgariter Tulipani vocantur in Europa. Per tria etenim miliaria Germanica integra apparebit planities purpurata, & quibusdam etiam alijs diversi coloris inter mixta floribus, quo quid jucundius aut amœnius videri non possit alibi.

Cœterum vina generosissima magna in copia producuntur, non solum in præfata Provincia, sed etiam in Provincijs alijs Persiæ. Illud tamen quod crescit incivitate & districtu Sciraz, omnibus antefertur, quo subinde non solum Regis aula communiter utitur, sed & magna aviditate â magnatibus ejus bibi solet. Quod item vinum haud rarò defertur â mercatoribus

usque

usque in Indiam per sinum Persicum in amphoris aut flasconibus vitreis, quos bombace circumdant & cistis imponunt. Vinum equidem omnino Spiritosum est; cujus & laudem in audiens sagacissimus ille rerum indagator, Magnus Hetruriæ Dux commisit mercatoribus Armeno Persis, qui sub sua ditione artem exercebant, ut ex illo vino Sciraz sibi curarent afferri, prout allatum prudentissimus Princeps (ut ipsimet mihi mercatores & nonnulli Europæi retulerunt) cum exquisitissimis Europæ vinis comparans, his anteposuit. Colore atque sapore exquisitissima atque excellentissima Florentiæ vina antecedit, spiritositate autem virtute & duratione omnem sibi laudem vendicat, quippè quod diutius servari possit.

In hac etiam civitate Sciraz præ alijs Persidis locis, tametsi & in illis habeatur frequens copia rosarum, maxima tamen habetur, ita ut ingentes earum cumuli uti colles in foris jaceant, & secundum pondera vili tamen pretio divendantur. Inde odoriferas Persæ conficiunt aquas, quas copiosissime in vasis vitreis habent, & sicut vina deferunt mercatores ad Indos. Optimates imò illius Provinciæ pro luxu & recreatione in lectis suis eas copiosè dispergere solent, quod & idem cives nonnulli faciunt, atque ita noctu desuper cubare. Sed & mos hic est in alijs Persidis partibus, ubi rosæ abundantius crescunt.

Habetur & hac in civitate ejusdemque destrictu multa pomorum aureorum, citrinorum, atque limonum abundantia, ut inde indigeni succum in copia sibi comparare soleant, qui & non solum tota in Perside communissimus est, sed etiam in Indiam aliasque partes ad sinum Persicum, ut vinum & rosacea aqua defertur. Magis tamen habetur copia fructuum & succus illorum in Regno Ghilan versus mare Caspium, ubi integræ & permagnæ inveniuntur sylvæ talium fructuum feracissimæ, prout & aliorum, singulariter autem vuarum. Sed & magna est venationum commoditas in hac Provincia: ut proinde Persarum Reges haud raró soleant hyemare aut hybernare ex Regia sua Isfahan in hisce partibus, tametsi per viginti dies ab ea distantibus. Ex hac etiam Provincia toti fere fit Persidi provisio

de

de riſo ſeu oryza, & indigeni illius campis ſuis raro ſolent ſeminare frumenta, quod rariſſime ijs in locis pane veſcantur frumentitio, ſed ſemper riſo. Sed & hunc comedere non poſſunt conditum cum butyro aut carne, ſicuti in alijs Perſidis partibus comedere ſolent, ut in Articulo de cibis diximus: Clima enim iſtud non conducit ipſis, maximè maribus, qui proinde ſunt valde macri, & tenues Fuſcique colore, non vero fœminæ. Quamvis & hac in regione viri vel ab ipſa corporis tenuitate, ſagacioris ut plurimum ingenij inveniantur. Et quamvis Regio hæc non faveat in multis ſuis indigenis ob diſpoſitionem climatis, nihilominus favet toti Aſiæ majori, minori & Europæ, mediante indicibili abundantia & perfectione ſerici, quod abundantiſſimè his elargitur. Ex quo proinde Perſarum Rex haud exiguæ conſiderationis proventus ſortitur in Theſaurum ſuum.

De cœtero producitur ſericum in nonnullis etiam Provincijs Perſidis, uti in Ghenge & Schirvan: non tamen in tanta copia & perfectione, maxime ſericum illud quod vocatur eorum vernacula Scerbaſi: ex ſerico autem Perſidis Angli & Hollandi juxta pacta ſua certas aſſumunt quantitates à Regis mercatoribus, illudque per ſinum Perſicum & mare Indicum ad ſuos fines deportant. Sed & in Regia ex ſerico pretioſiſſimæ texuntur materiæ, quibus & aurum argentumque inſuunt, quod & in alijs pluribus civitatibus fit, maximè in civitate Kaſcian: vocantque materias has invernacula ſua zarbaf; hujuſmodi vix in Europa inveniri poſſunt. Porro quaſi omnes illius cives hanc & vix aliam exercere artem ſolent, ut proinde materiæ hujuſmodi in maxima copia habeantur apud eos, & toti Perſidi, Turcis imò, Indis, Scythis & Moſcovis per mercatores, qui frequentiſſimi ſunt, fiat ex his proviſio.

Sed & pretioſiſſimi plurimis in Perſidis texuntur locis tapetes, maxime in Provincia Choraſan, ubi non ſolum Indigenæ ſolent pretiosè laborare inſuendo aurum atque argentum bombici ſubtiliſſimæ, & ſerico pingendo, per texturam diverſa florum, avium arborumque genera, quo curioſius, & elegantius pro domuum ornatu inveniri vix poſſit, verumetiam ſolent eas, quas con-

ficiunt materias,ſingulariter tapetes in pergrandi longitudine pro ingentibus Palatijs Magnatum, ſpecialiter in Provincia Choraſan prout diximus habere.

Dicendo autem ultro de frumenti, aliorumque leguminum fertilitate, & diverſorum potuum genere, illud forſan dolendum eſt, quod nec in Perſide, neque in toto oriente noſtro habeatur potus ille, quem Europæi Cereviſiam vocant. Hunc quidem orientales per libenter biberent, maximè qui vino abſtemij ſunt. Eſt enim liquor ſatis ſubſtantioſus, ſobrietati, imò & ſanitati (Cœteris tamen paribus loquendo) congruus: quamvis nonnulli Europæi non ſine aliquo lepore fingant contra eam dicendo, eſſe à Dæmone inventam, qui ad imitationem Chriſti, non ex aqua vinum, ſed hanc Cereviſiam confecerit.

Jam verò de populis Perſidis dicendo, diverſa ſunt hominum genera, unde & optima, & ſelecta conſurgit militia. Ex Provincijs enim calidis habentur â Perſis milites Duceſque prudentiſſimi, maturi ad regimen bellicum. Ex Provincijs autem frigidis ſortitur viros audaces, fortes, aptioreſque incommoditatibus perferendis militaribus. Ex Provincijs verò, quæ medium tenent & temporati ſunt climatis, temperatæ etiam ſortiuntur homines conditionis ad quodcunque officium obeundum: unde obſervationes has militares, quas circa genios nationum ad laudabilem habendam militiam docent Europœæ militiæ periti, obſeruant valde Perſæ, ſuppeditante maximè omnis generis homines pergrandi illa totius orientis Monarchiæ amplitudine & vaſtitate, contra Turcarum rudis gentis morem, quæ non eſt ita diſciplinata; & quamvis ab aliquo tempore ars Politica, & eruditio militaris apud eos pululare inceperit,hunc tamen perfectionis apicem non tetigit:unde ij adhuc artem ſuam bellicam non tam ex ſelecta Ducum & militum ſuorum, quam ex multitudine ponderant, quâ fortunam magis forſan coacturos ſeſe credunt. Per multos tamen Apoſtatas, & renegatos Europœos,qui in dies ad eos confugiunt,ſicut & longævâ bellorũ experientiâ in dies artis ſuæ incrementa ſumere videntur.

Militum porrò ſalaria æqualiter ſupra tetigi, modo de mo-
netis

netis Persarum modica edicere liceat. Duo genera habent monetarum, quæ merè suppositoria. Primum est Tuman, de quo jam supra dixi; secundum dicitur Hazar dinar, & duorumflorenorum computus erit. Eorum verò nummorum genera, quæ non suppositoria, sed in re sunt, primum est Besc-ligh, idemque valet ac medius Imperialis. Secundum autem Habasi dicitur, quod primus instituit Habas & medio fermè æquivalentiæ floreno. Tertium vocatur Sciahi, id est Regius nummus, eo quod eleemosynarius Regius ordinariè hanc pecuniam pauperibus distribuere solet; continetque duos cum dimidio Germanicos. Ij porro nummi ex bono argento sunt cum Regij nominis inscriptione. Sunt tandem oboli ærei, quorum decem unum faciunt ex præfatis Sciahi. Præter hos nummos de peregrinis aliorum non admittunt, sicut Turcæ admittunt non sine sæpe magno detrimento, & incommoditate commercij in suo dominio, exceptis aureis, qui ducuntur ex Europa per Mercatores, argenteos verò omnes destruunt, & in massam conflant, & in ipsorum nummorum præfatorum formam redigunt in diversis Civitatibus, & locis Regni; suntque maximoperè vigilantes, ut ne eorum monetæ falsificentur.

Auri porrò, vel argenti fodinas defacto non habent nec fodiunt: quamvis in potentia habeant quibusdam in Regni sui locis. Dum enim artem nesciunt, vel nihil adinvenirent vel magis insumerent, quam lucrarentur. Unde de his non curant neque consulunt, cum aliunde satis abundanter habeant: tametsi ferrum & Æs in copia stannum verò nullatenus aut rarè habent. Lapidum pretiosorum autem fodinas, & singulariter illius habent, quem Fimze ipsi Persæ vocant, Europæi verò communiter Turchinum nuncupant. Hujus porrò lapidis duplex est species in Perside. Prima quæ & magis existimatur, vocatur Nisciaburi, eo quod crescat in Civitate quadam Provinciæ Chorasan dicta Nisciabur, hujus tamen fodina hodie non exercetur à Persis timentibus ne totaliter ipsis deficiat pretiosus & singularis iste thesaurus: unde modo non ita abundanter inveniuntur Turchini hujus speciei in Perside sicut olim; quare an-

te aliquos annos haud exiguam fecit Rex provisionem ex illis in suo Thesauro, jussitque occludi illorum fodinam. Secunda dicitur Schebabechi ex loco ubi habetur, qui vocatur Schebabech estque prope præfatam Nisciabur, hujus itaque speciei jam copia habetur, & considerabilis molis inveniuntur Turchini ex ea præ alijs, qui hodie reperiuntur ex altera Specie; existimatione tamen illi his longè præcellunt; nam illis inest naturalis, germanusque Turchini color, non verò istis, qui magis virescunt, quam cerulescant; quare & facilè suum amittunt ij colorem, non verò illi, qui ex Nisciabur sunt. Habent & Persæ margaritas ex Insula Behrin in sinu Persico sita, ex qua deinde per universum terrarum orbem hæc pretiosa divenditur gemma affluenter per Mercatores. Illæ tamen, quæ reperiuntur in expiscatione considerabilis molis, singularis rotunditatis, eximij candoris, serpantur pro Regis thesauro, cœteræ autem divenduntur. Tametsi & Mercatores quandoquidem tales deferant ex Perside Margaritas ad alias partes, id clanculum fit. Rex enim ex illis suas donare solet mulieres, quæ tamen clam deinde eas per suos Eunuchos vendunt Mercatoribus. Cœterum ad Regis thesaurum maximum annuatim fit emolumentum ex piscatione Margaritarum: quarum piscationis curiosum modum hic non omittam curioso meo Lectori paucis scribere.

Sic igitur Piscatio illarum instituitur. Cymba paratur, cujus in prora, & puppi saxa ingentia sunt alligata funibus nauticis. Postquam ad piscationis locum adventum est, projectis saxis firmatur navis: ibi è media Scapha alius funis demittitur: hisque rebus sic compositis urinator alligato ad pedes lapide se in aquas præcipitem dat, manticam ex humeris dependentem gestans, in hanc conchas à se collectas, abdit, quæ ubi repleta fuerit, abjecto lapide, quo pedes gravabantur, per funem illum è medio Cymbæ dependentem sursum emicat: ad hujuscemodi capturam sæpe 300 naves conveniunt; præcipuè circa Insulam Bahrin navigationibus Mercatorum nobile. Dos enim Margaritis omnis in candore magnitudine, orbe, levore, pondere: haud sunt impares, intantum, ut nulli inveniantur duo indiscreti,

creti, unde nomen unionum teſte Plinio Romanæ impoſuêre deliciæ.

Cœterum plurima & numerantur in Perſidis terra flumina, quorum nonnulla navigationi ſunt ſatis commoda, ſed amnes fluvioſque præcipuos Perſidis his olim Lucanus deſcripſerat verſibus libro tertio.

Quáque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diverſis fontibus edit
Perſis, & incertum tellus ſe miſceat amnes,
Quod potius ſit nomen aquis. Sed ſparſus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur undæ,
At Tigrim ſubito tellus abſorbet hiatu,
Occultóſque tegit curſus, rurſuſque renatum
Fonte novo flumen Pelagi non abnegat undis.

Tandem in fine hujus Articuli ſatisfaciendum lectoris curioſitati remanet mihi, de via, qua facilè commodéque ex Europa in Perſidem iri poteſt. Triplex via conceditur viatori ex Europa in Perſidem. Una eſt, quæ fit per Oceanum & mare Indicum, terminaturque ad ſinum Perſicum, ubi eſt celebris portus Perſarum Bender Habaſi nominatus â ſuo fundatore, nimirum â primo Habas. Quo quamvis maximum undecunque fiat comercium, peſſimum tamen & nocivum habet clima, maximè in æſtate, quo tempore quaſi nullus præcipue ex advenis adeſſe poteſt, ſed ad quoſdam ſe ſe montes conferunt. Cœterum ſinus Perſicus, ſicut, & mare Caſpium, non ſemper navigia patiuntur, niſi ex verno tempore uſque ad autumnum. Hæc porrò via ad Perſidem valde longinqua & ardua eſt in ſe, nec niſi magna lucri cupiditas eo citat, aut citare poteſt Europœos: inde & mirabili ſtuduerunt navigandi arti, & abſque horrore ſingulari, pericula marium cum mercibus ſuis frequentant.

Alia eſt via per Moſcoviam, non ita longinqua, attamen ardua, itaut ſi non occurrat impedimentum, quale mihi ut alibi

dicam

dicam, occurrit, poterit quis per quatuor ad ſummum aut quinque menſes Viennâ Auſtriæ in Perſidis terram devenire. Pericula porrò huic itineri non aberunt, ob ignorantiam & imperitiam nautarum, per tranſitum maris Caſpij: hi enim plerique ex Ghilan ſunt, artis non adeo gnavi, nec niſi trita experientia, quæ pro fluctuum & ventorum varietate mentiri poteſt, diriguntur, cùm interim crudele, & ſævum mare ſit, uti qui ſæpius id experti, fatebuntur. Cœterum ipſorum peritior pro majori ſecuritate navim dirigere ſolet, tenenturque interim, qui vehuntur, ſortunæ magis & vento proſpero, quam directoris arti confidere, & ſi habeatur ventus proſper per duos etiam dies ex Moſcovitarum Haſtarchan ad Perſarum devenient Derbend. Si autem quis amicabiliter convenire ſciverit cum quodam inibi Principe nomine Sciamchal, de quo alibi dicetur, vel eundem muneribus conciliare, is commode ex ultima arce Moſcovitarum nomine Terch, quæ eſt poſt Haſtarchan penes Perſidem, poterit per quinque dies ad primam Perſarum arcem, quæ Derbend dicitur pervenire, abſque eo quod ſe exponat periculo maris. Conſideratione tamen & circumſpectione opus erit viatori, ne decipiatur ab illo, maxime ſi viator Europœus ſit, qui morem, linguam, & perfidiam ferociſſimæ illius gentis de facili non advertere poterit: & ſæpius accidêre pluribus doli hujuſcemodi, præcipuè illi Legato Oleario, de cujus internecione aliunde Lectori notum eſſe confido. Ego porrò ob impedimentum, quod habueram ratione piæ memoriæ R.P. Piſcopi, mei in itinere ſocij, cum eodem memet expoſui incommoditati maris, cum alias mihi oblatum eſſet, ſecurum per diſtrictus præfati Principis iter, à Sultano ſeu Principe jam memoratæ arcis Derbendæ, cui, ut ſupra dixi, meum equum dilectum obtuli, utpote Principi mihi aliàs noto, & amico, qui & ſtrictiſſimam habebat cum Principe Sciamchal correſpondentiam.

Tertia in Perſidem via eſt per Turciam, quæ equidem facilis eſſet & brevior, poſſetque viator per tres utcunque menſes eſſe in Perſide; quia tamen terra intermedia à Tyrannis inhabitatur, cavenda ſunt incommoda, & pericula viatoribus, qui frequen-

frequentes pati poſſunt incurſiones latronum Turcicas inter turbas circumeuntium, & quæque adinvenerint, depopulantium. Hinc eſt, quod in pluribus locis diſtrictuum Turcicorum per plures dies vix inveniatur oppidum: Sed quaſi omnes inhabitatores, ad civitates confluunt, indequè tam ingentes & populoſæ ſunt apud eos. Ob tale ergo periculum viatores per Turciam pergentes, non ſolum ſolent proviſionem ſuam, ſuorumque ſi quæ habent, jumentorum, per plures dies penes ſe deferre, ſed etiam de bona ſibi ſocietate, aut conductû curare, quem in Turcarum vernacula vocant Karvan, & aliquando excedit numerum mille perſonarum una euntium, ad latrones abſterrendos. Securius ergo perlongum iter in Perſide, quam vel aliqua ſolum milliaria in Turcia, quæ jam pene in latronum ſpeluncam tranſijt, fieri poterit. Maxime autem peſſima Turcarum ſuſpicio, Europœis calumnias infert, & pericula, vocantque incolæ hujus loci eos tranſeuntes, exploratores Principum Chriſtianorum, miſſos ad Perſas in correſpondentiam adverſum Turcas. Hac etiam ratione detinuêre injuſtiſſimè duos Patres miſſionarios, Carmelitas diſcalceatos, in Civitate Harzurum, quæ eſt prope Perſidem, dum & ego ex Turcia ibam in illam, quorum unus Germanus, alter Polonus erat. Ego porrò videns duram captivitatem eorum, curavi quantum potui verbis atque muneribus procurare eiſdem libertatem, notificando Barbaris ſtatum eorundem Religioſorum, & pijſſimam vitam. Qui ita perſuaſi eos dimisére, & optimi Religioſi deſideratæ reſtituti libertati, una mecum in Perſidem perrexerunt, ubi & unum ex illis nempe Polonum nomine Stanislaum adhuc viuum reliqui in Regia Isfahan, qui ſummo cum zelo pientiſſimus Religioſus exercet munus miſſionarij, cum Perſis & Armenis idiomate Perſico, quod optimo modo poſſidet.

ARTI-

ARTICULUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

De Regnis & Populis Persidem circumjacentibus, & quibusdam circa hos scitu dignis.

EXtremas etiam Persidis partes lectori lubet describere. Habet ergo Persis versus Orientalem plagam, vicinam sibi Indiam Orientalem, quæ duorum subjacet principalium Dominorum dominio. Primus vocatur magnus Mogol: quem historici Orientalium tradunt suam ducere generationem ab illo potentissimo Scytharum Rege Thamerlano, quem dicunt inter alia Orientis Regna & hoc Indorum occupavisse, suosque illius effecisse hæredes, qui & præsentes Reges sunt, communiter Mogol dicti. Notandum autem quod apud Indos omnes ex alijs Regionibus advenæ, maximè ex Perside & Scythia, dicantur Mogol, quod idem est ac adventitij, qui ne dum nomine, sed & moribus & colore ab Indis differunt, quippe quod hi aliqualiter nigri, illi vero albi & candidioris coloris sint omnino. Et cum primus & maximè adventitius tam more, quam colore, & Religione, fuerit & sit ipsorum Rex, utpote Scytha origine, ideo vocatur magnus Mogol: Et pluris æstimantur in India illi, qui sunt Mogol, quam qui nati sunt Indi, eo vel maximè quod plerique Mogol ex Perside sint.

Notandum pariter, quod quamvis iste Mogol cum plerisque sui Regni proceribus, & his qui aliquod ministerium aut officium exercere habent in regno, sequatur perfidam, fœtidamque Machometi legem, nihilominus totum illius regnum quo ad subditos, & nonnullos Principes (qui Ragi vocantur) idola colit. In istius Mogol curia, sicut & pariter Magnatum suorum, trita est lingua Persica, & Scriptura, ita ut omnia decreta, litteræ, instrumenta judicialia, quæ in curijs aut cancellarijs expediuntur, Persico idiomate & caractere exarentur. Lingua autem propria eorum, quæ est omnino diversa â Persica, sicut & illius caracteres, recta linea scribitur, ordine quo latina, & non inverso, sicuti vernaculas suas scribunt Arabes, Per-

sæ,

ſæ, & Turcæ. Hæc autem lingua in uſu eſt apud eorum cives, mercatores, & plebejos qui utcunque Perſicam ignorant linguam. Cœterum tametſi & linguam Perſicam magnus Mogol cum ſuis amet & ſectetur, ob ejus ſuavitatem & fœcunditatem, quam habet inter omnia Orientis idiomata, ut proinde & in aula ſua plurimos Perſarum doctiſſimos atque celeberrimos viros & Poëtas ſuſtentet; nihilominus Sectam Perſarum non ſequitur in fide Machometi, ſed Turcicam: Ac proinde hic Mogol cum ſuis, Sunni & Ciahar Jari vocatur, ſicut Turcæ, prout alibi dictum eſt.

Eſt item magnus hic Mogol potentior extenſivè ipſomet Perſarum Rege, tum quo ad divitias, tum quo ad populorum multitudinem, tum denique quo ad regni vaſtitatem. Non tamen intenſive, ideſt quo ad vires, artemque præliandi. Unde quando ſurgit adverſum Perſas bella geſturus, ut plurimum quinque aut ſex centum millia ſecum ſuſcitat in campum, cum contra Perſa octoginta aut ad ſummum centum millia aſſumens eidem obviet, & utcunque de eo triumphet. Porrò Indi pugnant adverſum Perſas cum maximo Elephantum conductu, quos in copia habent, & ita erudiunt, ut audita voce tubæ vel tympani bellici, ſummo cum furore hoſtiles aggrediantur phalanges, & cum ſuis proboſcidibus maximam ſtragem faciant, aliquando imò, cum hujuſmodi animantia ijs in partibus ferociſſima & fortiſſima ſint, equum una cum viro deijciant. Aſt norunt jam Perſæ modum reſiſtendi furori illorum, illiſque non ſolum per tormenta bellica, quæ valde formidant, obviant, verum etiam acinace, quo curviore dexterrimè uti ſolent, abſcindunt aut ſaltem graviter vulnerant proboſcides eorum.

Omnis ut plurimum exercitus eorum pedeſter eſt, & prout eum vocant Europæi Infanteria; nempe quod rariſſime inveniantur equi boni apud Indos, & non niſi apud eorum Regem, & Magnates, qui ſumma cum cautela & induſtria adduci eos ſibi ex Perſide curant. Sclopetis, & tormentis bellicis uti non ſolent, niſi ſagittis, framea, lanceis, & ſimilibus.

Jam vero ad Regiam Mogol magni revertamur, quæ Eghra

dicitur; eſtque maxima & populoſiſſima, ultra Regiam etiam Perſarum Isfahan, tametſi non ita bene diſpoſita, neque adeo temperati climatis. In hac ergo Regia Mogol una eſt domus Reverendorum PP. Capucinorum, quibus non ſolum liberum eſt inibi manere, ſed & palam Indis prædicare, qui æthnici ſunt, non vero his, qui Machometani. Dicunt enim melius eſſe quod idololatræ adorent Chriſtum, quam Idola. Et in tempore Patris modo regnantis Regis, nomine Ourangh Sciah, Patres præfati plurima patraverunt bona in Domino, erantque unice dilecti & honorati ab eo, qualiter tamen non ita eis afficitur Rex modernus, utpote omnino deditus ſuperſtitioſis Arabum documentis; ſicut nuper anni erant quinque, quod id mihi ſcriptum erat ab uno amico Chriſtiano in Indijs habitante.

Secundus vero Indorum Dominus, qui etiam ut Rex Indiæ dominatur, & eſt Rex Haidar Abad, qui quamvis quo ad ditionem dominij ſui non ſit ita potens, ut primus, nihilominus par eſſe illi minime dubitat in divitijs. Civitas enim Regia Haidar Abad toto penè Oriente eſt celeberrima, habetur ut fodina omnis pretioſitatis: ita ut excepto Smaragdo, omneſque quaſi cœteri lapides pretioſi in montibus hujus civitatis producantur; maxime vero adamas, qui permultus eſt in monte quodam prope civitatem præfatam. Hunc porrò ſicut & cœteros montes, ubi ſunt Rubini, Topacij, Amethiſtæ, Chriſoliti, & diverſa alia genera, fideliſſime miniſtri Regij militeſque die & noctu cuſtodiunt: ſoletque terra montium illorum juxta menſuram quandam vendi mercatoribus, qui illa in civitate innumeri inveniuntur ex omni gente & natione, præcipue ex Armenis Perſidis. Hi proinde ſuam tentant fortunam, atque cum Regijs miniſtris componunt pro certa terræ quantitate juxta menſuram deputata, quam ſubinde triginta, ſubinde quadraginta, nonnunquam etiam centum millibus imperialium & ultra perſolvunt; juxta quod ſibi terræ magis vel minus feracis quantitatem aut qualitatem delegerint. Porrò quandoque hi mercatores juxta fortunæ viciſſitudinem adinveniunt de pretioſis lapidibus plus vel minus, quam propterea expenderint.

Rex

Rex autem Haidar Abad, Machomet etiam ſequitur perfidiam, ſectæ tamen Perſarum adhærens; unde & cum his magnam habet correſpondentiam, & idioma Perſicum in ſua aula, curijs & tribunalibus non minùs familiare ac Mogol habet. Cœterum & hujus cives, mercatores, alijque, qui quaſi omnes ſunt idololatræ, ſicut ſubditi Mogol, vernacula Indica loquuntur. In hujus etiam Regia ſunt PP. Capucini, quorum & Eccleſiam ſedulo frequentant mercatores Chriſtiani. Sed & in hoc Regno ſepulchrum eſt S. Thomæ Apoſtoli in civitate Meliapur. Solent autem hi Indi admittere transmigrationem animarum de corpore in corpus juxta opinionem antiquorum Philoſophorum. Et quamvis controverſia eſſe ſoleat de hujus opinionis origine, & antiquitate, atque â nonnullis magis ſolicitè indagetur, quiſnam antiquorum primus opinionem hanc Indos edocuerit, id ego ut extra meum ſcopum pertractare non ſuſcipio. Hoc notum eſto Lectori, quoſdam hanc transmigrationis ſententiam adſcribere Pythagoræ, quem proinde Indi pro DEO colunt, ſub nomine Brahma, quamvis antiquæ hiſtoriæ negent Pythagoram apud Indos fuiſſe. Ego cœterum hanc Indorum perfidiam non adeo miror: cum etiam plures populi, maxime gentiles, veri DEI cognitione deſtituti, in plurima abſurda, perverſa credulitate devenerint, & maximam imò Deorum pluralitatem crediderint; quos proinde non ſolum plurificarunt, in Saturnos, Joves, Hercules, &c. ſed & hos ipſos credidêre multiplices. Sic Cicero ſex nominat Hercules, Marcus Varro quadraginta tres, pro ut & idem trecentos numerat Joves. Cœterum Indi ſtultæ huic ſuæ de transmigratione animarum opinioni ita adhærent, ut cum viderint animal quoddam, canem, catum, aut equum, præ alijs excellere, ſive in dexteritate diſciplinata, ſive in naturali lepore aut comitate, dicant credantque habere animam rationalem. Stultiſſimum quid de hujuſcemodi perfidia enarrabo, â mercatore quodam Armeno mihi narratum. In civitate Bairanpur Princeps Indus erat, equum habens Perſicum excellentem & elegantem; hunc cum vidiſſet magnus quidam mercator Indus Idololatra, tanto equi captus eſt amo-

re, ut Principi indicaverit illi, velle se quidquid desiderarit pro illo equo persolvere. Phantasticabatur enim, animam Patris sui defuncti transmigrasse in illum equum. Princeps porro oblata sibi magna pecuniæ quantitate ei equum dedit, quem cum stultus idololatra obtinuisset, illico in fronte & pedibus exosculatus est, veneratusque in bestia illa Parentem suum. Quod si insani homines, Europœos viderent canes, disciplinatos ad omnia nugarum genera, omnes sibi Parentes, Fratres aut Sorores adsciscerent. Habent inter alia, quod animantia illa occidi non patiantur, quæ solent etiam hominibus nocere, uti sunt serpentes, Scorpiones & similia. Mures imò, pulices aliaque minutissima occidere peccatum verentur. Unde Indi Machometani hos Indos Idololatras vexare solent, deferentes eis gallinam, aut avim, sed maxime bovem aut vaccam (quæ animantia hi Idololatræ maxima reverentia & amore prosequuntur, ita ut quando his juramentum datur, per bovem detur:) & quando Indi Machometani pecunias ab ijsdem obtinere per fraudem volunt, fingunt se velle hujusmodi animal ante domus illorum mactare: tuncque stolidi illi lacrymabundi hos deprecantur, ne grande hoc piaculum committant, promittentes eisdem dare omnem de pecunia satisfactionem. Sicque etiam vexatione pecunias ab his Idololatris Indis, frivolo dolo exigere possunt Machometani.

Dicti pariter Idolorum cultores Indi, omni die hyeme æquè ac æstate bina vice corpus lavare solent, mane scilicet atque vespere. Sed & mane tingunt frontem croco, ambasque aures in partibus exterioribus, nonnunquam & aliquas vestium partes, imò & Tulbantum: quod quidem se facere asserunt in honorem DEI sui, cui placeat talis color. Idola vero sua diversis modis atque figuris ridiculosis habere solent. Norunt etiam aliqua, obscurè tamen de primis Parentibus Adam & Eva; sicut & de diluvio Noë.

Ubi culpanda occurrit insania Phantastici cujusdam hominis, qui etiam præAdamitas, seu homines ante Adamum viventes fuisse edocuit: desumpto hoc ex quodam numero, quem

asserit

asserit se vidisse in aliquibus Indorum antiquissimis Epitaphijs, quiquè numerus excesserit illum, quem alias nostri fideles, imò & infideles Machometani, & Judæi habent in calculando annos creationis mundi. Sed nugatorium est adinventum suum, neque alia ratione improbandum, nisi quod vel ille numerum à se visum rectâ non intellexerit; vel etiam humanus computus maximè de primorum annorum serie, ex ignorantia cœlestium motuum fallere potens, aliquid assignarit, unde humanitùs certitudo haberi non potest.

Pariter Indi hi dediti sunt Astrologiæ Judiciariæ. Suos item comburunt mortuos. Et cum maritus alicujus mulieris mortuus fuerit non poterit ultra nubere uxor: quâ econtra mortuâ maritus aliam ducere uxorem potest. Contingit autem quod multoties mortuo marito, dumque cadaver ejus rogo imponitur, pariter se se & uxor ei objiciat, atque ob mariti sui amorem, se sè flammis absumi velit. Talem autem generositatis actum comprimis laudant, & longævâ memoriâ celebrant inter se. Summoperè etiam vinum abhorrent.

Inveniuntur quoque apud istos aliqui Religiosi (tametsi nulli sint,) qui in aliquo templo ipsorum coram Idolorum sacerdote vovent & jurant privatam ducere vitam, eamque modo certo: v. g. ita ut post duos dies non nisi semel comedant, aut post decem annos nonnisi semel loquantur, quem imo terminum usque ad vigesimum annum extendunt: item quod semper uno in pede sistere velint, etsi aliquantulum dormitare debuerint, nonnisi super cartam extentam inniti velint, quibus & similibus stultis martyrijs, sese inaniter afficiunt, & stultè Deos suos ad sanæ mentis derisum colunt. Quod si quis eorum promissum suum usque ad finem deduxerit, pro Sancto habetur, & quasi miraculorum patrator adoratur. Vidi porrò ego Indorum hujuscemodi unum in Perside apud mercatores, cum quo & idiomate Persico loquebar, neque aliud homo hic, sicut & omnes sortis suæ nisi de Idolis suis, illorumque origine enarrare poterant.

Sunt quoque plures Principes particulares, post Regnum

hujus

hujus Regis verſus Chinam, & Japoniam, qui omnes Idolorum cultui deſerviunt. Præcipuè autem eſt Regnum unum ſat potens dictum Scehrinou. Hoc in Regno moris eſt ſupremum Dominum ſibi habere mulierem, quæ in pace & bello omnia ut Rex adminiſtret. Qua & emortua alia rurſum eligitur Regina, quæ ſemper abſque marito univerſi Regni negotia pro ſua ſagacitate & potentia diſponat. Hoc quoque in Regno Patres Capucini aditum habent, & honore atque veneratione habentur apud incolas ejus, ob ſuam vivendi auſteritatem. Imò uti referunt mercatores Armeni Perſidis Regina hæc mulier nonnunquam colloquia habet cum Patribus memoratis.

Ex meridie porrò Perſis habet ſinum Perſicum, qui terminat mare Indicum, & Arabiam fælicem, inde maxima commercia cum Perſis fiunt.

Ex ſeptentrione verò, ſunt Scythæ & Tartari majores, qui ſe uſque Chinam extendunt, quod item Regnum ante aliquot annos jam occupaverunt, nunc tamen rurſus eo pulſi. Fuitque talis expulſionis cauſa principalis Perſarum Rex, ad quem poſt Tartarorum invaſionem miſerant Chinenſes per mare ſolennem legatum cnm diverſis muneribus, & inter alia prætioſiſſimis vaſis porcellaneis prægrandis quantitatis, ut pretium illorum tranſcenderet ſex centum millia Imperialium. Qui proinde Legatus petitum obtinuit, & promiſſionem â Perſarum Rege muneribus extorſit, ſcilicet, quod ejuſdem potentia Tartari, Chinenſe Regnum deſerere, & vel ſolis Regis Perſarum minis, ad tuendum Regnum proprium reverti tenerentur. Cœterum hi noſtri Orientis Barbari vaſtiſſimum habent Regnum, tamen non eſt totum inhabitatum, imò plures ejuſdem partes deſertæ ſunt. Producuntur autem in quibuſdam hujus Regni locis diverſa aromata precioſa, ſingulariter etiam Rhæbarbarum, & herba Te, Muſcum, Ambra & ſimilia: ſicut & precioſiſſimus ille lapis Carbunculus, in quodam monte prope Regiam Balch nominato ab indigenis Bedeſchan, ex quo ſubinde vocatur apud illos lapis iſte Lehh Bedeſchani; curioſa tamen eſt experientia, ut referunt Scythæ, aut Ozbech hodie dicti, de inventione hu-

jus

jus lapidis. Inveniuntur enim inibi quidam grandioris molis lapides albi, qui dum rumpuntur album rurſus intra ſe lapidem habent: ſed & hunc contundunt, inveniuntque in illo veluti in membranula ſubrubea obvolutas quaſi quaſdam ſanguinis guttulas coagulatas. Sed dum lapis ille albus interior confringitur, illico membrana illa lapideſcit, & abſque ulteriori politione, aut arte tunc nobiliſſimos carbunculi emittit radios. Cœterum rariſſimè inveniuntur hic lapides, qui conſiderabilis ſint magnitudinis, quamvis eo in monte trecenti continuè detineantur Regis operarij. Ante aliquos annos tamen repertus eſt hujuſcemodi lapis, quem multo precio habuerunt Scythæ, ob magnitudinem, quam ſatis conſiderabilem habuit, quem modernus Scytharum Rex ſuo geſtat Tulbanto; pro memoria, quod in ſuo tempore adinventus ſit. Hoc & in monte invenitur lapis ille ab orientalibus Lagiverd dictus, in Europa verò Lazarus. Cœterum inveniuntur etiam apud Scythas lapides illi, qui Turchini dicuntur,in quodam monte propè pariter Civitatem Balch, diſtanti tamen per aliqua milliaria, nomine Orgheng; propè quem montem & videntur quædam rudera alicujus ingentiſſimi, ſuperbiſſimique Palatij; ex quo, dum quis diſtans eſt, diverſorum audit animalium vocem excepta hominis, & Galli; & hoc cauſari à diabolicis ſpiritibus, tradunt ipſimet Scythæ, ſed cur, quomodo, & quando ſit hoc inibi cauſatum ignorant dicere.

In hujus item Regni Regia, quæ Balch dicitur, climate adeo fruuntur temperato, ut omnis generis fructibus, vitibus etiam & vino uti in Perſide gaudeant. Sequuntur autem homines iſti Machometi ſuperſtitiones majori & frequentiori zelo quam Perſæ & Turcæ, quamvis horum non vero illorum ſectæ adhærreant, unde & Perſas hæreticos in fide Machometi vocare ſolent. Colitur & apud eos lingua Perſica, ſicut in Europa Latina, præter ipſorum vernaculam Scythicam, quæ eſt Turcica, rudior tamen illa, qua Perſæ & Turcæ loquuntur; hi enim illam Arabica & Perſica ornatiorem & politiorem reddidêre. Sunt populi Chriſtianis infenſiſſimi, quamvis & olim Chri-

ſti

ſti Sancta Religio, tempore Caſani eorum Regis, inter eos floruerit, per pijſſimam Ripſimam filiam Regis Armeniæ minoris, qui illam coactus ei dedit in uxorem, & per illud miraculum portentoſum baptiſmatis, perduxit ad Chriſti fidem Caſanum, ut differtè refert Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.

Iſti porrò Barbari ſemper intendunt gaudere eminentia ſuper Perſas, Indos, & Turcas, ex eo quod ipſorum Thamerlanus hic olim dominio præfuerit. Sæpè ſolent prœlia incipere cum Perſis, qui tamen ita ut plurimùm contra eos triumphârunt, ut nihil de illorum inſultibus curent. Neque in congreſſu adversùm eos alijs utuntur armis, niſi illis, quibus & iſti ſolent uti Tartari Præcopenſes, qui ſunt coloniæ ab illis provenientes, ſuis ergo incurſionibus, populi hi nonniſi ſagittis & frameis utuntur, & habent equos naturæ ipſorum accomodos, nempe in ſufferendis omnibus laboribus, frigore, æſtu, fame, ſiti, per plures etiam dies. Ipſi porrò & in campo & domi ſordidè vivunt, & miſero amictu incedunt. Cùm in bello ſitiunt, & aquam vel ob terræ ariditatem, vel ſuam ob incuriam in promptu non habent, inſtrumento ferreo incidunt venas equis, indeque ſanguinem pro potu ſumunt. Carnes item equinas pro delitijs edunt, ſicut & equarum lac delitioſiſſimè bibunt; ita ut in nuptijs & ſolemnitatibus Magnates ipſorum ut plurimum unum vel duos juxta ſuam conditionem occidere ſoleant equos in epulas convivis parandas. Denique Barbari omnino populi ſunt, rudes & turpes, vultûs omnino deformis, candidi tamen, & fortiſſimi ſunt.

His autem Scythis proximi ſunt Chalamuchi, qui adhuc barbariores, & abjectiores ſunt præfatis. In ſylvis & campis ſub tentorijs habitant, ſeminare aut metere ignorant, proinde & neſciunt quid panis ſit, niſi cum accedunt ad civitates & oppida Moſcovitarum, quibus & illorum Princeps qui vocatur Heiuchæ, inſervit cum debita mercede. In illorum ditione ſolent & habitare, & per hos Moſcovi valdè ſolent vexare Tartaros Præcopenſes, utpote quibus hi ſunt inſenſiſſimi inimici. Veſcuntur carnibus ovium, boum, & equorum,

rum, quorum maximam habent copiam: Sed & lacticinijs fruuntur. Pauperes autem herbas & radices aliaque quæ venatione in campis aut ſylvis obtinere poſſunt, edunt. Omnes cœteroquin indiſcriminatim & ſine ulla exceptione edere audent ſolentque omne genus animantium, canes, feles, mures, lupos, urſos, lacertas, & ſimilia quæ vel cogitata nauſeam parant homini cultiori: quod id ipſum & Princeps eorum facere auſit. Is porro, excepto dominio, quod habet per ſucceſſionem, eſt ſimilis & par cœteris in victu & amictu; ipſius econtra uxor ſplendidè incedit cum ancillis ſuis. Solent autem mulieres illorum æque bene equos conſcendere, & prœlia adire ac viri. Sed & tenetur eorum Princeps præſtare juramentum Zaro Moſcovitarum de ſervanda fidelitate, & obedientia, ita ut ad illius juſſum, & caſu neceſſitatis pro eo in campum ſiſtere teneatur exercitum ſuum, qui aſcendit ad numerum quadraginta millium. Ipſi autem quotannis Moſcovi mittunt munera & pecunias, ſicut & Magnatibus ſuis. Hanc porrò functionem præſtanti juramentum oculatus vidi ſub civitate Haſc-tarchan, die vigeſima octava menſis Decembris 1676. Ubi duo Principes Moſcovitarum cum ſuis Magnatibus, militibus, vexillis, tympanis atque tormentis bellicis memorato obviam iêre Principi Calamucorum, qui equidem cum decem millibus militum advenerat. Hic porro Princeps hoc etiam in actu ſolemni, tam quo ad equi ornamenta, quam quo ad veſtimenta propria cœteris ſuis conſimilis erat, geſtans in capite Byretum ordinarium ex pelle ovina, ſicut & veſtem exteriorem ex hujuſmodi pelle: ad latus autem frameam cum turgaſcio ferens. Porro Calamucquorum exercitus ex una, ex alia parte Moſcovitarum erat, ipſe vero Princeps à Principibus Moſcovorum ſub caſtrum quoddam ad hunc finem paratum perductus, tranſactis pro more cœremonijs, emiſit juramentum fidelitatis, & obedientiæ Zaro Moſcovorum more ſuo, ſcilicet per caput & vitam bovis, quem adorant & venerantur. Unde patet amico lectori, coincidere cum idololatria & perfidia ſua Calamucorum populos cum ijs Indis, de quibus ſupra mentionem fecimus. Poſt igitur ridi-

culum hoc juramentum incepêre in unum bibere crematum, mulſum, vinum, cereviſiam, & omnem diffundi in lætitiam univerſi Magnates in ſalutem Zari Moſcovorum ; quam etiam ad lætitiam me vocârant, cui curioſitatis gratia pauliſper aderam, & multis illorum precibus hauſtu ſatisfacere debebam. Die porrò ſequenti miſerant Moſcovi Principes ſui nomine Zari munera complura memorato Calamucorum Principi, in ſignum benevolæ acceptationis juramenti præſtiti.

Hi etiam Calamuci pro quinque, ſex, aut octo imperialibus divendunt, imò quod turpius eſt, pro re viliſſima, V.G. portione tabaci, cujus uſus ipſis frequens eſt, aut nova veſte, quantumvis exigua, tradunt filios & filias ſuas Moſcovis, ea animi facilitate, ac ſi pullos gallinarum divenderent. Hæc de his & de alijs ſupra memoratis populis pro brevitate ſufficienter dicta ſint, cum & aliunde Lector luculentam habeat notitiam.

Poſt hos autem ſunt quidam populi, qui Leghzi vocantur aut Daghis tanni, ideſt montani, quod partibus inhabitent montis Caucaſi, quem Albuzdaghi vocant. His pariter populis quidam dominantur Principes, quorum primus vocatur Sciam Chal, reſidetque in quadam amœniſſima civitate dicta Turchu, quæ ſita eſt in colle quodam ad littus maris Caſpij. Princeps autem memoratus, ſicut & cœteri, pro abſoluto Domino ſuo agnoſcunt Perſarum Regem, cui proinde & militia ſua deſerviunt, & invicem quotannis pro Regia munificentia muneribus donantur. Omnes ſequuntur Machometi fidem juxta ſectam tamen Turcarum, & non Perſarum, unde etiam Sunni vocantur. Propriam habent linguam, ſæpè tamen Turcica utuntur, rudi licet modo; ſicut & in ſcribendo Turcico utuntur caractere. Populi licet ferociſſimi, humaniores tamen, Scythis & Calamuchis: magicis equidem hi populi ſunt dediti ſuperſtitionibus, ſolentque ut ſupradicti, proles ſuas vili quovis pretio divendere. Cœterum ſylvæ Regionis iſtorum populorum omnibus omnis generis fructibus abundant, præcipue uvis, unde vinum album in copia habetur. Habent denique hi populi ſuis in confinibus caſtellum illud celebre quod Derbend dicitur

citur, ubi Perſarum Princeps reſidet, de quo ſupra. Horum populorum Provinciam eſſe illam cenſeo, quam antiqui vocarunt Mangiana, & eam conſitam eſſe ad Taurum, ſive Caucaſum montem, ingentibuſque ſylveſtribus vitibus maximè abundare dixerunt.

Confines his ſunt populi qui vocantur Circaſij, quorum aliqui ſunt Chriſtiani, alij capras & arbores antiquas pro Numinibns adorant. Aliqui denique Machometo juxta ſectam Turcarum adhærent. Plerique illorum Dominio ſubſunt Moſcovis, illiſque militia deſerviunt, montis autem Caucaſi partem incolunt. Eſt Gens præfatis omnibus docilior, vultu & corpore venuſtior: unde captivi, qui ex ea ducuntur, magni æſtimantur tam apud Perſas quam Turca ob corporis venuſtatem, & Genij docilitatem, & innatam ijs fidelitatem. Hi quamvis diverſam habeant linguam, non tamen proprios caracteres, neque tam libris, quam ſuorum ſucceſſoria traditione antiquorum ſeſe in politica & Religione dirigunt, exceptis his qui Chriſtiani ſunt, aut Machometani.

Ex alia parte verſus mare nigrum Hyberi ſunt Orientales, vulgo Giorgiani: ex quibus populis olim erant Amazones. Plures ei præſunt Principes, duo tamen ſunt principales. Primus Baſcia Ciuch, tributarius Ottomannis, Chriſtianus tamen cum omnibus ſuis in ritu Græcorum. Secundus reſidens in Tiffiz metropoli Hyberiæ, tributarius Perſarum Regi, & ejuſdem ſectæ cum nonnullis Magnatibus ſuis, quamvis & horum nonnulli, ſicut & omnes ejus ſubditi Chriſtiani ſint in ritu Græcorum & Armenorum. Inibi & reſidet eorum Patriarcha, qui fit per electionem Principis & populi, & confirmatur â Patriarcha Conſtantinopolitano. Modernus Patriarcha, Patruelis præſentis Principis renegati, probus eſt, & in unionem cum Romana Eccleſia propenſus, de qua jam olim in præſenti ſerio contulit cum Patribus Cappucinis, quorum nunc aliqui ſunt in præfata civitate, omni populo amati. De dono Principis erexerunt Eccleſiam, ubi & juvenes ac pueros Chriſtiana imbuunt pietate. De hac domo dicetur & alibi. Memoratus Patriarcha intentionem ſuam & piæ memoriæ Patri Piſcopo, & mihi, per Superiorem PP.

Cappucinorum aliquando indicari fecit, cujus tamen executio fuit impedita, quod magnus quidam Princeps Nepos ejus recenter rebellis factus esset Persarum Regi, atque ad Turcas confugisset: unde tota Giorgia susque deque steterat ob timorem Regis Persarum: ut proinde eundem Patriarcham ad hoc negotium pertractandum accedere non possemus. Indicari tamen eidem per P. Cappucinum fecimus, fore ut saltem unus nostrum, peractis ad sedem Apostolicam negotijs nostris, revertatur in Persidem, tuncque pacifice circa hoc convenire possimus. Patriarcha vero Armenorum Jacob, per prædictum P. Cappucinum indicavit ei qualiter Pontifici Romanorum, eorundemque Imperatori Augustissimo de ejus in fidem orthodoxam propensione scripserat. Viget ab hinc & hodie (ut nullus dubito) optima hos inter Patriarchas correspondentia, nedum quo ad Politica, sed & Religionis unitatem conciliandam. Multa per hos sperari messis potest, modo sint operariorum etiam plures: quos Paterfamilias cœlestis pro sui nominis gloria Sanctæque Romanæ Ecclesiæ benignissimè subministret. Porro hoc in Regno, tempore Constantini Magni florere cœpit Christi fides, per unam Christianam & Sanctam Ancillam, ut Nicephorus Calistus cœterique qua Græci qua Latini aut Armeni Scriptores habent. Sunt tamen ritus Græci, tametsi non Græci idiomatis, nec Armeni, prout & singulares characteres habent. Populus in toto Oriente venustior est & bellicosior, intulitque non nullam persæpe Persis stragem, donec tandem colla eorundem jugo coacti submisissent. Vivunt cœteroquin hodie in multis privilegijs & immunitatibus, quo ad Religionem & Politicam, nisi quod semper Princeps eorum Machometanus esse debeat, è Gorgianorum tamen populis natus. Poterit Persarum Rex tempore belli ex hoc regno solum sexaginta millia militum convocare, qui, ut alibi diximus, selectissimam faciunt militiam. Horum etiam metu quidam Vezirius dissuasit Magno Turcæ, antequam Polonos aggrederetur, non esse hodie incipiendum cum Persis, uti exploratores in Persidem detulêre.

Sunt & hoc in Regno plurimi Armeni, qui principatibus

&

& officijs fruuntur: ſperaturque multum emolumenti ex occulta correſpondentia harum dictarum Chriſtianarum nationum, contra Machometi perfidiam. Conqueruntur autem, ſicut & mihi condolenti conqueſti ſunt, carere ſe brachio potentioris cujuſdam Principis Chriſtiani ſibi vicini, cujus patrocinio & auxiliatrice manu rumpere poſſent vincula duriſſimæ ſervitutis. Die porrò noctuque non efficiunt excogitare media in hunc finem ſuum, quæ Deus ter Optimus ijſdem pro ſua gloria largiatur. Cœterum arctiſſima dogmata ſua Chriſtiana, licet in Schiſmate conſtituti, obſervant: glorianturque de potentiſſimis Chriſtianis Principibus contra infideles.

Verſus tandem Occidentem Perſæ Armenos habent, de quibus ſingulariter Articulo ſequenti. Poſt hos ſunt infenſiſſimi eorum inimici Turcæ, de quorum nota perfidia, & abjectiſſima origine nihil dicendum, quod notum non ſit. Hi ſunt populi Perſidem circumjacentes, illique inimici infenſiſſimi, ex omnibus quatuor plagis mundi. Unde Perſæ Hali ſuum ſingulariter miraculoſum exiſtimant, quod Regnum ſuum inter tot undiq; inimicos conſtitutum, adhuc in gloria ad omnium inimicorum terrorem conſervet. Objeceram porro quandoque ijs, qualiter Hali, qui ſibi nequam fuit eiſdem bonus eſſe non potuerit, & perperam Patriæ Pater miraculoſus habeatur, qui porro non minus ſuæ adhæſerant opinioni; ſed incomparabili fidelitati zeloque ſuorum Miniſtrorum eſſe attribuendum, quam ſedulè ſuum Regem, ejuſque tuentur Regnum.

Cœterum data Occaſione hic de Turcis non omittam curioſo edicere lectori aliquid notatu dignum, quomodo nimirum iſti infenſiſſimi inimici Chriſtiani nominis adverſum Chriſtianos opinantur, unde unanimiter in templis ſuis orare ſolent, Hala Kañer Lere birlich vermeſin. Ideſt: infidelibus (quos nequiſſimi Chriſtianos putant) unionem ſeu pacem Deus non det. Nempe ab his ultimum formidantes exterminium, quod & ijs favente Deo contingat. Fatentur enim Barbari, cogendos ſe quandoque â potentia infidelium (nempe Chriſtianorum) ut deſerant Regnum ſuum, quod opinione ſua per Machometi gra-

gratiam obtinuêre, rurſumque ad Arabiam Prophetæ ſui Patriam, tanquam ultimum terminum confugere debeant. Quod Deus faxit, ut Sancta Dei Eccleſia optatis gaudijs decantare valeat cum Zacharia:(a) *Salutem ex inimicis noſtris.* Item:(b) *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto.* Interim proh dolor! Impediunt hi nefarij amicabilem Chriſtianorum Principum correſpondentiam, atque utinam nonnullorum ſibi non attraherent animos, unde Chriſtianorum ſanguis prodiagliter funditur. Cum aliunde infenſiſſimus Tyrannus ad oſtium jam ſtet Europæ, & peſtifero veneno infectus per paſcua fidelium ſerpat draco metuendus. Quæ igitur huic eſſe poterit ſtatûs ſive Politici, ſive Religioſi ratio obſervanda? inquiunt enim: uti à Barbarorum Magnatibus nonnunquam audivi non guſtaturos ſe mortem, donec cum Machometi vexillo (quod ſe adhuc habere gloriantur in theſauro Tyranni ſui reconditum) aggrediantur Romam, quam vocant Kizill alma, ideſt: pomum rubrum ſive aureum: collimantes ad pomum deauratum ſtupendæ fabrefactum in cacumine pinaculi Eccleſiæ D. Petri: indeque Romanum Pontificem cum ſuis in captivitatem abducant. Cœterum cum temporibus hiſce Ottomanorum potentia in ſtatu decretionis ſit, ut qui ante ſexcenta millia militum ad campos mittere facilè poterant, ut conſtat ex hiſtorijs, hodie vero cum difficultate trecenta millia erigant: quis non cogitabit facilioris fore negotij, ſi Principes Chriſtiani fideliter ſibi adunati convenirent, ut debellaretur fortiter, triumphareturque fæliciter adverſum Chriſti nominis inimicos, atque ita recuperaretur imperium illud, quo in tantum Chriſtiani olim Imperatores gloriati ſunt. Maxime cum & plurimi Turcarum ſubditi Chriſtiani ſint, qui avidè jugiterque deſiderant, ſperant, & machinantur ſui liberationem, & perfidiſſimi Tyranni exterminium, quod per arma Chriſtianorum Europæ Principum Deus concedat. Quod autem hoc non fiat, & quod ſic hodie â Principibus Chriſtianis in caſu talis tantique ipſorum perfidi inimici negligatur regula illa belli omnibus jam communis gentibus, ad defendendum ſcilicet, ad offendendum, Barbari, ut dixi, adſcribunt efficaciæ

(a) *Lucæ* 1. v. 71. (b) *Ibid.* v. 78.

ciæ orationis ſuæ, nec non prudentiæ ac ſagacitati ſuæ gentis: ut & aliud habeant adagium: *Oſmanni Dauſciani Haraba Ite Aular*: ideſt: Ottomanni capiunt ſive venantur lepores in curribus; collimantes ad ignominiam Chriſtianorum, quos armorum virtute in copia ſubdunt captivitati, ac proinde ut lepores timidos gregatim in curribus abducant. Aſt hæc ſunt, quæ prudens lector juſtè mecum deplores.

Perfida porrò hæc Orientis noſtri gens Turcica, Tyrannos ſuos appellare ſolet Chunkar; quod nomen compoſitum Perſicum eſt turpe ſonans, aptum tamen Barbaræ conditioni, quæ nullo digna eſt honore. Idem proinde ſignificat ac ſanguinem faciens, ſeu ſanguinis effuſor, quod utique nefario Tyranno rectè adſcribitur, & per antonomaſiam. Nec Imperator vocandus eſt, uti & ſui eum non vocant, quod juſtas imperandi leges conculcet, & inhumano faſtu ac ſuperbia, humanitatis jura peſſundet. Per excellentiam ergo magnus Tyrannus eſt, & jure talis nuncupatur à pluribus, prout & eum perſæpe nominavi in hoc opuſculo. Quamvis Perſæ ſimpliciter illum vocare ſoleant Sultanum. Cœterum relictis modernis Authoribus curioſus Lector meliorem, uberioremque habere poterit etiam notitiam apud Nicephorum Caliſtum lib.8. cap.30. qualis ſit Turcica gens, & unde ſit oriunda; ubi & nonnulla habentur notatu digna de origine Ungarorum.

Sed tandem omittendum non cenſeo, quin aliquid annuam in hoc meo opuſculo curioſo Lectori de populo illo olim in Oriente noſtro, Deo electo, & hominibus venerabili, nempe Judæorum, omnibus cujuſcunque fidei populis nunc exoſo: id utique in pœnam enormis ſceleris, quo Chriſtum DEI filium affecêre. Hinc ſentiunt, quod eis prædixerat Moyſes vigeſimo octavo Deuteronomij, maledictiones ſuas: non ultra habituri ut olim ex captivitate Ægyptiaca, Babylonica, & Perſica liberationem. Deteſtabilior enim eſt captivitas eorum moderna ablato eis omni dominio & ſacerdotio publico: Quamvis hæc ex conceſſione quorundam, aſt ſine ſplendore, aut ordine ſingulari exerceant. Inveniuntur & horum nonnulli in partibus Perſidis, majo-

majori, quam alibi miſeria afflicti: adeo, ut ſi quis eorum ad fidem Machometanam tranſire voluerit, prius Chriſti fidei nomen dare debeat, juxta Machometi, ut dicunt infideles, conſtitutionem. Nihilominus hi ſemper Meſſiam exſpectant ſuum: & credidêre adveniſſe quondam, ut mihi eorum narravit quiſpiam nomine Jacobus, quem in itinere cum P. Piſcopo in confinibus Moſcovitarum inveneram, qui & petijt â nobis duci in fines Chriſtianorum ut baptizaretur. Tale is de ſocio ſuo narraverat factum. Ex civitate Smirnenſi ſocium habuerat, diſciplinatum ſingulariter in Hæbraicis libris, á quodam Rabbi ſeniori Judæorum in Jeruſalem. Porrò Rabbinas animadvertens vivacitatem Ingenij in diſcipulo, ſtulta ambitione propoſuit omnibus Judæis in diverſis mundi partibus indicare, habere Meſſiam ſe pro diſcipulo, quem & omnes mundo adveniſſe gaudebant, atque ad viſendum eum, multi catervis confluxerant. Audito copioſo Judæorum confluxu, juſſit Turcarum Vezirius adduci â Judæis Meſſiam eorum, quem cum non ſine magna lætitia & ſpe converſionis Vezirij adduxiſſent, is eum interrogaverat, Meſſias ne eſſet? is reſpondit, utique. Juſſit ergo Vezirius afferri quantotius mortuum recenter aliquem, quem ſuſcitaret, quippe quod hæc miracula crederet propria Meſſiæ, cujuſcemodi & Chriſtum, quem Chriſtiani & Machometani verum Meſſiam agnoſcunt, patraſſe noſſet. Judæus ergo ſuam confuſionem & Tyranni veritus rabiem, illico ſe Meſſiam eſſe negârat, fidemque Turcis dederat. Cui in remunerationem, ſicut ineffabilem Judæis confuſionem Vezirius eum Kapuci fecit, ideſt: unum janitorum palatij ſui Domini, jubens ei nomen Muſtapha: quem & hoc officio & nomine & vita adhuc potiri intellexi in jugem hujus perfidæ & pertinaciſſimæ gentis Judaicæ confuſionem. Sed de his hic ſatis. Modo & breviter dicamus de alijs populis, qui circumjacent, & ſubjacent Perſarum Dominio.

ARTI-

ARTICULUS VIGESIMUS OCTAVUS.

De Armenia & Incolarum ejus ritu, ac Patriarchis Præsidentibus.

ARmenia regionum antiquissima putatur, sortiturque nomen suum ab Aram, ut quidam putant, filio Sem, & Nepote Noë, de quibus in scriptura Sacra Aram & Armenia idem significant, nempe altitudinem. Unde & in Armeniæ montibus Arca Noë quievit. Porro montem illum determinate Berosus Chaldæus apud Josephum lib. primo vocat montem Cordiorum. Sunt aut Cordij, qui & Curdij hodie dicuntur, populi Armeniæ versus Mesopotamiam Christiani promiscuè tametsi Principes eorum Machometani, juxta Ottomannorum sectam, atque in eorumdem dominio. Peculiari idiomate loquuntur, diverso quidem â Turcarum, sed non absimili â Persarum lingua. Bellicosi sunt, sed furtis magis dediti, sicut Arabes: ut eorum quis magis gloriari, & ut militem sese jactare ausit, qui plura furta audacior comiserit. Proinde hi populi continuas prædas & furta exercent ex parte Mesopotamiæ, sicut & Arabes ex Syriæ in Dominio Turcarum.

Memorato autem in monte tradit author præfatus, suo tempore ex ruderibus arcæ Noë adhuc bytumen esse abrasum, in morborum remedium. Cœterum memorabilia arcæ hujus superfuisse tradunt Armenorum historici usq; ad tempus Simonis Episcopi, qui Episcopus Mispinensis Mesopotamiæ erat, de quo & traditur, per concessionem sibi ob vitæ sanctitatem â Deo licuisse conscendere cacumen montis hujus ubi arca steterat, cum mons aliunde naturæ viribus vix conscendi possit; multis id tentantibus jam Regibus. Sentiunt ergo nonnulli Episcopum hunc consimilem parti memoratæ detulisse, illamque cum pristina arcæ parte collocasse in eodem loco, sicut & inibi curasse construi sacellum sumptuosissimum, in inferiori quadam amœnissima montis hujus regione versus celebratissimum flumen,

cui nomen Araxis, ubi populorum nonnulla confolatio confluentium effet. Contuleram me nonnunquam cum præfente Armenorum Patriarcha ad locum illum, capefcendæ vernali tempore recreationis gratiæ: poteftque ex fumma loci amœnitate ferventior homini excitari de Paradifo terreftri cogitatio, fed proh dolor! facellum dictum memoratas reliquias amplius non habet, quas forfan temporum injuriæ abfumpfere aut bellorum.

Vocatur & mons ifte ab alijs Barin; ab Armenis vero vulgariter Mafis: & in libris eorum Ararat, ficut & communiter ab Hebræis, Græcis, & Latinis vocari folet. Denique â Turcis dicitur Agridaghi. Sublimiffimum autem hunc effe montem inde patet, quod in diftantia quadraginta milliarium optimè adhuc appareat fumitas ejus & hieme & æftate nivibus cooperta: quæ fi quando diffolvuntur, tanto impetu ftrepituque ruunt formidabili, ut is per decem milliaria audiatur. Cadunt & tunc vermes nivei coloris, longitudinis fubinde trium, minufvè ulnarum, utique ex nivibus longo tempore jacentibus & putrefactis generati. Vix verò folem experiuntur, & in aquas refolvuntur. Invenitur & hoc in monte cryftallum pretiofiffimum, utique generatum ex glacie foliditfimâ virtute folis. Sed & hoc mirum mons habet ifte, quod pars ejus verfus orientem fita, omninò fit arida, atque horrida, & ob peftilentiam aëris, & aquarum, quæ â ferpentibus, Draconibus, alijfque animantibus venenofis copiosè ibi habitantibus inficiuntur, omninò hominibus inhabitabilis. Referunt porrò Armenorum Hiftoriographi, quod Reges eorum ante adventum Chrifti Salvatoris, maximam habuerint coloniam, ubi in pœnam habitare fecerant eos, qui fcelefti rebelles, & criminis rei erant. Nunc non nifi quædam rudera vifuntur. Reges etenim amplexi Chrifti fidem falutarem, mitiùs caftigarunt fuos, ut vel inde colonia illa fieret inculta, & defolata: redeuntibus inibi detentis facroque baptifmate tinctis in flumine Araxis. Pars porrò illa quæ verfus eft Occidentem amœnitate fua Idæa equidem paradifi videtur: aluitur dicto flumine Araxis,

fcatet-

ſcatetque fontibus lympidiſſimis, omnique florum, herbarum, arborum, fructuumque juxta temporum diverſitatem, & animantium quadrupedium volatilium, & natatilium copia abundans. Eſt & hic oppidum antiquiſſimum ad decurſum dicti fluminis, quod vocatur Nachori Armenicè; ideſt prima plantatio. Dicuntque antiquis ex traditionibus Armeni, primam vuarum plantationem â Noë factam, ibidemque inebriatum eſſe. Vinum enim generoſiſſimum eſt albi coloris, & utique tunc temporis generoſius adhuc fuerit, ob majorem vigorem terræ in eo tempore ut facilius Noë inebriaretur. Montis denique hujus circuitus univerſim eſſe poterit quindecim Germanicorum miliarium.

Sed & putantur ex Armenia veniſſe primi illi homines in campum Senaar, ad ædificandam turrim Babel: de quo videri poterit Ferrerius in Commentarijs ſuper Geneſim. Cœterum ex ſublimitate & antiquitate Regionis hujus non irrationabiliter exaltarunt ſcriptores per multi nationem Armenorum, eorundemque terram, maxime etiam quod in eo Deus elegerit conſervare & ſalvum facere genus humanum, illudque cum cæteris animantibus, cum cœtera omnia diluvio devaſtata eſſent, in terram Armenorum collocare. Unde & ipſi gentem terramque ſuam conſervatricem propagatricem, matremque appellant cœterarum. Neque carent Armeni linguæ antiquitate: etenim facta etiam confuſione Babel vocabula Armenica manſerunt in integritate ſua, uti aſſerunt ex traditione Genitoris & Patriarchæ ſui, ſcilicet Aram filij Sem. Cujus & conjectura ex quibuſdam nominibus civitatum & locorum, quæ uſque hodie Armeni per antiquiſſimam traditionem ſe habere ex Aram aſſerunt. Cujuſmodi eſt nomen Civitatis Erevan quod Armenicè idem ſignificat, ac quæ apparent; eo quod hic poſt quadraginta dies Noë cum ſuis in ſummitate montis verſus quem ex parte occidentali prope reſidentiam Patriarchæ Armenorum dicta Civitas ſita eſt, apparuerit. Nomen pariter Civitatis olim reſidentiæ Archiepiſcorum Catholicorum, ut alibi dicetur, quæ & ſita eſt propè montem, & vocatur Nachſcivan: quod ſignificat in Ar-

menica lingua edificationem primam: tradunt enim Persarmeni primam hanc civitatem esse â Noë ædificatam atque inhabitatam: quam postmodum Nepos ejus Aram Armenico vocabulo appellavit Nachscivan. Item nomen Oppidi supra dicti, in quo Noë plantavit vineam: nomine Nachuri. Ex his ergo & similibus vocabulis probant Armenorum linguam esse antiquissimam: & habere illam sicut fuit ipsis tradita ab eorum primo Fundatore, Genitore, & Patriarcha Aram, quæ aliunde copiosissima & fœcundissima est, inculta tamen ob defectum studiorum.

Scribunt Armeni more Latinorum & Græcorum, non vero inverso, more Arabum Persarum aut Turcarnm. Triginta septem habent Alphabeti litteras, quod non habent aliæ Orientis vel Occidentis linguæ exceptis Moscovis, Rutenis, & nonnullis nationibus Indiarum inde & forsan Armeni facilius præ cœteris asperas aliarum nationum pronuntiationes assumunt, quod sui idiomatis litteræ multiplices linguam reddant expetitiorem. Cœterum Armenica in se lingua, & advenis non adeo difficilis est sicut cœteræ Orientales.

Denique tantæ est amœnitatis Armenia, ut non solum Armenorum, sed & Græcorum Latinorumque Scriptores opinati sint, paradisum in eo consitum esse. Tantæ est amplitudinis ut in majorem & minorem dividatur, quarum & cuilibet præsidebat potentissimus Rex, sicut & de bellis accerrime habitis cum Græcorum Romanorumque populis constat: cujusmodi singulariter gessit Tygranis ille major, qui per quadraginta annos, cum potentissimo Romanorum Senatu vibravit acinaces; sicut & de illo linguarum Oraculo, & salutaris Theriacæ inventore, Mithridate Tygranis Genero constat, qui Pontum regebat Euxinum.

Habuit & tempore, quo Christi floruit fides, Reges potentissimos acerrimè adversum Romanorum Tyrannos dimicantes: inter alios contra Maximinum Imperatorem Christiano nomini infensissimum. Quorum sic memoriam facit Nicephorus Calistus. (a) *Bellum insuper Maximino ab Armenis illatum, qui antea Socij*

(a) *Lib. 7. cap. 28. Eccles. Hist.* *Roma-*

Romanorum fuerant. Belli causa erat Christiana fides & Religio. Quod enim homines inducere, atque persuadere illis voluit, ut, quem Christo præstabant, Idolis cultum offerrent, ex amicis hostes eos habuit. Quæ mala omnia eodem tempore coacervata, Tyranni audaciam furoremque contra Divinum Numen conceptum, satis coarguerunt. Et quum per jactantiam gloriose, eo quod Christianos persequeretur, atque Idolorum cultum propagari studeret, sibi polliceretur non famem, non pestem, non bellum Imperij sui ditionem invasurum esse: clades ea confestim cumulata, quum ineptam jactantiam & audaciam ejus represserunt Armeni &c.

Magnam igitur Armenorum potentiam, sicut & zelum in Christi fidem luculentius videndum habebit curiosus lector in primo Tomo reconciliationis Ecclesiæ Armenæ cum Romana, conscripto à Doctissimo Patre Clemente Galano, Ordinis Regularium Divi Cajetani, & olim per plures annos in Armenia atque Giorgia zelosissimo Missionario Apostolico: qui & in alijs duobus Tomis complura de antiquissima hac & nobilissima Orientis natione differit. Ubi & Armenorum à Gremio Sanctæ Ecclesiæ recessum, atque ad inania dogmata conversionem commemorat. Habuit porrò Armenia Sanctissimum Fidei zelotem Gregorium primum Episcopum nationis suæ, qui & crebris miraculis confirmavit Christi salutarem fidem, olim jam à Sanctis Apostolis Bartholomæo & Thadæo prædicatam, & sanguineis characteribus Armeniæ inscriptam: quorum & Apostolorum martyrij loca hodie tam à Christianis, quàm ab Infidelibus promiscue coluntur, & donantur; ubi & ædificata sunt Templa sacra ac sumptuosa ab antiquis Regibus Armenorum. Sunt & inibi Monasteria Monachorum Armenorum, quorum singulis singuli præsunt Episcopi Armeni, sub jurisdictione Patriarchæ majoris. Quæ quidem loca & ego devotionis causa invisens, non sine cordis amaritudine desolatam deflevi Christianitatem.

Porrò halucinantur qui putant, Gregorium hunc, tametsi miraculis clarissimus fuerit, fuisse illum Thaumaturgum olim Episcopum NeoCæsareæ. Hic enim post illum floruit, fidemque sanctam rursus abolitam in Armenia iste regnante Teridate crudelissimo Rege, induxit ac propagavit; ut inde communiter cele-

celebretur Sanctus iste tam ab Armenis, quàm à Græcis, & Latinis Gregorius illuminator Armenorum; cujus caput & hodie pluribus coruscat miraculis Neapoli in quodam Monasterio Monialium; & sub Imperio Constantini Magni, ad quem una cum Teridate jam converso eum venisse tradit Nicephorus Calistus lib. 8. cap. 5. ubi sic habet. *Sunt qui Gregorium una cum Teridate ad Imperatorem Magnum Constantinum venisse tradunt, eumque tam miranda, & inopinata audientem magnoperè lætatum fuisse, & Gregorium ipsum totius ejus regionis Episcopum ordinatum eò misisse. Gregorius igitur Teridatis suffragio comprobatus, quum Idolorum Fana ibi evertit, tum Christo sacra templa erexit, & miraculis præcipuis universam gentem ad fidem nostram redactam baptizavit, atque ad Servatorem Christum reduxit*: & paulò ante hæc sic & ibidem differit de isto vivo Christi Martyre Gregorio. *Cum enim Gregorius ille, qui edendis miraculis clarus fuit multa â Teridate propter Christum passus, & post multas, variasque malorum species ad quatuordecim fovea cenosa, & caliginosa* (quæ etiam hodie extat , cum quodam sumptuosissimo templo, & conventu Armenorum, & Armenicè Chor virab dicitur) *inclusus esset, Teridatis ipse ejus gentis Princeps, cum domo sua tota, & cum optimatibus divinæ iræ est expertus: ad vitam enim, & simul formam porcorum redacti seipsos devorabant. Cæterum ex fovea illa extractus Divus Gregorius uno signo omnibus Christum colere persuasit: & suilla forma, atque vita liberatos, institutum nostrum complecti coëgit, delubra eis construxit. sacra arcani, & mystici* (hic satis notandum occurrit hæreticis hodiernis in ipsorum confusionem de antiquissimo usu celebrandi sacrificium altaris) *sacrificij celebravit, & novis miraculis incolas dæmones ex ea regione exturbavit.*

Sed & Armenorum Historici tradunt Gregorium illum sanctum cum Teridate fuisse Romæ magna quoque cum copia exercitus & Optimatum ejus, ad Constantinum Magnum, & summum Pontificem Romanum Sylvestrum; ab eodemque fuisse constitutum & confirmatum Episcopum gentis suæ. Inde & nonnunquam objiciebam eis ut validum argumentum, non esse eos ultra Genuinos filios Gregorij illuminatoris sui quod hic acceperit authoritatem â Romano Pontifice, illique totalem perpetuam-

tuamque præstiterit obedientiam, â quo ècontra ipsi (puta Schismatici) recedant, unumque gremium Sanctæ Ecclesiæ non agnoscant: ut de ijs verificetur, quod dicitur (*a*) qui *fodit foveam incidet in eam*, *& qui dissipat sepem*, *mordebit eum coluber*. Machometus enim coluber est, qui Orientem vix medicabili vulnere infecit, dum populus sepem unitatis Christianæ ausus est dissipare. Unde miseram conditionem & inopinatam vestram captivitatem (inquiebam) non absque ratione ploravit Magnus atque Sanctissimus ille Patriarcha & Propheta vester Nerses, sicut alter Jeremias suam veritati rebellem gentem, alterius misera captivitate afflictam. Qui & Nerses aliunde vos recte asseruit sperare non posse salutem nisi â Romanis, â quorum sinu perperam recessistis: qui tandem invincibili potentia sua & sapientia cœlesti dissipabunt nubes & caligines èorum ac Tyrannidis ex Oriente vestro, restituentque pristinum splendorem suum quo tempore felici Constantini Magni, cœterorumque pijssimorum Romanorum Imperatorum refulsit. Hæc & plura alia prophetico spiritu predixit Nerses, de plurimis Orientis â fide Orthodoxa aberrantibus nationibus, sicut & plurima de origine invasioneque obscurissimæ Turcarum gentis in terras Orientales Christianorum: uti curiosus Lector videre poterit in tomo primo memorati P. Galani: quæ hic brevitatis causa omiserim. Plurima cœteroquin ab eo dicta jam verificata sunt: unum restat implendum in consolationem gentis hujus: nempe liberatio â dura Machometi captivitate per Romanorum potentiam & benevolentiam. Vos ergo inquiebam tum juxta Prophetiam creditis, vos potentia & benevolentia Romanorum liberandos, ut quid non benevola unione eosdem prævenitis vobisque obsequijs vestris, quæ revera debetis, eos obligatis abijcienties ea quæ Schisma sonent, & ut erronea ab ijs reijciuntur. Frivolis ad hæc uti solent responsionibus, qui suis detinentur erroribus: asserentes mihi non nunquam, tunc se velle uniri cum Romanis circa dogmata fidei, ubi adimpleta fuerit prophetia à Romanis circa liberationem suam; quam & brevi sperent adimplendam.

(a) *Eccles. cap.* 10. *vers.* 8.

dam. Corvina igitur voce procraſtinant converſionem ſuam: non curantes momentum unde & hodie beata ſibi dependet æternitas. Cœterum complurimi perdocti tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici eorum ſecum occulto ſentiunt, fatenturque, ſicut & non poſſunt non ſentire atque fateri, volutari ſe pertinaciter in erroribus, & ſancto Chriſti gremio rebelles eſſe: id quod & ex libris ſuis, & traditionibus Sanctorum Patrum, qua ſuorum, qua Græcorum luculenter deſumere poſſunt. Hos inter primus eſt ipſorum Magnus & Venerabilis Patriarcha Jacob, â ſuis magnæ ſanctitatis & pietatis vir habitus, octoginta annorum circiter ætatis ſuæ, virium vero robure, quo juveni triginta annorum par eſt plurimos adhuc ſperans annos, nihilque adhuc fatalis omnimoda ſibi canitie edicente. Is porro jocoſo certamine â quodam Perſa Armeniæ vice Rege coactus eſt ſuum in Chriſtum Zelum demonſtrare. Innuebat enim ei Vice Rex ut dum ipſe in honorem ſui Machometi, Patriarcha biberet in honorem Chriſti, viſuri ſic cuinam Propheta longiorem præſtiturus ſit aſſiſtentiam. Inijt certamen Patriarcha, & Vice Regem Machometanum ut cadaver ſepultum lecto dereliquit, Patriarcha rurſum ad fratres ſuos pro ſacris in templo orationibus perſolvendis abſcedente. Qui & poſtero mane accedens Vice Regem jocoſe ſimul & ſeriè eidem condolebat: illud aſſerens. Vos certè Perſæ & omnes omnino Machometani nullo ſane negotio nobiſcum Chriſtianis efficere quidpiam poſſetis, niſi eſſet ira Dei noſtri, qui corripit nos propter mala noſtra, & in delictorum pœnam ſub veſtris manibus humiliat. Eſt cœteroquin Patriarcha hic infenſiſſimus Machometanis, ſentiens ſe morte non habiturum, donec bello ſub crucis Chriſti vexillo inito triumphum faciat adverſum eos; confidens de robure & multitudine fortiſſimæ gentis ſuæ, ſolumque ſperans auxiliatrices manus, ſeu aſſiſtentiam benevolam Romanorum, juxta Prophetiam Anteceſſoris ſui Nerſes: ſicque velle ſe renovare amicitiam, quam pij ſanctique Anteceſſores Armeni benevolentiſſima unitate cum Romanis habuêre. Sed & bonæ hujus opinionis ſuæ ſpecimen dederat in tempore Alexandri ſeptimi, mediante quodam Religioſo

ligioſo ſacri Ordinis Prædicatorum, R. P. Paulo Piromali, natione Italo, & Catholicæ in Armenia majori Provinciæ olim Archi-Epiſcopo: ſicut & tempore Clementis noni: quos ipſe Pontifices benevolis litteris ac ſalutationibus venerabatur, qui & donarijs ſingularibus paternam eidem benevolentiam viciſſim exhibuêre. Cœterum tametſi præfatus Reverendiſſimus P. Piromali alijque Religioſi diverſa, tentârint; ſine tamen ſucceſſu deſiderati finis.

Tandem vero miſericors Deus ad octo annorum labores exiguæ perſonæ meæ, cor ejus ſuaviter & fortiter attingere dignatus eſt, ut ſenex venerabilis cum omni mentis humilitate & contritione, emiſerit Profeſſionem ſanctæ orthodoxæ Romanæque fidei in manibus bonæ memoriæ Reverendiſſimi P. Piſcopi Ord. Prædicatorum: præſente quoque ejuſdem ſocio Religioſo, nomine Raymundo, Neapolitano. Is ergo omnes errores Schiſmatis lui, quos ego in Armenica lingua interpretabar, ſigillatim dete, ſtatus, atque inde â præfato Patre Piſcopo tanquam miſſionario Apoſtolico ab excommunicationis vinculo abſolutus, tactis Sacroſanctis Dei Evangelijs adpromiſit perpetuam obedientiam ſummo Pontifici Romano, ut Univerſalis Eccleſiæ capiti & legitimo Divi Petri Principis Apoſtolorum Succeſſori.

Et hæc ſancta negotiatio noſtra fiebat in Sede Patriarchali illius, quæ dicitur Ec-miazin, menſe Aprili anno ſalutis noſtræ 1676. Dies erat Jovis: & ſane; qua grandis hæc Jovis victima imolabatur ad aras fidei ſanctæ, mane circa horam nonam. Hujus & ingenuæ profeſſionis ſuæ ulteriorem Romanis exhibiturus atteſtationem manu propria ſcripſit ad Eminentiſſimum Dominum Cardinalem Altirium, tanquam ſacræ Congregationis de propaganda fide Præfectum, & Cardinalem Patronum: ſicut & ipſummet Clementem X. alioſque quoſdam Principes Catholicos litteras, inſerens me, Patremque Piſcopum tanquam ſuæ mentis, ſtatuſque præſentis, & profeſſionis exactæ oculatos teſtes. Ponderet nunc Lector benevolus, quid gaudiorum ego, & Patriarcha, ille de ſtatu ſuo, & ego de labore meo, quem & hoc in caſu per multos annos & in alijs occaſio-

nibus ad honorem Dei Creatoris, & Salvatoris mei Christi, sanctæque Matris Ecclesiæ Romanæ gloriam, non sine magnis dæmonis, ejusqu e sequacium contradictionibus & persecutionibus, favente tamen Dei gratia feliciter superatis exantlavi, nancisci possimus. Ut & memoratus Patriarcha in litteris ad Augustissimum Imperatorem datis hæc de persona exigua mea ponere non dubitârit. *Qui* (ait) *per multos annos nobiscum conversatus, & proprijs oculis suis quidditatem* (notet hunc terminum prudens Lector) *nostram vidit & scivit, & cum eximia laude floruit inter infideles: Qui igitur omnia nostra arcana patefaciet Majestati vestræ.* Has ergo ad Augustissimum Invictissimumque Romanorum Imperatorem LEOPOLDUM exaratas mihi soli tradidit, ut ego tanquam ipsi intimus, omnisque ejus intentionis gnarus clementissimis Augustissimæ dictæ Majestatis manibus consignarem: sicut & debitissimâ cum veneratione eidem sacratissimæ Majestati obtuli, præsente R.P. Piscopo: ubi & oretenus prointerim breviter quædam retuli circa mentem & statum, qua supradicti Patriarchæ suæq; gentis, quà totius Christianitatis in Perside.

Sed & de zelo Patriarchæ memorati in Sancta Christianorum Dogmata quidpiam saveat recensere. In Gallia hæreticorum nonnulli ejus Ecclesiam, quæ in Perside est, diffamaverant coram Galliarum Rege, famosis edentes libris qualiter Christiani Armeni, qui sunt in Perside, secum in rebus fidei præcipue quoad Sacramentum Eucharistiæ, & non realem præsentiam Corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus convenirent contra universalem Romanæ Ecclesiæ doctrinam. Quod idem Rex inaudiens per Legatum suum tunc ad portam Ottomanorum existentem, à Patriarcha Jacob existente pariter in eadem tunc ob quædam jurisdictionis suæ negotia, inquiri fecit. Is ergo nedum verbis ad Legatum, sed & eruditissimis litteris ad Galliæ hæreticos responsa dedit, qualia forsan ex Regis sui jussu etiam ab Ecclesijs, quæ erant in Regia Persidis Isphahan, desideraverat Legatus. Prima igitur occasione Patriarcha zelosissimus expedivit litteras ad me, sicut & Episcopos ac Optimates Armenorum illorum, qui in Perside existunt, prout &

Lega-

Legatus expediverat ad P. Raphaelem. Conveneram his habitis illico Archiepiſcopum David, alioſque Epiſcopos & Doctores Armenorum, congregarique fecimus principaliores nationis, quibus litteras de illata ab hæreticis Occidentis calumnia relegimus. Diſſertiſſimè vero dein ac eruditiſſime adverſum inventores reſponſum eſt, ita ut litteræ, ſicut nobis relatum eſt, confuſionem reprobis pepererint Hæreticis Galliarum haud exiguam, nonnulliſque corda contriverint, ut amplecterentur Romanam Catholicam veritatem. Hic proinde caſus abſimilis non eſt illi, qui acciderat Alexandrinis eorumque Patriarchæ Geraſimo: dum enim hic provocatus ad amplectendam ſectam Calvini per Oratores Hollandos Antonium Siberum & Cornelium Hagium, taliter cum ſuis reſpondit, licet ſchiſmaticus eſſet, & Romanæ etiam Eccleſiæ non unitus, ac ſi eſſet quidam Auctor claſſicus Romanus, ut & hodie ſtent in confuſionem litteræ hæreticis, eorundemque figmentum ac errorem demonſtrent: quos & habet Leo Allatius Græco & Latino celeberrimus orbi inter ſcriptores moderni temporis: cujus & affluentis doctrinæ ego quandoque Romæ exiſtens particeps eram. Unde liquet Lectori, quod hæretici occidentis ij ſint, de quibus Propheta (*a*) *Os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient*; loquuntur enim de Chriſtiana veritate gutture alieno.

Eligunt autem Armeni Patriarchas ſuos in Conventu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Procerum nationis ſuæ abſque ſcrutinio quidem, aliove ſortis modo. Tum vero & electus conſecratur ab Archiepiſcopis magna ſolennitate plurimiſque cæremonijs juxta rituale ſuum: poſteriſque diebus ad thronum Patriarchalem in Patriarchali Eccleſia conſcendere faciunt, ſeſſionemque in functionibus Eccleſiaſticis ſibi propriam capere. Requiritur tamen & aſſenſus Perſarum Regis, ad quem obtinendum multi quandoque fiunt ſumptus. Habet autem hujuſcemodi Patriarcha juriſdictionem in omnes Eccleſiaſticos & ſæculares Armenos quo ad ſpiritualia non ſolum in hos qui in Perſi-

(a) *Pſal. 113. v. 13. & 14.*

de, ſed & plures qui in Turcia ſunt. Quamvis præter Patriarcham hunc tres etiam alij ſint. Unus in Dominio Perſarum, cujus reſidentia vocatur Canzaſar: duo verò alij ſub juriſdictione Turcarum, quorum unus reſidet in Civitate Sis, olim reſidentia Regum minoris Armeniæ: eſtque in Cilicia, quæ fuit Patria Divi Pauli Doctoris gentium, & inter Provincias minoris Armeniæ numeratur. Alter vero in quodam conventu nomine Achtamar, fundato in Inſula quadam celebratiſſima maximi illius lacus in Turcarum Perſarumque confinio, qui Geographis latinis Giochus dicitur. Quilibet horum ut patet diſtrictus & Provincias peculiariter ſibi habet definitos, quæ non modica ijs eſt contradictionis & altercationis anſa.

Familiaris autem ipſis diviſionis, & ſciſſuræ objeceram perſæpe non eſſe aliam cauſam niſi diviſionem & ſciſſuram cum Eccleſia univerſali, qua temerarij reſiſtunt Romano Pontifici, unde & cum ſuis quotidiano experimento affligantur, atque ab infidelibus arduo jugo torqueantur. Cœterum proventus juriſdictionis & curæ, præter eleemoſynas annuales, ſunt & ex oleo Chriſmatis, quod Patriarcharum quilibet in Eccleſia ſua magna quidem ſolemnitate, ſed non minori conficit ſuperſtitione, ſubditis tum ſibi Epiſcopis & miniſtris cum certa quantitate concredens, determinatamque & non modicam exigens pecuniam.

Conſtans cœteroquin & ſua laude non indignus eſt animus Chriſtianorum ſimplicium Orientis, qui, præterquam quod diris vexentur modis per Tyrannidem infidelium; â Paſtoribus ſuis Eccleſiaſticis, diſcolis utcunque & ſana doctrina carentibus magnas patiuntur tributorum exactiones; quas tamen obſequio maximo tolerant, ijſque cum veneratione deferunt: ad exemplum pluribus fidelibus Europæ, quibus, non ut illis, terra lacte & melle manans favet.

Reſidentia denique primi Armenorum Patriarchæ, ſcilicet Jacobi Armenicè dicitur Ec-miazin ideſt, deſcenſio unigeniti. Dicunt enim Armeni unigenitum Dei apparuiſſe in loco illo S. Gregorio oranti, in cujus ſanctam memoriam à Teridate Rege

con

constructam Ecclesiam, & â facto nominatam. In medio autem Ecclesiæ locus apparitionis est sub majori cupula, & vocatur Sandaramet: usque modo pretiosissimè adornatus, & tam â fidelibus quam infidelibus multa veneratione frequentatus. Antiquissima proinde Ecclesia est, sumptuosa, grandis ampla, & sublimis, ex ingentibus lapidibus constructa: Turcicè dicta Ucikilise: idest: tres Ecclesiæ: sunt enim ex utroque latere illius aliæ quædam: non quidem contiguæ, ita tamen vicinæ ut vix unum horæ quadrantem iter ab una ad aliam absumat. Sunt in honorem sanctarum Virginum & Martyrum Gajanæ & Ripsimæ eodem tempore sumptuosissimè pariter erectæ â pientissimo Teridate, qui una cum suis, in construendis templis, cœnobijs, Monasterijsque pro commoditate fidelium, singularissimus erat: ut si quis invisens diversa majoris & minoris Armeniæ loca, videre voluerit, reperiet montes, colles, valles & campos promiscuè ornatissimos olim fuisse his ædificijs, & non modico flore odorem suavitatis Christi fideles ex Armenia cœlum usque spirasse. Nunc proh dolor Machometana persecutione ad desolationem omnia devenêre. Cœterum Civitas quædam est majoris Armeniæ nunc in confinibus Persarum atque Turcarum, & vix duobus diebus distans â Patriarchæ Jacobi residentia, Ec-miazin, quæ civitas Ani dicitur, unde & oriunda est familia mea Bedik, ut suo loco dicam, vastissima est, & qua artis pulchritudine, qua situs amœnitate, qua demum aëris temperie, terræ fœcunditate, & aquarum fluminumque frequentia optabilis. Hac in civitate actu mille inveniuntur & unum templum Christo dicata, apparentque ceu recenter essent exstructa, unde considerabit lector civitatis vastitatem. Nescio ergo apud quam Christiani orbis nationem tantus Christi fuerit cultus sicut olim apud Armenorum gentem: prout & specialem memorata de civitate mentionem facit nominatus P. Galanus in primo tomo operis sui. Cœterum illam nunc nemo inhabitat, nisi Pastores quidam æstivo tempore greges suos inibi pascentes: ut nec quidem infidelis lacrymis abstinere valeat super ejus desolatione: cujus quidem sicut

&

& aliorum ſacrorum locorum ac civitatum Armeniæ, deſtructio, non tam Perſis Machometanis, quam Turcis tribuenda eſt, quod hi præ illis immitiores ſint, & inhumaniores, de induſtria inſidiantes ſacris locis: cum econtra Perſæ in his quandoque ſuas perſolvant orationes, dicenteſque loca eſſe ſacra, & Deo dicata, nec officere, quod â Chriſtianis fuerint poſſeſſa, aut erecta. Unde & Amurathes Turcarum invaſurus Perſarum Regnum, volenſque habitare in reſidentia Patriarchæ Armenorum ſupra memorati, juſſit inter alia, ut in templo Patriarchali ſui ligarentur equi tanquam in ſtabulo abjecto. Perſæ verò cum eos Barbaros abegiſſent, auxiliantibus Armenis, ad juſſum Regis Sephi, locum à perfidis profanatum & infectum, purgare debuerunt, rurſumque Patriarchæ conſignare: ubi & ipſe cum ſuis more ſolito victoriæ grates Deo ſummo reddidit.

Denique Patriarcha Ec-miazin inter alios titulos ordinarie ſibi adſcribit, eſſe ſe Catholicum omnium Armenorum, Patremque venerabilem eorundem, quod alij tres præſumere non audent. Item eſſe ſe Patriarcham Vaghar Sciapad, quæ fuit olim celebratiſſima & vaſtiſſima civitas, capiens ſexaginta millè Judæorum domus: olimque ordinaria Regum majori Armeniæ reſidentia, ſicut & Patriarcharum; unde & hodie iſti ſe nominant. Suntque tres illæ Eccleſiæ in ſitu civitatis illius: exceptis quibus, & uno oppido Armenorum, quod donavit Pater iſtius Regis Habas moderno Patriarchæ Jacob, nihil aliud veſtigij illius ingentiſſimæ civitatis apparet, ſed ſolo æquata eſt, imputatâ deſtructione Thamerlano ſuiſque barbaris ſcythis, in odium fidei, ut tradunt Armeni. Denique ritus Eccleſiaſticus Armenorum differt â ritibus Græcorum & Latinorum: celebrant tamen in azymo ſicut Latini, Uxorem antequam fiant Sacerdotes aut Diaconi ducere debent: ſique ijs moriatur Uxor in Sacerdotij tempore, aliam ducere non poſſunt, niſi Sacerdotio deponantur, & ignominioſe â Laicis haberi velint. Quando porro Sacerdotes ab Epiſcopis juxta ritus & ceremonias ſuas in Eccleſijs conſecrantur; conſecrantur quaſi pariter mulieres eorum in domibus ab alio quodam Sacerdote ab Epiſcopo deputato,

tato, ſub lectione plurium ex Evangelijs, Apoſtolis, & Prophetis, benedicente eas ſemper & Sponſas appellante miniſtri Regis cœleſtis, qui Chriſtus eſt. Idque in præſentia cœterarum Sacerdotiſſarum, Diaconiſſarum, aliarumque mulierum totius Cleri, pluriumque ſæcularium: â quibus & diverſimode induuntur, exuunturque; & præſente Sacerdote coram cruce omnes earum actiones & functiones benedicente, quatuor vix horis abſolvunt negotium ſuum. Manent porro mulieres Sacerdotiſſæ ſic benedictæ veſtibus ſuis per diem ſolemnitatis indutæ in domibus ſuis, quadraginta etiam dein diebus nemini loquentes, ſed pro dignitate ſua Deo gratias agentes, quod idem maximè in cibi & potus abſtinentia obſervant mariti earum Sacerdotes, in Eccleſſijs detenti. Donec tandem curioſis denuò cæremonijs ſuas adducant in domus proprias. Quando Item Armenorum Sacerdotes celebrant ſacrum uno prius abſtinent menſe â thoro, ad dignos ſeſe tanto Sacramento reddendos. Die verò celebrationis orantes in Eccleſijs detinentur, carnibus non veſcuntur, neque vinum bibunt, ſed aquam cum lacticinijs ſumunt. Pariter cum vices celebrandi cuidam finiuntur, abſtinent â thoro per ſeptimanam ſequentem, ob recentem Sacramenti memoriam. Unde non niſi bis vel ter in anno celebrant, hoc prætextu, quod matrimoniali addicti ſint jugo, ſeſe prohibente, quo magis digne tractare Sacramentum poſſint. Qualem porro hoc in jugo ſuo, quod utique tale eſt & intollerabile, ſentiant hi conſolationem animi, & ſpiritus devotionem: tu ponderabis Lector: qui ſcies, providè ad vitanda hujuſcemodi inconvenientia ſtatuiſſe ſanctiſſimam Romanam Eccleſiam, & uſque hodie velle, ut corporis puritati aſtricti ſint, Sacerdotes Dei, qui puritatis eſt Author, & omni digniſſimo ſervitio coli deſiderat.

Jejunia Armenis in anno plura ſunt: adeo ut per medietatem illius jejunent, neque piſcibus etiam veſci ſoliti, neque vinum bibere. Quantumcunque latrent hæretici contra longe mitiorem jejunandi modum Romanorum. Cœtera pariter habent Sacramenta, dempto quod eſt extremæ unctionis; hoc

enim

enim non nisi post mortem ex grassa ignorantia conferunt. Observant usum Sacrificiorum sicut Judæi contra legem novi Testamenti, cui unicum & sufficientissimum erat sacrificium JESU Christi cruentum in cruce, alterumque incruentum in sacrificio missæ. Sed inter principaliores errores Armenorum est error Monophysitarum, qui duas in Christo Domino negabant naturas, quamvis afferant, eum esse perfectum Deum & perfectum hominem: Unde quandoque talem hujus nostræ gentis alias deplorandam ignorantiam ridebam, sicut olim riserat doctissimus ille Diaconus, & Referendarius Georgius Pisides his jambicis versibus Joannem Philoponum Philosophum Alexandrinum, & præcipuum Monophysitam, satis lepidè sic differens cum illo.

ψηφίζεται θᾶτlομ μίαν τε καὶ μίαν
ει, γαρ μίαν τε καί μìαν λέγης μίαν
γέλως τὸ λεχθέμ γίγνεται καί παιδìοις.

Unam atque mox unam lapillo computat:
At unam, & unam fortè si unam dixeris,
Pueri vel ipsi tale dictum riserint.

Profiteris, inquit, *Philosopone Philosophorum omnium laboriosissime, & sapientissime duas naturas in verbo unitas esse: unam divinitatis & unam humanitatis. Si ergô duas naturas in eo convenisse dicis, quomodo duas rursum in unam contrahis? una namque, & una, dua sunt, non una. Itaque si quis in eadem subjecta re, duo quadam predicando indicet, eaque rursum in unum redigat, ridendum se merito prabeat.* Hæc ille. Sed & ante ipsum contra hunc Monophysitarum errorem Sanctissimè scripserat Gregorius Theologus, utpote Nazianzenus lib. de Divinitate ad Evagrium Monachum, nec non Leontius Monachus vir pietate, & doctrinâ eximius, & quam plurimi secuti sunt eos moderni Authores.

Adhærent pariter nostri Armeni errori Theopaschitarum, qui temerè addere voluerunt illi Hymno ter Sancto aliquid perter id, quod didicerat ab Angelis puer ille miraculosè ad cælum elatus è medio populi Constantinopolitani, Deum enixè supplicantis

plicantis propter ingentem illum terræmotum, qui ſucceſſerat civitati imperante Theodoſio juniore; qui igitur puer ſic Angelos canentes audiverat. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.* Theopaſchitæ verò hunc Angelicum Hymnum non Sanctiſſimæ Triadi volentes accomodare, ſed Incarnato Verbo accinere ſatagentes, acceſſione additioneque aliena corrumpere auſi ſunt dicendo: *Sanctus immortalis, qui crucifixus eſt pro nobis,* ac ſi immortalis Dei natura morti eſſet obnoxia. Hujus autem erroris primus Author cenſetur Petrus Cnapheus, quem fuit ſequutus Severus dictus Acephalus; hos tandem Jacobus Syrus, à quo ſunt nominati Jacobitæ in Syria, fuit & cognominatus Jacobus iſte Zanzalus, eo quod valde obſcuruus eſſet ſanguine, & nullius dignitatis & gloriæ vir, ſtudens tamen maximoperè erroribus Euthychetis, Dioſchori, Cnaphei, Severique, ſummus evaſit apud ſuos Syros errorum Doctor, quos & in illis imbuere diligenter operam dedit; à quibus Syris poſtmodum fuerunt noſtri corrupti Armeni; ſicut & Ægyptij Chriſtiani, qui Cophti dicuntur, nec non vaſtiſſimum Imperium Æthiopum, qui alias vulgo Abiſſini, & Pretigiani nuacupantur,, fuit, & eſt infectum erroribus hujus Zanzali Jacobi, quem proinde noſtri Armeni, Syri, Cophti, & Æthiopes unanimiter ſequuntur, & venerantur.

Cæterum hos alioſque hujus gentis errores ſacrificiorum maximè ſuperſtitiones curioſus videre poterit lector apud ſæpe memoratum P. Galanum, hic enim ſingillatim omnes recenſet errores, eoſque ſingulari reijcit doctrina, relictis tamen his, qui perperam huic imponuntur nationi, ſicut jejunare pro cane, & ſimilia ludicra, quæ mera Græcorum ſunt figmenta contra Armenos: quare hic recenſere illos eſſet mihi ſatis operoſum, & extra meum Scopum. Sed dicere hoc unicum haud nefas erit, quod tum in prædictis, tum in alijs erroribus, fermè Armenorum omnes detineantur magis ex quadam craſſa ignorantia, quam ex formali malitia ob ſtudiorum defectum nempè; prout mecum diſcurens hic Viennæ de noſtri orientis ſchiſmaticorum erroribus ſapienter, & cum commiſeratione animadverterat hunc notabilem in illis defectum ſapiens piuſque

ille Cæſareus Miniſter Comes Bernardus Martiniz Bohemiæ Prorex: addens, quod hujuſmodi ſchiſmatici ſapientiæ vel maxime lumine ſint deſtituti, quia nimirum ſpiritum ſanctum (à quo ſapientiæ donum procedit) à Patre Filioque procedere negant; quapropter plures illorum hodiè illuminati à Miſſionarum doctrina priſcis jam abſtinent erroribus; utinam & omnes omnibus abſtinerent erroribus, eſſetque illis unus Paſtor, & unum ovile, ſicut in illis aureis ſeculis in quibus aurea libertas orthodoxæ veritatis cum aureo Sceptro ingentis Dominij ita floruerat apud hanc orientis famoſiſſimam, & Potentiſſimam gentem, ut meritò pro decore & defenſore Chriſtianæ pietatis, Majeſtatiſque fuerit olim in oriente habita.

Dicendum tandem de Armenis quod ex quo ſuum de perdiderint Imperium plerique illorum diſperſim ad omnes mundi plagas peragrantur, mercimonij potiſſimum gratia, quod hodiè ad excellentiam exercere videntur: nulla etenim natio eſt hodiè, quæ ſit ita univerſalis quoad loca, & objecta mercaturæ per mare terramque, ſicut Armena. Hujus porrò honeſti exercitij ſubſidio, ſuæ gentis ſuæque Chriſtianæ religionis decus honeſtatemvè tueri conantur infideles inter, quibus ſubduntur: hinc & eſt, quod præ cæteris orientis Chriſtianis nationibus majori fruatur commoditate, honore & libertate natio Armena apud orientis Tyrannos; in cujus proinde honorem, & favorem talis Machometanis ſancita ex lex ut exceptis Armenis, omnes cæteri Chriſtiani ex quacunque natione, & gente, poſſint, & debeant mancipari. Sed hæc breviter dicta ſint ſatis de hac celebratiſſima natione, cum & aliunde Iucunletiſſima habeatur mentio, & narratio de illa apud Modernos, & vetuſtiſſimos Græcorum & Latinorum Authores, nec non apud antiquum Theatrum humanæ vitæ, ubi potiſſimum videre eſt de antiqua hujus antiquiſſimæ gentis benevolentia erga Alemannos.

ARTI-

ARTICULUS VIGESIMUS NONUS.

De Provinciâ Catholicâ Naxivan, quæ est in Armenia Majori, sub curâ spirituali Reverendorum Patrum Ordinis S. Dominici, nec non de domibus & Conventibus aliarum Sacrarum Religionum sub ditione Persarum.

TAndem, pro majori me tibi consolatione scripturum confidere ausim, amice pieque Lector, dum Christi Sanctam & Orthodoxam Religionem etiam sub Persarum & infidelium Dominio vigere palam fecero. Habet nempe & illud inter cœtera laudis elogium Ecclesia DEI sancta, quod nedum una, sed & Universalis sit: ac Catholica. universale respiciens objectum ultimumque communem omnibus fidelibus finem: cùm cœteroquin sectæ cœteræ particulares respiciant magis fines, honores, divitias, vivendi libertatem &c. Cœterùm DEUS prima & universalissima veritas, nón hujus tantum vel illius est populi; sed omnium ut inquiebat Augustinus (*a*) generalia item fides hæc sancta, & Ecclesia sacratissima tradit præcepta ad omnium universaliter mores instaurandos & vitia extirpanda. Denique & universalis est in homines, quibus præcepta statuit, ut dicit Boëtius (*b*) non uni tantùm genti, sed omnibus documenta fidei proponens. Unde in Isaia dicitur de ea (*c*) *mihi curvabitur omne genu & confitebitur omnis lingua.* Quod quidem, teste S. Thoma super Boëtium (*d*) *per fidem & Christianam Religionem impletur*, ipsa enim fidelis Ecclesia colligitur ex omni tribu & lingua, ex omni populo & natione, ut dicitur in Apocal. (*e*) nec illi est differentia de sexu & conditione. *In Christo enim JESU non est masculus & fœmina, Gentilis & Judæus, circumcisio & præputium* (*f*) *nec servus nec liber,* (*g*) ut proindè omnes in unum confluant nationes, & sancta Christi

 fides

(a) 12. *Confess. cap.* 25. (b) *In principio de trinit.* (c)
(d) *Opusc.* 70. (e) *Cap.* 5. (f) *Ad Colos.* 3. (g) *Ad Gallat.* 3.

fides extendatur usque ad terminos terræ. Ut meritò subdat S. Doctor loco citato. *Meritò Catholica Ecclesia notatur utpotè cujuslibet conditionis hominibus recepta.* Cui pariter aliæ sectæ vel hæreses gloriari non possunt, prout id ipsum pulchrè expressit Augustinus (*a*) dicens: *tenet me in Ecclesia ipsum Catholica nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Ecclesiam Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum Basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Et alibi, (*b*) *singulæ hæreses in multis gentibus, ubi Catholica est, non inveniuntur, hæc autem quæ ubique est, etiam ubi illæ non sunt invenitur.* Denique brevissimè omnia, quæ hactenùs diximus alibi complectitur. (*c*) *Ecclesia totum mundum possidet & quæcunque congregatio cujuslibet hæresis in angulis sedet.* Cæteræque namque congregationes hæreticorum, ut idem S. Doctor alibi docuit, comparantur sarmentis præcisis, quæ, uti cadunt dum præscinduntur, ibi manent, cùm cætus ille qui est vera Ecclesia, tanquàm vitis vivat, & ubique palmites suos extendat. Latius quædam de his Cardinalis Turrecremata. (*d*) Igitur *anathema* ei dicitur (cum Augustino loquor) *quisquis annunciat Ecclesiam præter communem omnium gentium.* (*e*) Nam *diversorum hæreticorum idcò Ecclesiæ non dicuntur, quia per loca ac suas quasque Provincias continentur, hæc verò nempè Catholica, à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* (*f*) Hac ergò universalitate suâ etiam sese in Persidem extendit ac Armeniam Ecclesia Christi sancta. Et tametsi in his plures Provinciæ turpiter sint schismate scissæ, plures tamen sancto gremio rursùm adunatæ, atque orthodoxam fidem amplexæ sunt: idque ad jugem singulariter prædicationem Fratrum Sacri Ordinis Divi Dominici, licet & illæ vel bonorum Pastorum defectu, vel temporum & bellorum injuria, vel schismatum grassante pestiferâ lue, more canino subindè ad vomitum reversæ sunt, erroribus pristinis denuò involutæ. Cœterùm

(a) *Lib. cont. Episc. fundament. cap.* 4. (b) *Lib. de unit. Eccles. cont. Donat.* (c) *Lib.* 4. *de Symb. cap.* 10. (d) *Lib.* 1. *sum. cap.* 13. (e) *Epist.* 48. (f) *Tract. de Symb.*

terùm illebata ſtat hodiè una illarum Provinciarum ſub cura vigili memoratorum Patrum ab annis jam trecentis & ultrà ſub orthodoxæ Eccleſiæ crucigero militans vexillo. Singularis eſt hæc roſa tot inter ſpinas ſchiſmatum & vitiorum, hoc imò ipſo cœlis fragrantior, quod fætido infidelium aloë & ſchiſmaticorum livore non tam inficiatur, quàm ſuavior reddatur. Sortitur ſolationem ſuam, quod refugium habeat, uti tenellus infans ad gremium maternum ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quæ nullo non lacte ſanctarum adhortationum eandem fovere curat, ut alibi dicam.

Hæc porrò Provincia quò ad diſtrictum ſuum principalem, ubi & maximè floret nervus unitatis Catholicæ vocatur Alingia; in communi autem & univerſaliter dicitur Provincia Naxivanenſis, eò quod reſidentia Archiepiſcopi fuerit in civitate Naxivan, de qua alibi diximus. Erat enim ſive olim Metropolis Provinciæ hujus; Undè & hoc nomen ſortita eſt: tametſi hodiè nec unica in illa civitate domus ſit catholica propter mutua atque acerrima bella Perſas inter & Turcas circa eam. Undè Archiepiſcopus modo juxta mandatum Sanctæ Sedis pro interim reſidet in oppido quodam principaliori Provinciæ quod Abaraner dicitur, de quo infra.

Decem igitur inveniuntur oppida hujus Provinciæ, non tamen tota & totaliter (proh dohlor) Catholicæ fidei adhæhærentia, ſed promiſcuè Catholici mixti ſunt infidelibus & ſchiſmaticis. Quod uti noſtri Catholici perhibent factum eſt ob magnam perſecutionem, qua perfidus quidam Supremus Regis Perſarum Sciah Iſmael Miniſter in eos graſſabatur. Conceſſerat Rex memoratus ad inſtantiam Romani Pontificis decem illis oppidis, quæ ſub jurisdictione Eccleſiæ Romanæ erant, privilegia & favores complurimos, ea imò à contributione annua immunia declarans, retinente præfato ſuo perfido Miniſtro. Qui proinde mortuo Iſmaële Rege & regnante filio ejus, rurſùm exigere permiſit jus regium tributorum ab illa Provincia: idque non ſolùm pro annis currentibus, ſed etiam illis quibus ex Regis anteceſſoris privilegio immunia erant. Tyrannico porrò exi-

exigendi modo multi ob imbecillitatem & pauperiem, defectuque illius, qui eorum coram Rege causam ageret, eo adacti sunt, ut Christo fidem negarent: quibusdam tamen majori zelo ferventibus, sanctamque Religionem minimè deserentibus, qui vendidêre omnia, quæ possidebant, ut satisfacerent Tyranno, malentes in pauperie servare fidem & vitam, quàm in perfidia vivere & sua possidere. Atque hinc est quod nullum sit oppidum Provinciæ hujus, cui promiscué non sint admixti infideles: aliqua imò quasi totaliter Mahumetana sunt, ut in ijs vix una vel altera inveniatur domus catholica. Hoc tamen mirum est, & singularem DEI gratiam & providentiam relucere facit, quod etiam ijs in oppidis semper fidelium Unitas sit observata, & retenta una Ecclesia, cum uno conventu sub cura PP. Dominicanorum. Cœterum & grandem jacturam passa esset hæc provincia Catholica, nisi mea persona exigua cum Reverendissimo P. Piscopo, ut alibi Lector habebit, pluribus sese defatigasset & interposuisset.

Serpit cæteroquin indies magis Machometi pestis perversæ legis toxico omnia inficiens. Maximè pestifero quodam sancito, cujusdam Persarum Pseudolegis latoris, nomine Himam Gefei, qui unus erat ex duodecim antesignanis Persarum in lege Machometi descendentibus ex perfida progenie Hali ut alibi dictum est. Hic enim Pseudopoliticus, cupiens sectam Hali, quæ alias persecutionibus exponebatur, magis propagari ac stabiliri apud Persas, ubi tunc temporis plurimi erant Judæi, æthnici & maximè Christiani; sanxit, ut quisquis ex aliena secta fieret Machometanus in secta Hali, possit jure possidere omnia bona suorum consanguineorum, & affinium usque ad septimam generationem.

Undè ponderandum est Lectori, quantum diabolica lex hæc turpis lucri & interesse gratiâ damni fecerit Christanitati, quà Catholicæ quâ Schismaticæ, quæ prout & hodiè facit. Cœterùm tam malesana lex hæc est Præfati Gefer, ut etiam eam tanquam Tyrannicam reijciant Turcæ, & tametsi Machometani sint, adversùm eam, tanquam omnes humanitatis in Christia-

nos

nos leges excedentem deteſtentur, & minimè obſervent: prout & eadem ratione complures Perſarum ſaniori mente reijciunt, tametſi omninò abrogare non poſſint. Ubi proinde Romanorum Pontifex cæterique Chriſtianorum Principes fidei Catholicæ defenſores, vellent introducere florem Catholiciſmi majoris in hac Provincia, curare neceſſe erit per Legatos aut Oratores ſuos in aula Perſarum Regum, ut grex Chriſti paupercula illa, ab arduo hoc jugo aliqualiter alleviaretur, prouti forſan fieri poſſet per ſtratagema quoddam politicum, uti conſului cum Juriſperitis Perſarum. Cœterùm parvula illa Chriſtianitas, quam ut pupillam oculi Omnipotens per hæc ſæcula conſervavit, in medio Orientis ad gloriam Eccleſiæ ſuæ, difficulter ſubſiſtere poterit, utpotè non valens reſiſtere dictæ exactioni Tyrannicæ, ſicut antea reſtitit: opibus enim deficientibus, & omni vix non alimento per iniquam hanc legem ſibi ſubtracto, non poterit non exhauſta contabeſcere: quod Omnipotens avertere ſatagat.

Habent autem & aliam legem Perſæ dictâ poſteriorem, quam uti credunt ſubſequentibus temporibus adinvenêre, magis ut dictam pallient Tyrannidem, quæ nimis notabiliter apparebat in illa lege Gefer, quam propter alium aliquem finem; quam tamen equidem & Turcæ non admittunt. Quæ ſcilicet jubet ut ſi quis Chriſtianus aut alterius ſectæ, poſtquam fuerit factus Machometanus & circumciſus, acceſſerit unum ex memoratis ſupra duobus Pontificibus, proteſtatuſque fuerit, non poſſe ſe legem ſervare Machometi, ſed priſtinam velle agere fidem, tantiſper ei libertas permittatur, ut liberè & publicè colore poſſit eam, quem & in finem ex Pontificia cancellaria decretum ei expediatur, quod Mſal vocant, cujus & in confirmationem additur ei aliud ex cancellaria regia cum regio ſigillo, quod vocant Hemr. Hoc tamen pacto, ut talis impoſterum vocari debeat Murted, id eſt deſertor veræ fidei ſive Apoſtata eorum. Hac proindè lege, quamvis talis poſſet forſan reſarcire damnum fidei quam amiſerat, non tamen ita facile reſarcire poterit damna, quæ conſanguineis & affinibus adhærens Machometo intulerat, depopulando eos & exſpoliando tyrannicè

bonis

bonis suis. Undè perfida & astuta Persarum Machometana gens, magis sibi lucrifacit per primam in Christianis, quam perdat per secundam suam legem in illis. Plures enim illorum inducit fatali quasi necessitate & intolerabili tyrannide ad amplectendam suam perfidiam, quæ quidem turpis lucri & interesse adacquirendi, spem & ansam proponit ijs, qui conscientiæ firmitate non adeò pollent, & aliundè pauperie opprimuntur: undè proindè fit, quòd tales sic sanctam fidem negantes, & Machometi perfidiam assumentes, Mammonæ adhæreant iniquitatis, rarò rursùm cogitantes de infelicissimo statu perfidiæ, in quo sunt; undè & pauciores eorum ad sanctam fidem redeunt.

Atq; ita ne totaliter Tyrannis appareat intolerabilis; secundam hanc invenêre legem Machometani, ut Christianis pateret reditus ad fidem suam, ad quem Deus eos rarius stimulat, qui semel gratiæ suæ rebelles erant. Plura alia sunt, quæ tyrannica politia, Machometani hi machicantur, ad fidem Christi suis in terris diminuendam, imò & funditus extirpandam, suam verò sectam pestiferam totaliter introducendam. Quæ quidem omnia tibi recensere lector longioris esset negotij. Tu ergo ex hoc, quod nunc recensui, tanquam ex ungue horribili metire sævissimum leonem, pauperculam in Christianitatem omninò absumendam, imò uno rictu deglutiendam avidissimum. Cœterùm aliâ viâ singularis Christi gratia suis assistit, mediantibus etiam infidelibus ipsismet; dum (utique sic disponente DEO) Principes & Magnates Persarum plerique, & utcunque illorum Reges non sunt ita ex corde dediti memoratis perfidis legibus & universim Machometanismo, ut alibi diximus: undè aliquale Christiani pauperculi habent levamen.

Porrò Catholica supradicta Provincia Naxivan, ut constat ex prima parte Constitutionum Capitulorum generalium Sacri Ordinis Prædicatorum, in lucem recenter anno 1655. Romæ editarum à Parte Vincentio Maria Fontana ejusdem Ordinis, fundata est in tertio decimo sæculo: ubi ita habetur: *in Armenia tertio decimo reparatæ salutis sæculo ordinem nostrum tanquam lignum fructiferum secus decursus aquarum divina gratia, ut fructum daret in tempo-*

tempore ſuo, à cœleſti agricola plantatum fuiſſe, ex generalis Capituli apud Trevirim anno 1266. celebrati actis ita elucet. Concedimus Provinciæ Hiſpaniæ unam domum in Regno Portugaliæ &c. Item Terræ Sanctæ unam ad petitionem Regis Armeniæ (Nota hic pietatem & zelum Regum Armenorum, uti & ego in præcedenti Articulo notavi) *in Armenia.* Proſequitur idem Author. *Cum autem noſtrorum cœnobia, divina aſſiſtente gratia indies augerentur, plurimi ex ſchiſmaticis, alijſque à via veritatis aberrantibus Prædicatorum operâ ad Eccleſiæ gremium convolarent; Joannes Papa 22. B. F. Bartholomæum Parvum Bononienſem illic Epiſcopum tranſmiſit, ubi divini Verbi prædicatione, vitæ exemplo atque miraculorum teſtimonio maximam illorum populorum multitudinem ad Chriſti ovile reduxit.*

De hac quoque Provincia Naxivan luculentam facit narrationem ſupramemoratus P. Galanus Theatinus, in tomo primo: ubi & habet unam Epiſtolam verè memorabilem, cujuſdam Sancti Patris Magiſtri Armeni, nomine Joannis Chirnacenſis. Qui fuit primus & zeloſiſſimus Procurator Unionis ſuæ Gentis cum Sanctâ Sede Romanâ; uti ſatis liquet ex ſuâ prædicta Epiſtolâ, quam in Armenico legeram Idiomate apud Armenos; prout & eam reperi in latino, apud præfatum Patrem Galanum.

Poſſem hic, tibi amice Lector, recenſere quæpiam ex illa, quæ mirabilem tibi oſtenderent pietatis energiam, & zelum ſuâ laude digniſſimum, quo memoratus vir, in Sanctæ fidei & Orthodoxæ Eccleſiæ gloriam indefeſſus exarſit. Brevitatis vero cauſa his liceat ſuperſedere. Memoratur cœteroquin & ibi, qualiter Papa Joannes præfatus, juxta commiſſionem datam Petro à Divino oraculo. *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: plures prædicationis Miniſtros deſtinârit ad omnes ſchiſmaticorum nationes. Ex his autem fuêre aliqui miſſi ab eo cum litteris ad Dominum Conſtantinum Cæſarienſem, tunc temporis Patriarcham Armenorum, & ad eorundem Regem Oſcinum, qui porrò cum Epiſcopis, Præſulibus, & Principibus Regni ſui in unum convocatis celebrârunt Concilium de unione cum Eccleſiâ Romanâ: quo & peracto unanimiter totam promisêre obedientiam Pontifici Romano.

Jam verò ad oppida deveniamus, quæ modo extant in hac Provincia Catholica: quorum quidem decem esse diximus. Eorum igitur antiquitate primum est Chirna; unde oriundus erat præfatus Magister Joannes, in quo & celebratum est primum Concilium de unione. Cœterum duæ tantùm adhuc inibi sunt Catholicorum domus; reliquæ verò omnes, ultra centum & sexaginta ab infidelibus possidentur. Extat tamen inibi antiquissimus quidam Conventus, cum suo templo dicato Deiparæ Assumptæ: ubi inter plura Beatorum corpora jacet corpus supranominati B. Bartholomæi Parvi, sub quodam altari ei dicato, plurimis indies coruscans miraculis, præcipuè quoad pulveres sepulchri, qui jugiter per aliquod foramen ligneo quodam cochleari magno inde extrahuntur, & tam fidelibus quàm infidelibus promiscuè dispensantur in diversissimarum infirmitatum remedium, terrâ tamen nunquam deficiente, sed eadem semper apparente, qualis & quanta ante trecentos annos fuerat. Sunt autem hoc in Conventu, quandoque duo, quandoque tres, subinde etiam plures Religiosi Dominicani cum quibusdam Clericis, ægrè victitantes, & annuum Regi tributum pendentes, quod subinde ultra centum Imperiales extenditur, cum cæteroquin tenui fruantur redditu ex quibusdam campis, vineis, & hortis, quos miselli Religiosi in rusticorum societate personaliter colunt, proprijs manibus laborantes. Et hic quidem rudis vivendi modus communis est in hac Provincia cœteris etiam aliorum Conventuum Religiosis. Nihilominus præfati Religiosi incunctanter Regios deferunt census, auxiliantibus in id nonnullis eleemosynis fidelium & infidelium, qui indiscriminatim utriusque sexûs & conditionis ex diversis etiam dissitisque locis jugiter solent, & devoté confluere ad dicta sacra limina Templi Dominæ Nostræ Sanctissimæ D. Virginis Assumptæ: adeo quidem, ut nonnulli nudis pedibus cum fletu & planctu accedant, flexisque genibus devotissimè exosculentur limina sacra; ubi & diversissimas obtinent gratias à Domina Nostra Sanctissima per intercessionem B. Bartholomæi inibi sepulti. Sed & mulieres infidelium, quod mirum est, & singulare visu, cum

hoc

hoc in templo ſunt, & Sacerdos ante altare Deiparæ lecto Evangelio aſpergit aquâ benedictâ exponens illicò reliquias ſacras ad exoſculandum, incipiunt magno clamore, fletu, & planctu, proſtratis capitibus in terram fortiter percutere pectora ſua dicendo in turcica lingua: *Hei Meiren Ana ſen biremb beile bene.* id eſt *O Maria Mater tu miſerearis mei.* Quando item ſunt ante altare cum viris ſuis non audent oculos levare, nec ſacram contueri Imaginem, dicentes indignas ſe eſſe, ut talem divinam intueantur Dominam, verentesque ne hujuſcemodi proterviâ ſuâ illius incurrant indignationem.

Sciat hic ultrà Amicus Lector, quod Sacratiſſimæ hujus nomen Dominæ, Armenicè dictum Ghenſaper, ideſt vitam ferens (eo quod Chriſtum Dominum, qui vita noſtra eſt, peperit genitrix ſanctiſſima) ita tremendum & venerandum ſit apud omnes fideles, imò quod mirum eſt etiam infideles, cujuſcunque tandem ſexus ſint, ſivè hujus Provinciæ Naxivan ſivè aliarum; ut illi qui non expertus perſonaliter eſt, & multa pluri.. mæ venerationis Exempla hic adducibilia legeret, incredibile omninò videretur.

Cœterum templum hoc cum Conventu eſt extra oppidum Chirna ſuper collem quendam; ſuntque quidem plurima antiquitate deſtructa, favente tamen Deo priſtino ſtatui reſtituenda. Sunt nihilominùs præfati Religioſi cum modica ſuppellectili ſua ſicut & Eccleſia ſecuri omninò ab incurſione prædonum, latronum & infidelium, præcipuè militum. Eadem ſecuritate gaudent campi, vineæ, hortique eorum, ita, ut tempore fructuum, diu noctuque ſine cuſtodia manere poſſint & abſque Conventûs Prioris (quem infideles *Keſciſc-bab* id eſt Sacerdotem Patrem nominant) licentiâ ſine, multa pæna ſibi multifariis & occultis modis obveniente, intrare non præſumant. Protegit enim ſingulariter Domina cœli Religioſum hunc Conventum, cujus & protectionis exempla plurima ab infidelibus ipſiſmet audivi, nempè Perſarum Sacerdotibus, qui Malah vocantur; qui maximè ingenuè & confidenter de ſacratiſſima hac virgine loquebantur & loquuntur; imo cum eis de ipſa ſermo eſt, illamque nominant,

dicere ſolent. *humeti hazir Olſun.* Ideſt: illius gratia aut benedictio ſit nobis ſemper præſens. In quiunt enimverò potentem hanc eſſe apud Deum, ſuiſque avis & abavis mirabilia plurima collata eſſe per interceſſionem ejus, & imò defactó conferri.

Porrò quod oculis vidi, & experientia comperi in gloriam ſanctiſſimæ Dominæ, ſanctiſſimè operantis, recenſere non omittam; Undè videris devotè Lector nedùm in Europa ſed & noſtro in Oriente portenta patrari per Deiparam ſacratiſſimam. Antè quinque circiter annos menſe Septembri mulier quædam aurifabri Armeni ex oppido Sciorot Uxor, habens puerulum duorum annorum detentum infirmitate nulli mortalium dignoſcendâ, quâ diu noctúque inceſſanter fleret, voto vovit ducere filiolum ad limina Dominæ noſtræ Ghenſaper, duobus quidem milliaribus ab oppido præfato diſtantia. Porrò cum limina dicta acceſſiſſet (probante utique Deo confidentiam pauperculæ voventis) illa non ſtatim petiti ſui conſecuta eſt exitum: Undè deſperabunda domum redijt, & ſagam quandam incantatricem pro filij incolumitate eſt deprecata. Hæc illicò dexterum pueri brachium quibuſdam ligaminibus obvolverat pariterque & collum: & ſumens bonam pecuniarum retributionem infantuli ſanitatem parentibus repromiſit; abſque tamen veritatis eventu: etenim more ſolito puer utrobique flere non deſiſtebat. Manè igitur ſequentis diei, dum jugiter ploraret tenellus & mater multa pro filiolo ſollicitudine laſſa tantiſper inciperet dormitare, propè tamen filium; illicò ſeſe ſenſerat â ſomno excitari, videratque ſtantem antè ſe Matronam ſimilem ſanctiſſimæ Ghenſaper, quam & audivit increpare incredulitatem, quâ de gratia cœleſti diffidiſſet, accedens ad ſagam cujus nulla eſſet ſanandi virtus. Porrò mulier facti ſui pænitens procidit antè faciem Dominæ apparentis, quæ & illicò eam juſſit rumpere quantotius ligamina èx brachio pueri, illudque ſicut & frontem ſignavit crucis ſigno, demonſtrans ei non ſagam, ſed ſe ſanitatis eſſe procuratricem. Statim ergò evanuit infirmitas, evaneſcente & viſione gratiſſima; â quo & tempore puer omni fletu abſtinuit. Mater verò viſionem & factum ſubitò marito expoſuit,

omneſ-

omnesque vicinos & amicos convocavit, demonstrans eis ad oculum quæ per gratiam sanctissimæ Ghensaper in filio suo obtinuerat. Sed & sequenti die cum familia tota, & cognatione plurimisque utriusque sexûs personis ex præfato oppido candelas & munera detulêre ad sancta dictæ Dominæ limina. Eram & ego in illa die casualiter existens memorato in Conventu cum sociјs quibusdam & amicis, devotionis gratiâ primùm, dein verò & visitandi R. Patris Prioris, viri Christianâ modestia & pietate laudatissimi, mihique multis titutis clarissimi Amici Dominici Chosc-cascen: Ubi tam innumeram ex utroque sexu turbam oculatus intuebar, ex oppido illo Sciorot advenientem, omniaque mihi â dicti Conventus Priore narrata sunt: qui & in fidem mihi magis faciendam, pueruli matrem ad me vocari fecit, quâ præ gaudijs lacrymabundâ, mihique facti seriem fusius recensente, filiolus, quem ulnis gestabat, sponte propriâ extendit manum cruce signatam, imò veluti horâ recentissimâ ferro incisam, quod item ejusdem magnitudinis signum in fronte gestabat. Cum porrò tenello manum de industria compressissem, experturus, sentiretne cicatricum dolores, is nihil prorsùs persentiscens, sed illicò subridens, manum suam, nescio an in humanitatis assuetudinem â matre edoctus, an sub illius horæ momentum â Deo inspiratus, protenderat ad os meum, innuens veluti, ut signa sacrosancta deoscularer, quæ & tenerrimâ plenus consolatione, quâ in manibus, qua in fronte deosculabar. Plura & ego, & omnes Christo verè fideles inibi existentes, vel eo confluentes vidimus, & videre possumus, quæ in ansam sint, vel ab experimento contradicendi schismaticis ac infidelibus, laudandique Deum in Sanctis suis, & Virgine Deipara.

Nec minus mirum quidpiam expertus eram; quod contigerat ante quatuor circiter annos cum hortulano quodam dicti Conventûs Ghensaber, Nomine Kelb Hali Machometano ex eodem oppido Chirna; Significat autem Kelb Hali, idem, ac Canis Hali: Nesciunt enim superstitiosi Persæ, quibus nominibus insanam suam in Hali devotionem exprimere possint, diversissimis indiscriminatim suis nominibus appellantes, ut modo canes

Hali,

Hali,modò captivos Hali,&c. vocare ſoleant. Præfatus igitur Kelb Hali Hortulanus,quaſdam confecerat ſcopas pro memorato Conventu & Eccleſia, ex certis quibuſdam virgultis ibi in horto creſcentibus; duas autem ex illis abſque Prioris ſcitu domum ſuam deportavit; quò cum veniſſet inconſideratus acceperat ex ijs feſtucam minutulam ad ſuos purgandum dentes: quam porrò cum applicaſſet illicò ſaniſſimus, quem eâ tetigerat dens, procidit in manum ejus. Cùm illicò poſterâ die peccatum infidelitatis ſuæ ſuper Conventùs Ghenſaber bonis, tametſi eſſet minimum, confeſſurus, acceſſit Conventûs Priorem cum Uxore ſua, & quaſi reliquias in ſinu ſuo ſcopas uterque amplexi ad pedes Prioris eadem die provolvebantur, illachrymantes ſuper reatu aviditatis ſuæ: prout & Kelb Hali in pœnam ſibimet injunxerat, promiſeratque Conventui, in hortis ac vineis omni abſque mercede per triennium inſervire; quod & opere præſtitit. Lepidum hoc eſt Lector Amice, indè tamen tibi dignoſcendum, quâ etiam ratione infideles, ſanctiſſimam dicti Conventûs & Eccleſiæ Patronam vereantur, ut mirificam.

Cœterùm & indignus ego expertus ſum Dominæ gratioſiſſimæ ſanctiſſimæque Dei Genitricis in Ghenſaber favorem in evidentiſſimo periculo, cui exponebar in flumine Araxis reverſus ex aula cujuſdam Medorum Principis, apud quem ad inſtantiam bonæ memoriæ R. Patris Piſcopi circa quandam litem, quam Princeps memoratus cum Catholicis noſtris habuerat, componendam, per duas ſeptimanas laboraveram, & ab eodem benignè omninò & gratiosè acceptus Deo dante compoſui, quod per triginta & ultrò annos diſſenſionem inter hos fecerat, donatus inſuper ab eodem cum diſcederem, ſingulari quodam equo Turcomanico. Captatâ ergò ab eo diſcedendi veniâ, lætus ſuper negotio compoſito ad Provinciam noſtram Catholicam Naxivan trium dierum itinere â Principis reſidentia, quæ Magu vocatur, eſtque in confinio Turcarum, diſtantem properaveram. Confiſus in Deo & ſanctiſſima Deiparâ in Ghenſaber, dein & fidelitate ſervorum meorum, quorum in comitatu quatuor habueram, renui militum comitatum, quem quidem Princeps ſpontè

tè & benignè obtulerat, referens pro oblato favore gratias, illiusque memor, melius esse multa etiam pati, quàm discretionis virtute abuti, cum his maximè qui sublimioris conditionis sunt. Iter ergò aggressus adusque horam noctis octavam consumpsi, tempore quod tunc erat autumnali, absque ullâ quidem equorum morâ. Evenerat tunc occasio invocandi misericordiam Dei intercessionemque Divæ Virginis in Ghensaber. Sicut enim vel ex Poëta latino notum est, *Æraxis indignatur pontem*, quod & rei demonstrat veritas, siquidem dum intumescit viatores in scaphis & cymbis flumen illud pertranseunt, cum aliunde homo equester imò & pedester idipsum transire possit, si modo transeundi ambages norit cæteroquin equidem periclitaturus; prout & mihi contigit. Cùm enim ad fluminis, littus devenissem & Sol jam occidisset, neutrâ verò fluminis parte Viator quidam apparuisset, manifesto exponebamur latronum Medorum periculo, quippè non potentes dignoscere ordinariam viam, quâ cum societate aliquorum veneramus, quamque Ghecit vocant. Videbam & servos timere ingressum aquarum, sed tandem animo firmato conscendebam equum nuperimè mihi â Principe oblatum, & flumen intrare tentabam. In medio ergò fluminis in profundam equus decidit foveam, ut vix capite videretur; conatus quidem & maximè illa sese è voragine erigere, impotens autem ob ingentem aquarum impetum circularem.

Videns porrò equum jam penè defatigatum, ego capitis vertigine tactus, non nisi opem implorare divinam novi humanâ omni destitutus. Altâ igitur voce trinâque vice DEI auxilium & Sanctissimæ Matris in Ghensaber invocavi: cùm ecce repentè equus in passus meliores erectus, securus me ad desideratum littus deduxit; servis dein meis meo de periculo edoctis, aliudque sibi iter per ambages eligentibus, itaque ad littus devenientibus. Hoc & alijs in periculis Sanctissimæ MARIÆ in Ghensaber auxilio suffultus vixi, & usque vivo, quibus uti multis infidelium persecutionibus expositus elapsis temporibus indigui, ita & his suo tempore exponendis indigebo. Neque putes Amice Lector particularem hanc meam esse devotionem, de qua alij

exteri

exteri non ſciant: ſtimulum enim & tibi devotionis in hanc Virginem Ghenſaber ſubminiſtrabit pietas quorundam Europæorum, qui ſacris muneribus eo demiſſis eandem colunt: pro uti nuper antè quatuor circiter annos miſſus eſt à Sereniſſima & pientiſſima Hiſpaniarum Indiarumque Regina Maria Anna ſoror Potentiſſimi Romanorum Imperatoris Leopoldi ſemper Auguſti, Calix elegantiſſimus cum patena, & duabus ampullis pretioſis, & pientiſſima quadam Eleëmoſyna, per R. Patrem Thomam Tatumenſem S. Dominici Religioſum ex Provincia ipſa Naxivan: quæ & ulteriùs nedum quòad Conventum memoratum, ſed & quòad novem cæteros obligata manet, prouti & Roma confirmabit, ob ſingulariſſima beneficia accepta, ex pietate & clementia Principum Auſtriacorum in domo Hiſpanica: quibus inter infideles & ſchiſmaticos Chriſti populus hactenus eſt ſuſtentatus, potiſſimum autem ante 20. & aliquot annos Provincia hæc Naxivan tot debitis immerſa erat, ut nedum agri & vineæ fidelium, ſed & res ſacræ Conventuum & templorum in pignore eſſent apud ſchiſmaticos & infideles, adeò ut etiam Religioſi Sacerdotes in agris & vineis pro pari mercede cum alijs operarijs laborare cogerentur, ne & Eccleſiaſtico officio cedere, & vitâ interire eos contingeret. Donec tandem duo eorum Seniores atque Zeloſiores, unus nomine P. Jacobus ex oppido Ghezugh, alter P. Antonius ex Abragunis, videntes indies Provinciam declinare, ſuoque non multum interitu abeſſe, illuminati à Deo, & confiſi in pietate Europæorum, præcipuè Auſtriacorum, ſeſe contulêre in Europam, indeque ad aulam feliciſſimæ recordationis Regis Catholici Philippi Quarti, cui per ſupplices litteras omnem deſolatæ Chriſtianitatis miſeriam exposuêre. Rex verò prudentiſſimus, majorem Româ de ſtatu eorundem Religioſorum certitudinem habere cupijt, quâ dein habitâ, ut meliorem pauperculis ſatisfactionem daret, conceſſit ut cum navigio ſuo, *Flota* ut Europæi vocant, irent ad Indiam occidentalem, ubi utpotè præmuniti favore & gratia Regis, intra breve temporis ſpacium haud ordinarias ſibi comparaverant Eleëmoſynas. His ergò mediantibus, non ſolùm Provincia dicta ex

duro

duro debitorum jugo redempta eſt, paratis ſexdecim millibus Imperialium ad creditorum manus depoſitis; ſed & prudentiſſimè Venetijs actum, ut fructu annuo totidem quaſi pecuniarum Provincia ea frui poſſit, in aliqualem ſuſtentationem, & tributum commodiùs Regi perſolvendum. Hi quoque reſarcierunt Conventum Abaraner, ubi reſidet Archiepiſcopus, inſumentes quatuor millia imperialium. In oppido pariter Ciahuc ex fundamentis erexêre ſumptuoſiſſimam & ampliſsimam Eccleſiam ſub nomine S. Joannis Baptiſtæ, adjectis in memoriam inſignibus nominati Regis Catholici, perpulchram quidem, cum cupula altiſſima, ita ut per quinquè Germanica milliaria appareat in planitie Naxivan. Et tametſi multæ obſtarent contradictiones infidelium, Schiſmaticorumque, indefeſſo tamen conatu laborabant, octo quidem imperialium millia pro ſtructuræ complemento inſumentes, quæ cœteroquin in Europa quinquaginta millium Imperialium ſumptibus vix ad finem perduci poſſet. Sed & eleëmoſynas plures applicarunt prædicti Religioſi; ut ſacram ſibi, cujus egentiſſimi erant, ſuppellectilem compararent. Undè ut dicebam Provincia hæc Naxivan ingenuè fateri debet; ſicuti & fatetur obligationem ſuam, quam & Roma confirmat, erga ſacratiſſimos & clementiſſimos Principes Auſtriæ in domo Hiſpanica. Quos veluti cynoſuras in neceſſitatibus ſuſpiciunt atque Omnipotentem pro eorundem perpetua incolumitate perenni devotione deprecantur. Jam verò ad alia hujus provinciæ oppida poſt illud Chirna deveniamus.

Eſt ergò hac in Provincia aliud quoddam oppidum nomine Abaraner, in quo & eſt conventus ſatis amplus cum Eccleſia quadam. Reſidet in illo Archiepiſcopus cum familia ſua; ubi & ſubindè decem, quandoque quindecim aut viginti Patres cum nonnullis Novitijs atque Laicis degunt. Trecentæ ſunt circiter hoc in oppido Catholicorum domus, in harum quibuſdam viginti, quindecim, aut decem, ad minus verò quinque animæ inveniuntur, unde oppidum hoc maximâ multitudine Catholicorum, præ omnibus alijs gloriatur. Eſt autem proh dolor Eccleſia illorum omnino antiqua & incapax recipiendi totum popu-

lum diebus festis plurima cum devotione eo confluentem. Sperant verò Incolæ Religiosi suis temporibus eam ampliare auxiliatrice liberalitate & munificentia Principum Europæorum. Fundata cœteroquin & erecta est sub nomine S. Jacobi Majoris Apostoli, quamvis hodiè sub nomine omnium Sanctorum vulgò celebretur. Exceptis item trecentis Catholicorum domibus, sunt & sexaginta domus Machometanorum, qui veluti tineæ rodunt, & Christi fidem supplantare student.

Aliud est oppidum Abragunis, ubi pariter Conventus stat cum Ecclesia sub nomine S. Georgij, quatuor subindè, quandoque & plures, cum quibusdam Clericis morantur inibi Patres, Sacramenta administrantes Catholicis, quorum multitudo ad septuaginta domos sese extendere poterit, admixtis circiter quadraginta domibus Machometanorum promiscuè & Schismaticorum. Et propè hoc oppidum quidem conventus est Schismaticorum superbissimus sub nomine S. Joannis Baptistæ, ubi & residet quidam eorum Archi-Episcopus maximæ Jurisdictionis; præsens quidem, Deo sint Laudes, Catholicus omnino est, Sanctæque fidei professionem emisit Romæ tempore Alexandri septimi. Nomen illi est Arachiel, qui & multâ amicitia ac familiaritate mihi notus est, intendimusque unâ, favente quondam Deo in augmentum Catholicæ fidei & orthodoxæ Ecclesiæ sanctæ gloriam complura optima fabricare. His succedit oppidum Chosgascen, pulcherrimi sitûs & eminentiæ: estque in illo pariter Conven-RR. PP. dictorum, qui inibi cum quibusdam Clericis vivunt eo numero, ut in Conventu Abragunis, prout & Catholicorum domus in eodem fermè numero sunt, admixtis tantùm viginti Machometanorum domibus. Ecclesia oppidi hujus ad Conventum sita D. Stephano Proto-Martyri est dicata.

Rursùm & est oppidum Saltagh, ubi parvula quidem Ecclesia est sub nomine item S. Georgij: non verò inibi Conventus est formalis cum Religiosis suis: nec nisi quinque Catholicorum Domus, in uno & eodem ambitu cum Ecclesia existentes. Administrantur his Sacramenta à Parocho Abaraner, quod per unum circiter distat milliare.

Hæc

Hæc autem prænumerata quinque oppida Catholica in unico ſunt diſtrictu Alingiæ ut ſupra dictum ſitu pulcherrimo, & optimâ aëris temperie, Ubi & omne genus fructuum in copia habetur, ſpeciale quoddam pyrorum, quod Malaci vocant. Pollent pyra hæc magnitudine ordinariâ, coloris autem ab amœnitate rari laudem ſortiuntur: alba enim & rubicunda ſunt; odoriſque ſuavis & dulciſſimi ſaporis: una cum cortice ori impoſita liquefiunt ut ſacarum, cùm aliundè, humana ſolertia per annum integrum valeant aſſervari, manentia tunc eo in vigore, acſi recenter arboribus eſſent decerpta; prout & ſic aſſervata tranſportantur nonnunquam ad Principes & Regem bombaci involuta ciſtiſque recluſa, generoſa item, & diverſi coloris præſtantiſſima producit vina terra diſtrictûs hujus.

Idem pariter diſtrictus generoſiſſimorum eſt ferax vinorum: ubi & arx quædam viſitur miræ & artis & naturalis ſtructuræ in ſummitate cujuſdam montis non adeo lati, altiſſimi tamen; & per totam undique planitiem eminentis, ſub cuſtodia militari cujuſdam Principis Naxivan. Eſt & alius mons præruptus è regione illius montis cum intermediatione cujuſdam fluvij, quem montem Chriſtiani Bolu-Machometani vero Jelanlu vocant, ubi colitur memoria decem millium Martyrum, quos ibi à Tyrannis interfectos tradunt; quò & ſolenni proceſſione Catholici noſtri, imò & infideles ipſi, quotannis ex quinque oppidis in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, cum magnâ victus proviſione confluunt, aſſumentes ſecum Sacerdotem, qui ſacra celebret, inibique tribus diebus & noctibus ſuæ devotioni jugiter incumbunt. Unam porrò tantùm habet viam mons iſte, arduam & circumflexam, quam pedeſter vix quatuor peraget horis. Unde tempore imminentis periculi inimicorum ad hunc montem incolæ illorum locorum confugiunt, ubi & ſalvi manent; prout contigit, dum Turca bellum in Perſas moveret, qui in hac terra, cùm in ejus confinibus ſit, immediatus erat, in ſpacio nempe quinque dierum. Sed & in eo monte fontes naturali ſcaturigine proſiliunt. Venationis diverſa genera inſtitui poſſunt, Caprarum maximè ſylveſtrium, & Pernicum: prout inibi & ego

non raró hoc recreationis genere me diſtrahebam. Floribus & herbis mons eſt abundantiſſimus, qualis vix erit Europæ locus. Singulariter unâ pollet herbâ, quæ aliqualiter habet formam abſynthij: non tamen ſic alta creſcit; tam ſuavis cœteroquin odoris, acſi optimi moſchi odorem quis caperet: unde & hoc nomine ab incolis appellatur. Hujus porrò herbæ ſatis raræ & pretioſæ, ſicut & peregrinorum quorundam florum herbarumque, curioſitatis gratiâ mecum detuleram ſemina & cepas: ſed negligentes ſervi in itinere Moſcoviæ deperdidêre. Cœterum in hac Provincia, ſicut & in cœteris Perſarum dominio hodiè ſubjectis, exceptis Ghilan, & Mazandaran, & his, quæ ſunt Indos versùs, ſolent eſſe frigora illa, & nives, ſicut in Auſtria, majores tamen calores; infirmitates verò quæ ſunt in Auſtria, alijſque Europæ partibus rariſſimè, aut nullatenus videntur in illis, præcipuè Podagra, & chyragra, harum enim infirmitatum nomen etiam ignotum Perſis eſt; non verò Turcis, qui proinde Podagram ſolent Ekabur zehmeti nuncupare, ſcilicet Magnatum faſtidium ſive infirmitatem; quibus & peſtis familiariſſima eſt, Perſis verò rariſſima, & hoc forſan ob regionum ipſorum nimiam ſalubritatem, vel potius ob cautum, mundumque ſervandi eaſdem modum. Sed revertamur ad principalem hujus articuli ſcopum, à quo occaſionaliter receſſimus, nimirum ad alia oppida hujus noſtræ Catholicæ Provinciæ.

Aliâ quinque igitur adhuc ſunt oppida Catholica, nedum â prædictis quinque ſed & â ſe invicem multùm diſtantibus. Primum illorum vocatur Ciahuc, ubi eſt ſumptuoſa illa Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ cum Conventu quodam ſatis amplo, degentibus inibi quinque, ſex, quandóque verò & pluribus RR. PP. cum Clericis ſuis: ducentæ circiter domus Catholicæ eſſe poſſunt, & centum Machometanorum promiſcuè & ſchismaticorum. Diſtat autem oppidum hoc ſex milliaribus germanicis ab Alingia.

Secundum eſt oppidum ſciah-punis: ubi pariter Conventus eſt cum Eccleſia dicata Deiparæ; ſubindè tribus aut quatuor Religioſis unà cum Clericis inhabitantibus. Domus Catholico-

rum

rum quadraginta eſſe poſſunt, Cæteræ verò Machometanorum ultrà centum erunt.

Tertium eſt oppidum Characus: exiguum valdè, amœniſſimi tamen ſitûs. Eſt & inibi Eccleſia parvula vetuſtiſſima, ligno fabrefacta, unaque domus ubi morari poſſit unus vel alter pater Sacramenta Catholicis adminiſtraturus, qui ſe ad quinque vel ſex domus extendunt; quotidem pariter domus ſunt ſchismaticorum. Optimum copioſiſſimumque fit mel hoc in oppido, diſtatque illud â Ciahuc duobus germanicis, ab Alingia octo milliaribus. Sciah-punis cæterùm tantùm diſtante ab Alingia quantum Ciahuc.

Quartum porrò oppidum valdè dinſtans eſt, tam ab his quàm ab Alingia, milliaribus nempè germanicis viginti; & vocatur Ghezugh, eſt omninò in Confinibus Turcarum ex parte Medorum, & in illo viſuntur quinque tametſi deſolatæ Eccleſiæ, quarum tamen una utcunque ſtat, frequentaturque â Catholicis, qui tamen exigui ſunt numero, nempè quinquaginta plus minùs, in ſeptem domibus disperſi. Eſt & inibi domus quædam, ubi unus ut plurimnm, aut duo degunt Patres Sacramentorum adminiſtratores, ſolis eleëmoſynis Catholicorum Provinciæ ſuæ victitantes. Nihil enim agrorum aut vinearum habent ut Religioſi cæterorum Conventuum. Ut proindè multùm appareat divinæ benignitas providentiæ conſervantis paucos hoſce Catholicos in loco uſque adeò deſolato, perque tot bellorum turbines Perſas inter & Turcas inibi agitatos; prout & continuò Turcarum vix quatuormilliarium diſtantium incurſibus expoſiti ſunt, uſque adeò inſecuri, ut neque ipſimet Perſæ his in partibus fidant commorari. Conſtantiſſimi tamen in fide Chriſtiani pauperculi poſſident Regionem antiquorum ſuorum, ſuæque Religioni ſanctæ addictiſſimi parum curant miſerijs ali, barbarorum Tyranidi indies exponi, laboribus continuis fatigari; confidentes in mirabili Dei omnipotentis aſſistentia cujus & ſignum manifeſtum habent, argumentumque non inane, quod inter tot perſecutionum bellorumq; procellas, & omnis generis adverſitatum tempeſtates nullus hujus oppidi fidelis uſque modò Chriſtianam & Catholicam fidem com-

compertus ſit abnegaſſe. Eram & ego binâ inibi vice ad eoſdem perſonaliter conſolandum. Semel quidem componens, de qua ſupra mentionem feci, litem, quam habuit Medorum Princeps quòad agros quoſdam cum pauperculis Chriſtianis memoratis. Quærebam & non raró his meis in viſitationibus, quanam ratione tali in ſolitudine locoque adeò periculoſo morari poſſint? ipſi verò non abſque conſolatione mea ædificationeque ſingulari gratiam Dei & benedictionem, preceſque Sanctæ Matris Eccleſiæ Orthodoxæ Romanæ allegabant; quibus ſe unicè credere, atque in ijs ſperare ſe, aſſecurabant, victuros ad interim in afflictione ſuâ, ſoloque cœli ſolamine contentos.

Tandem oppidum ultimum vocatur Ghanzagh, ubi non niſi una domus eſt Catholica, cæteræ verò Machometanæ. Eſt autem in illo Eccleſia quædam Virgini Deiparæ dicata, quæ & miranda quædam etiam Schiſmaticis & infidelibus patraſſe viſa eſt. Duo item in domo quadam præfatæ Eccleſiæ vicina degunt Religioſi Provinciæ nomine, ad ſervandum decus honorem atque poſſeſionem Chriſtianorum, fidemque Orthodoxam, quæ olim his in partibus floruerat, quantum poſſibile eſt, conſervandam. Diſtat autem oppidum hocce duodecim milliaribus Germanicis.

Cæterùm hac de Provincia duo ſunt ſcienda. Primum; linguam Armenicam, præ Turcicâ, Perſicàque inibi eſſe uſitatam, qua & ſacra, divinaque omnia officia peragunt, prout & cæteros ejus idiomatis Catholicos libros legunt. Præterquam quod Latinos & Italicos habeant complures, quamvis eos ſolum intelligant Patres ij, qui in partibus Europæis ſtuduere; non enim linguarum aliunde ſtudium his in locis viget, ob infidelium tyrannidem. Obſervant Calendarium antiquum, quod vetuſtis â temporibus traditum habent: obſequentes cæteroquin in omnibus Eccleſiæ Sanctæ Romanæ, ejusdemqne Pontifici Sanctiſſimo. Sunt de reliquo homines feruidi, & obſervantiſſimi, comprimis jejuniorum, ultra etiam ea, quæ nunc præſcribit Romana Eccleſia ſuis, ſequentes in hoc rigidum jejunandi modum ſuorum antiquorum, & aliorum modernorum in Oriente Chriſtianorum,

quo-

quorum nonnulli pro devotione ſuâ, imò & Religioſi eorum ex obligatione, per totum annum non niſi oleribus, leguminibus, piſcibus, rariſſimè verò carnibus veſcuntur, prout ſingulariter faciunt Religioſi Baſiliani Giorgianorum, Moſcovitarum, cæterarumque Nationum de ritù Græco. Rideant nunc in occidente Chriſtianos Eccleſiæ Ortodoxæ heredici guloſi, quaſi jejunia denuò ſint inventa, contra quæ juſtè obſervent ſuam de carnium eſu conſuetudinem, culpabuntur de nimia carnis indulgentiâ ab illis etiam, qui in finibus Orientis remotiſſimis habitant. Ego interim lepidi cujusdam dicti, mihi in Germania narrati recordor, quo obviàrit hæretico Monachus quidam Carthuſianus. Is, cum ſibi hæreticus objeciſſet: mirari ſe, quod monachis pauperes toties victitarent piſcibus, & tamen in piſces non convertantur; reſpondit, mirari equidem ſe, eos, nempe hæreticos, toties comedere porcos, nèc tamen converti in illos.

Secundum ſcitu eſt, quod exceptis duobus illis diſſitis oppidis Ghezugh, & Ganzagh, cætera omnia octo vocentur Chas, id eſt, ſpecialiter, & immediatè Regis jurisdictioni ſubjecta. Nullus enim peculiaris Perſarum Princeps in ea quidpiam juris habet, uti olim, cum Tyrannica in Chriſtianos afflictio graſſaretur. Hanc porrò ſpecialem immunitatis gratiam obtinuit à Rege Pater ille Antoninus Tani, captâ oportuniſſimâ occaſione in temporibus Generoſiſſimi Habas Genitoris Regis moderni, ut alibi inſinuavimus. Cæterùm hoc immunitatis privilegio ex perſuaſione quorundam vel malignantium, vel ignorantium minùs prudenter adhibito & applicato Chriſtianis noſtris â memorato Patre, ortæ dein ſunt tribulationes diverſæ, perſecutionesque, in miſellos agitatæ, quas ego ſæpiusculè duce Deo conatus ſum, unà cum R. P. Piſcopo ſedare, & magis ſuo tempore auxiliantibus ſuperis, ſedandas ſpero.

Denique & in alijs Perſidis locis Catholici inveniuntur: maximè Armeni, Giorgiani, & nonnulli etiam Perſæ, tametſi hi clam diliteſcant. Dantur & Religioſorum domus in Isfahan, ut alibi dictum, Auguſtinianorum nempe, Carmelitarum diſcalceatorum, Cappucinorum, & Societatis Patrum. Habent etiam

domum

domum in Sciraz præfati PP. Carmelitæ; prouti pariter PP. Cappucini in Taurez, quam eis paucos ante annos Persarum ejusdem Civitatis Vezirius Imirze Hibrahim erexit, ad petitionem cujusdam ejusdem Ordinis Patris Galli, nomine Gabrielis viri nedum apud Vezirium præfatum, sed & omnem populum laudatissimi, cui & Vezirius ipse duos filios suos latinis litteris commiserat imbuendos; estque usquè modo memoratis Cappucinis Patribus addictissimus; adeo quidem, ut eis ad suas, cum infirmæ essent mulieres, accessum concederet sub comitatù Eunuchorum. Cumque ei alij objecissent; eccur contra Persarum morem id admitteret? replicavit: legerent quantociùs Christianorum Evangelia, ubi inter alia Eunuchorum genera, unum ponitur eorum, qui se ipsosmet(*a*) castraverunt propter Regnum Dei, quibus proinde necessitate urgente aditus ad mulieres non sit abnegandus. In hujus porro Principis verè humani & omni laude digni tutelam ego & P. Piscopus curavimus commendari â Rege dictam nostram Provinciam catholicam, ut alibi dicetur.

Habent & RR. PP. Cappucini in Tiffliz Giorgianorum domum, cujus omnes incolæ Itali sunt, sub immediatâ protectione Sanctæ Congregationis de propagandâ fide, à qua & aluntur. Cœteri verò Religiosi promiscuè in cœteris prædictis domibus diversarum sunt nationum Europæarum, â quibus & subsidia sumunt, ne torqueantur exactionibus infidelium & Schismaticorum, sed liberè vacare possint vocationi suæ. Singulariter porrò missionarij benevolentiam infidelium & schismaticorum ijs in partibus sibi conciliare possunt, qui medicinam callent, quâ etiam ratione RR. PP. Cappucini plurimum æstimantur, utpote arte illa præ cœteris Religiosis excellentes. Cœterum habetur & aliqua missio RR. Patrum Theatinorum in quadam Provincia memoratæ Giorgiæ dicta Migrelia, qui, uti & cœteri omnium Ordinum Religiosi, proprijs juxta statuta sua incedunt vestimentis, libereque exercent Ecclesiastica officia sua.

Procuranda tandem & esset in Civitate Erevan Armeniæ Metropoli domus quædam seu Gymnasium Ethicæ ac Politicæ; cum enim ibi sit residentia Patriarchalis, non inanis inde

(a) *Matth.* 19. v. 12.

fructus

fructus sperari posset. Est & in meditullio Persarum Turcarumque: unde & ex India, Scythia, & Moscovia, per Constantinopolim Viennam usque certiora & recentiora haberi nova possent. Tentaverat hujus fundationem ante annos aliquot, cum dicto P. Gabriele, nobilissimus quidam Armeno - Persa, nomine Azaria Avach, ex Erevan oriundus, Romanæ & Orthodoxæ fidei defensor zelosissimus, mihique amicus perdilectus, quondam & Romæ in Studio Collega. Sed heu! nedum bona est impedita intentio, verum & ipse infidelium & Schismaticorum persecutiones imò & à tota sua cognatione plures est passus, curavit tamen pientissima Mater Ecclesia sancta per litteras coram Persarum Rege de persecutione injustè ei factâ, ad quas & Rex omnem ei satisfactionem obtulerat; is verò ex Christiana pietate mansuetiori se modo persecutoribus reconciliavit. Ast suo tempore favente Deo ad effectum perduci hoc sanctum opus confido. Tu interim, amice Lector, audi, quantæ Persas inter, tu, tuæque nationes Europææ sint æstimationis.

ARTICULUS TRIGESIMUS.

De opinine, quam Persæ habent de alijs nationibus, & ipsi de se; nec non de Summo Pontifice Romano, illiusque Ecclesiastico Regimine.

PLaceat etiamnùm Lectori amico, ut dum plurima de Persarum gente & natione, alijsque eos circumjacentibus populis, disservi, tandem & proferam, quid ipsi de alijs mundi nationibus sentiant, & edicant. Cum enim secundùm Gentium Doctorem unusquisque in suo sensu abundet; certè singulariter eo Persæ abundant, quo alia de sese, aliáque rursum de alijs sentiunt populis. Solos namque se incomparabiles, reliquos omnes comparationi obnoxios & censuræ arbitrantur. Hinc Indorum Gentem dicunt effæminatam, timidam, inermem. Scytharum barbaram. Turcarum rusticanam. Arabum furem. Armenorum, & Giorgianorum indocilem, at-

que in rebelliones proclivem. Moſcovitarum incultam. Polonorum bellicoſam. Gallorum rixoſam. Hiſpanorum nobilem. Italorum ſapientem. Anglorum politam. Hollandorum mercantilem. Suam verò Gentem & nationem omne tranſcendere prædicatum ſentiunt, terramque ſuam juxta aſtrologorum ſuorum ſenſum centrum mundi appellant. Dum verò propriæ cauſæ benevoli nimium judices eſſe volunt, manifeſtam ſuam ambitionem produnt. Cum cæteroquin Europæi terras utcunque optimè dimenſi, omniumque climatum & nationum ſitus, incolas, & mores quam optimè gnari omnimodam de Perſarum genio & conditione notitiam habeant. Prout & nonnunquam objeceram eis, qualiter melius Europæi ſciant mores, proprietates, terramque Perſarum, quam ipſimet Perſæ norint: id, quod eorum probent opera perinſignia. Quod equidem plures qui ſanioris eſſent mentis, lubenti mihi animo admittebant, imò promiſcuè totus Oriens teſtatur; ut commune ſit, tritumque adagium illud Turcicum

Hegem Birgozli, Frengh ichi gozli, oſmani Chor.

Id eſt.

Europæis ſunt bini oculi, ſapientes & perſpicaces; Perſæ Monoculi ſunt, puta ſapientes, non verò totaliter. Turcæ autem omninò cæci.

Dictum equidem & verum, & prudens, tametſi etiam ex ore Plebis ſimplicis audiatur.

Cæterùm, Perſas omnibus Orientis populis, ſapientiores, prudentiores, politiores, affabilioreſque eſſe, ut notum eſt, etiam ab Europæo eiſdem concedatur, oportet. Comprimis enim in converſationibus ſingulariſſimâ pollent totius perſonæ affabilitate, omnem vultu ſpirant ſerenitatem, geſtuumque nulla non modeſtia, & ſermonum circumſpectione utuntur. Hoſpitalitatem, etiam in exteros quam maximè colunt, dicuntque Hoſpitem â Deo eſſe, qualiſcunque tandem Regionis & Religionis fuerit: ut illud apud eos in anioma tranſierit, quo dicunt.

Haſab

Hiſah bi dini Chud, Muſa bidini Chud.

Id eſt:

Chriſtus ſit pro ſuis fidelibus, & Moyſes pro ſuis.

Nos enim (inquiunt) curare non habemus de veritate aut falſitate fidei hoſpitum noſtrorum: quod ipſi cum Deo viderint: intereſt autem, ut honore atque humanâ affabilitate proſequamur eos, tanquam rationales Dei creaturas, nobiſque ſimililes. Cœterùm ſi quid infidelitatis in ipſis eſt, à Dæmone eſt: nos propter id, quod à Deo habent, eoſdem amore proſequimur, prout & humanitatis lege tenemur.

Hinc eſt, nunquam Perſas offendi, aut ſanè rariſſimè, in diſputationibus, & diſcurſibus, quas quomodolibet quis habuerit contra Machometum, illiuſque legem. Facit enim (dicunt) adverſarius noſter, quod ſuum eſt; nos equidem & quod noſtrum, faciamus, defendendo, & adhærendo ei, quam ſectamur, fidei. Unde promiſcuè licitum eſt apud eos, diſputare non ſolùm de ſcientificis, ſed etiam de rebus fidei: quod imò & ipſis gratum eſt, ad diſcrimen aliorum Machometanorum, qui de diſputationibus audire renuunt: cùm è converſò Perſæ ſe in hoc â brutis animantibus, & benè, aſſerant diſtingui. Unde & diverſarum tot Religionum Patres, ac Religioſos ſuis in terris habitare permittunt.

Unum ſcitu dignum Lectori referam de Machometanis Perſis, cujus quidem & ipſimet, non niſi qui cujuſdam doctrinæ ſunt, notitiam habent, prout & id cœteri aliarum ſectarum Machometani ignorant. Docent ergò Perſæ in ſcholis ſuis, atque ut Articulum fidei ex Machometi libris eruunt, quòd verus Machometanus ſervare teneatur تغيا واجب است Teghia vagib heſt: ideſt, mutationem, alterationem, aut fictionem in legis obſervare: ita, ut, dato caſu, quo quis eorum in manus inciderit infidelium, cogaturque ab illis maledicere Machometo, & ejuſdem ut perfidam deteſtari legem, cœteroquin vitâ boniſque periclitaturus; poſſit tunc, imò & teneatur in vitæ, bonorumque conſervationem, fidem abjurare Prophetæ ſuo.

 Subri-

Subridens nonnunquam dicebam. Vos pulchrè pro commoditate vestrâ legem observatis & fidem, atque ingenuè vestro ad unguem adhæretis Prophetæ & Deo: qui præfertis temporalem æternæ vitæ, & transitoria bona fortunæ, perpetuæ beatitudinis gloriæ. Utique, replicabant, hoc enim nos Machomet ipse docet, quamvis hoc ejus secretum & politicam ignorent cœteri rudes, & ingenio hebetes Machometani, sicut & inculta plebs nostratum. Ironicè ergò subjungebam. Vos consequenter ad sensum facitis Machometi, qui, si quid in mundo vos boni docuit, illud unicum docuit, ut temporalem vitam ejusque voluptates conservare satageretis, uti & ipse vobis in exemplum sategerat. Hæc itáque deserere propter illum, erit facere contra illum. Hanc ergò Pseudopolitiam dum ex Pseudoprophetæ sui lege eruunt Persarum Doctores, Legisperiti, Proceres atque Reges, conjiciendum erit Lectori, quam fides eorum ad fictam magis inclinet politiam, & commodum pro placito vivendi modum.

Jam verò de Romano Pontifice quid sentiant, audiamus. Vulgò ab ijs immortalis putatur; bombyce vel gossipio involutum â Christianis conservari eum dicunt, esseque eundem adhuc, qui fuit, dum Christi fides Romæ inciperet, duraturumque usque ad extremum judicij diem, tuncque unà cùm Christo Machometi fidem amplexaturum, & abjecto cœlibatu utrumque ex dicti Prophetæ sui progenie uxorem sibi assumpturos. Sed & hanc immortalitatis gratiam, insani dicunt, donatam esse Pontifici nostro, in gratiam Hali, qui, dum viveret, ei amicus erat, atque promiserat, non eum moriturum. Eccur verò Hali vester sanctitate suâ eum ad fidem Machometi non convertit? cur bonis operibus sibimet ipsi hanc immortalitatem non vendicavit? sibi ergo & Pontifici nostro nedum non amicus, sed & crudelis erat.

Cæterum, quod miror, non solum plebs Persarum rudis & inculta, sed & nonnulli Magnates frivolæ huic innituntur opinioni. Quare liceat hic narrare, quidpiam de Vice-Rege Sciamachi nomine Mansur Kan. Is cum duo PP. Ordinis Prædicatorum Armeno Persæ ante aliquos annos deferentes Regis Persarum litteras ad Romanum Pontificem Romanorumque Imperatorem, ad se devenissent

ſent, ſciſcitabatur ab eis revertentibus, an Romanorum viderint Pontificem? qui ei reſponderant, vidiſſe ſe utique. Quibus ille. Felices vos, qui vidiſtis eum, cui tanto jam tempore divinâ gratiâ vivere conceſſum eſt, qui & victurus eſt, quoaduſque mundus durârit per interceſſionem & gratiam Prophetæ noſtri Hali. Patres porrò eidem retulêre, Papam, ad quem Regias detuliſſent litteras (qui erat Clemens IX.) jam vitâ functum eſſe, ſéque reſponſionem ad litteras delatas â ſucceſſore ejus (qui Clemens X. erat) accepiſſe. Vice Rex autem, magis ſe inquiebat credere libris ſuis, qui docent Romanorum Pontificem nunquam moriturum quàm aliorum relationibus, & memoratorum ſibi præſentium Patrum teſtimonijs. Veſanam hanc opinionem Perſarum introduxit menti corrupta Machometi doctrina, qui proindè perpetuitatem Pontificis Romani usque ad extremum judicij diem rectè non intelligunt, quod in ſucceſſione multorum ſalvetur, non verò in temporali & continuata vita particularis individui. Cæterùm ſaniores quidam & doctiores Perſæ, quibus major eſt notitia de hiſtorijs Arabum, Judæorum, & Chriſtianorum, nec non de Concilijs in Oriente celebratis longè aliter ſentiunt de Romano Pontifice: quem proindè vocant Giah Niſcing heſret hiſah, id eſt, locum tenentem Chriſti Domini: cujus & veram legitimamque credunt authoritatem in omnes Chriſti fideles. Sentiunt pariter Monarchiam & dominium ejus eſſe ita ſuperexcellens omnia alia Chriſtianorum dominia, ut jure merito vocari poſſit مخدوم اعاظم السلاطين العيسوي id eſt Dominus major omnibus Regibus Chriſtianis. Sed & ſentiunt dominium Romani Pontificis ita prudenter fundatum & erectum eſſe, ut ipſimet tametſi Machometani, hoc illi dignum tribuant elogium حاوي حالتين quod idem eſt, ac circumſcribens aut continens utrumque ſtatum, ſpiritualem ſcilicet & corporalem, temporalem & æternum. Sic ſaniores Perſæ de Romano Pontifice & Monarchia ejus prudentiſſimè ſentiunt: quantumcunque (in ſuam magis confuſionem, effræni linguâ in Romani Pontificis Majeſtatem ſanctitatem atque authoritatem, quam etiam infideles reſpiciunt obbla-

obblaterent hæretici. Hi non ad ſapientiſſimum Gravinam Ord: Prædicatorum,non ad Bellarminum laudatiſſimum Societatis JESU, neque alios inſigniſſimos quoſque Doctores & Controverſiarum ventilatores;ſed ad ipſoſmet Machometanos Perſas abire poſſunt, edocendi vel ab iſtis, quantæ utilitatis & excellentiæ ſit habere Monarchiam ſub uno capite,quam quidem ipſi infideles ſe, habere gloriantur per Hali & ſucceſſores ejus Chriſtianos verò per Chriſtum& ejuſdem vicarios Pontifices Romanos. Accedant & perverſi Hæretici Judæorum Synagogas ubi, audient eos Monarchiam maximè coluiſſe in illis, dum illis ſategerint unum præeſſe ſupremum Caput, & Pontificem, non ſine ſpeciali divino nutu. Accedant item Paganos, qui in ſuorum Idolorum cultu unius ſupremam venerati ſunt, & venerantur auctoritatem. Cæterùm mihi non plura dicere incumbit hic contra hos temporis noſtri Hæreticos, *qui ſunt inimici crucis Chriſti,* (a) *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*: aptius verò Chriſtiano ſentiendum cum Hipponenſi Præſule Auguſtino, qui quandoque dicere confidebat, *ſe non credidiſſe Evangelijs, ſi non fuiſſent ab Eccleſia Romana acceptata.* Vel cum magno illo Polonorum Cancellario, qui ſenſit, *melius in gremio Eccleſiæ ſanctæ mori, quàm ab initio naſci, & ſatius eſſe non naſci, quàm in ea non mori.*

Perſæ ergò de Monarchia Pontificis Romani ſentiunt, quod de nullius alterius dominio. Etenim cum Juriſdictione & poteſtate ſpirituali, in tot ſe regna provincias & nationes omneſque mundi cardines extendat, non obſtante hominum,linguarum,morumque diverſitate,quæ omnia in unum finem ſuperiorem ſapientiſſimè dirigit: meritò (inquiunt) excellentior præ cæteris habenda eſt, quæ & proinde feliciori præ cæteris encomio celebratur, utpotè جامع نشا تين id eſt congregans ſeu habens guſtum & ſaporem utriuſque felicitatis corporalis & ſpiritualis, temporalis & æternæ. Quâ tamen felicitate ſua, dum ipſo in culmine excellentiæ conſtitit Romanorum Pontifex Dei Servorum ſe ſervum pronâ ſubmiſſione compellat, originemque ſuam annulo & nomine Piſcatoris declarat: quod Monarchæ cæteri vel omninò

(a) *Philip.3.v.18,19.*

non

non faciunt, vel tali ſaltem humilitate Majeſtatem ſuam deprimere nolunt. Quantùm non primò ſentirent ingenui Perſæ ſi oculis contuerentur glorioſam illam Purpuratorum ſeriem, ſaluti animarum ac Sanctæ Chriſti fidei ampliandæ & ſtabiliendæ ita jugiter intendentium,& ex officio obligatorum ut jure merito Chriſtiani orbis Cardines dicantur. Quid ſi Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Præſules, Abbates, Canonicos, & Univerſam Eccleſiaſticam Hierarchiam cernerent? Quid ſi Monachorum Religioſorumque ordinum ſub exactiſſimis vivendi regulis congregatorum zelum & diſciplinam? de quibus eorumque ſacro, & felici inſtituto, olim ſic edixerat Magnus ille Cæſarienſis Doctor Baſilius in Epiſ. ad Chironem. *In hac ſolitudine dego, in qua Dominu verſatus eſt, hic eſt quercum Mambre illa, hic ad Cœlum ferens ſcala. Hic Angelorum Caſtra à Jacobo conſpecta, hic ſolitudo, in qua populus purificatus legem accepit, & ſic in promiſſionis terra Deum vidit. Hic Mons Carmeli, in quo commorans Helias Deo placuit.* Quid ſi Virginum Deo Sacrarum arctam Cuſtodiam? Quid ſi in vallibus & montibus oberrantium & delitentium Eremitarum Vitam, jejunia, nuditates, omnemque caſtigationis auſteritatem? Quibus dum omnibus unum Romanum Pontificem ad uſque extremos mundi Angulos cœleſti doctrina & ſapientia præeſſe exactius nôſſent Perſæ, divinius quidpiam de illius dominio ſentirent adversùm Hæreticos & moderni temporis Atheiſtas, qui ut Carnis indulgeant libertati, negant illum qui ſpiritum domare poteſt doctrinâ ſanâ & eruditione cæleſti.

Sed & non exiguam cauſabat admirationem Perſis, cum amicabiliter ſubindè expoſuiſſem eis continuam per tot ſæcula Romanorum Pontificum Succeſſionem, quæ & modo feliciſſimè continuatur, per Sanctiſſimum Patrem Innocentium Undecimum, Divi Petri Naviculam afflante Dei Spiritu optatiſſimè gubernantem, & numerum ſeriemque *236.* ſummorum Pontificum condecorantem. Mirabantur & non rarò cum ſucceſſionem hanc uſque ad ſæculi conſummationem continuandam fore aſſererem: quod etiam S. Auguſtinus teſtatum reliquid dicens *tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves poſt reſurrectionem Dominus*

minus

minus commendavit usque ad præsentem Episcopum, successio Sacerdotum. Cum usque ad Augustini tempora quadraginta numerati essent Pontifices, serie eorundem continua adusque sæculi consumationem protrahendâ. Quantumcunque ogganiant ut plurimum Apostatæ & Hæresiarchæ cum sequacibus suis, quibus probare legitimam Pontificum continuationem incumbit ex professo Theologis; prout horum innumera penè est, & optimis fundamentis roborata cohors.

Denique quod Persæ eorumque Reges Romanorum Pontificem magni habeant, indè forsan & esse potest, quod Reges antiqu orum Persarum, utpotè humaniores alijs Tyrannis, majorem servârint amicitiam cum Pontificibus antiqui testamenti, eorumque synagoga Hierosolymitana, & populo Judaico olim Deo electo. Ut proindè & Reges modernorum Persarum singulari humanitate, amicitiâ & respectu prosequantur Pontifices novi testamenti, populumque Christo dicatum. Quid verò de Romanis Imperatoribus Persæ sentiant, mox dicemus. Sit igitur.

ARTICULUS TRIGESIMUS PRIMUS.

De opinione & conceptu, quem habent Persæ de Romanorum Imperatore, magnaque & antiquißima Alemannorum gente.

HAbent nonnullam Persæ de Imperio Romano ejusdemque origine notitiam, prout & de Romanorum Imperatore. Vetustissimi enim & eruditissimi eorum Authores tradunt qualiter Pontifex Romanus diviserit Imperium ab Orientalibus ob Græcorum perfidiam: qualiterque constituti sint Electores Romanorum Imperatorum in Germania. Quæ quidem omnia tametsi fusè tractentur ab Europæis, breviter, enucleatim tamen, narrantur & à Persis. Vocant autem Romanorum Imperatorem. قيصر روم

Sed

Sed & antiquiſſimam Romanorum Germanorum gentem agnoſcunt quorum originem, & diſtrictum hìc enarrare longius & extra ſcopum foret. Quamvis & de his exactam notitiam eruditiſſimi Perſarum tractent Hiſtoriographi atque Geographi: qui & ſingulariter vocant Germaniam & Germanum Aleman, ſuperaddentes huic termino ſingulare quoddam naturalis Germanorum genij encomium dicendo, Aleman Heli himan id eſt Gens Alemana, Gens fidei aut fidelis ſeu ſincera. Atque in hoc quidem rectè ſentiunt Perſæ ſinceram charitatem & affectum Germanorum indicantes, quâ hi præ cæteris veluti Fratres ad invicem feruntur: indè & ortum eſſe judico, quod in Alemanorum natione frequentiſſimæ communiſſimæque ſint fraternitates, quas in vernacula vocant Brūderſchafft. Quamvis & alij putent Germanos dictos à Germinando, quod hæc natio fœcundiſſima & populoſiſſima ſit, alij denique, maxime qui Germanorum eorumque linguæ originem non à Latinis, ſed ab indigenis eſſe dicunt, eos Germanos vocitent ab inſigni eorum fortitudine, & planè virili robore, ita ut Germani idem ſint ac Garmannen. Mihi Perſarum opinio arridet, & Germanorum genio favet, neque de exacta origine, aut determinatione Alemanorum diſputo, qui ſolummodò Perſarum de hac gente opinionem refero, ijſque hoc in paſſu adhæreo, qui dicto elogio ſuo ſingularem illam & laudatiſſimam ac quaſi fraternam charitatem Germanorum exprimere volunt. Quo & collimare puto Latinos, dum Alemanos Germanos appellant, quaſi à fraterno charitatis vinculo, & uterinâ connexione.

Hæc obiter & brevitatis causâ dicta ſunto: in confirmationem autem optimâ Perſarum de Germanis opinione teſtabuntur, qui ijs in terris ſive, ut Legati, ſive etiam ut peregrini ſe detinebant, quorum teſtimonia vel viva, vel ſcripta ſatis ſuperque habere poterit amicus Lector. Quid vero ſingillatim de Romanis Imperatoribus ſentiant, experti ſunt vel Romanorum Imperatores antiqui, cum quibus promiſcuè amicitias quaſi domeſticas inière Perſarum Reges, ut crebrioribus etiam Legationibus ac muneribus invicem inviſerent. Quod doleo, ma-

ximum eſt, non haberi in Perſide, aut univerſo Oriente noſtro diſertiſſimos eloquentiſſimoſque illos Hiſtoricos & Annaliſtas, qui de Romanorum Imperatorum feliciſſimè geſtis, tot tantaque enucleatiùs omnia conſcripsêre. Unum imò magis ploro, non haberi in Perſide portentoſa illa, & nullo calamo ſilenda, quia omni titulo præclariſſima facinora, vel eorum tantummodo Imperatorum Auguſtiſſimorum, quos cœlitùs benedicta, &, ut omnium teſtantur ora, divinitùs erecta & conſervata hactenus Sereniſſima Domus Auſtriaca ſceptris tantis digniſſimos genuit, & aptavit. Ut porrò & mihi inclyta Domus Auguſtiſſimæ ſit memoria, & digniſſimæ laudis amplius deveniat de tantis Imperatoribus thema in Perſidem, vel per quoddam, ſi DEUS conceſſerit, hujus exigui opuſculi mei exemplar, noto, & typis repeto, quod pridem diſertiſſimus Orator Caſpar Scoppius, fusâ panegyri coram Clemente Octavo Sanctiſſimo Romanorum Pontifice in Nuptijs Philippi Tertij Hiſpaniarum & Indiarum Regis, atque Alberti Archiducis Auſtriæ ſuccinctè complexus eſt.

Primum (inquit) ea eſt familiæ Auſtriæ dignitas & majeſtas ut ab omnibus cæteris meritò coli & obſervari, à Te etiam Beatiſſime Pater & Sede Apoſtolica ornari quotidiè & omnia Paternæ charitatis ac benevolentiæ ſigna experiri debeat. Non enim potentior, non illuſtrior hoc ſæculo Domus in orbe Chriſtiano fulget, ut verè quod de Julia olim Horatius cecinit, meritiſſimo ſuo de hac dici debeat.

Micat inter omnes
Auſtrium ſidus, velut inter ignes
Luna minores.

Floret enim ut jam à pluribus annis, ita nunc temporis in ſummo honorum ac dignitatum culmine poſita, refulgetque ut coronis ſceptriſque Imperatorijs Auguſtis decem, octo Regijs: ſic etiam imaginibus, atque in Ducibus Auguſtorum ſeu Imperatorum decem Auguſtarum duabus; Regum octo, Regnorum ſexdecim referta eſt, Archiducum, aliorum Principum imagines, tiaras,

ras, circulos aureos & gemmatos hic longum esset recensere. Revolvas annales veteres quosvis & Genealogias Principum Christianorum omnium examines licet; nunquam tamen tot in una stirpe sublimia Imperia; tot Diademata; tot Sceptra, atque in hac una reperies, quam multis ab hinc annis Cuspinianus scripsit ex unica Habspurgensium Familia quinquaginta septem masculos Principes vel Cæsares, vel Reges, vel Archiduces, Duces aut Comites produxisse, & in qua Romanum Imperium per sex Augustos ultrà hominum memoriam & sæculum integrum continuatum videmus. Quid reperiri poterit rarius, excellentius, aut illustrius?

Frivolum ac leve est exemplum, si hæc consideres, quod Plinius, ut stupendum fœminæ fœlicitatis miraculum adducit: una, inquit, fœminarum in omni ævo Lampedo Lacedemonia refertur, quæ Regis filia, Regis uxor, Regis mater fuit. Plura profectò & majora decora inter Principes Austriades reperies. Longè etenim Læcenam illam Lampedona excellit Elisabetha Poloniæ Regina, quæ Imperatoris Cæsaris ac Regis filia & neptis, Regis Soror, Regis uxor, Regum quatuor mater & denique Regis Avia fuit: nimirum nata ex Alberto II. Imperatore Bohemiæ & Vngariæ Rege, fratrem Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ Regem; Maritum Casimirum Poloniæ Regem & filios protulit Regis Vngariæ Bohemiæque Joannem, Albertum, Vladislaum, Alexandrum, & Sigismundum: addatur & Fridericus V. filius, qui ad Cardinalatum Regiæ parem quippe dignitatem evectus est. Avia quidem fuit Ludovici Bohemiæ & Vngariæ Regis. Quid ista felicitate felicius, aut nobilitate nobilius? fulget tamen nunc etiam temporis unica Phœnix clarissimæ atque omnium virtutum dotibus præstantissimæ Heroinæ Mariæ Majestas, duæ proavum Maximilianum I. Cæsarem & Philippum I. Regem Catholicum Avum habuit; quæ Carolum Quintum Patrem, Ferdinandum Patruum Imperatores Cæsares Augustos vidit & Amitas Reginas quatuor. Ipsa Maximiliani Secundi Imperatoris Cæsaris Augusti uxor, Philippi Secundi Regis Catholici Soror, Rudolphi Secundi Imperatoris Regis Vngariæ & Bohemiæ, & duarum Reginarum, unius in

Ddd 2 Hispa-

Hiſpania, alterius in Gallia mater, & hujus etiam ipſius Regis Catholici Avia effecta.

Tanta nimirum decora, tam rara fœcunditatis exempla in ea domo reperiri oportuit, quæ barbaram Ottomanicæ potentiæ rabiem à cervicibus noſtirs depellere deberet.

Potentia quoque ejuſdem familiæ tanta eſt; ut quam Romani Imperij magnitudinem cum ſtupore quodam omnium ſæculorum homines admirati fuerunt, ſi cum hac comparetur, ludus, jocuſque penè videri debeat. Habent enim Auſtriaci Novum duntaxat orbem ſeu Americam, quæ ſola reliquas tres mundi partes Aſiam, Africam & Europam magnitudine adæquat, ac proinde Romano illo Imperio (etiam cùm in flore ſuo ſtetit) multo major exiſtit: ſed inſuper magnam etiam ipſius Romani Imperij & reliqui orbis partem poſſidet. Ut enim de Glorioſiſſimo Romanorum Imperatore Rudolpho nihil dicam, qui cum hodierno Imperio florentiſſima Vngariæ, Bohemiæ & Croatiæ Regna, multoſque Principatus conjunxit: quis neſcit magnum Hiſpaniarum Regem Philippum noſtrum Tertium, quatuordecim quidem in Hiſpania Regna continuare & ſublimia Luſitaniæ ſceptra ad Indos uſque protendere, tum Neapolitanum quoque Siciliæ, Sardiniæ, & Majoricæ & Minoricæ Regna, maximamque Italiæ hujus partem ſceptra ejus agnoſcere: Burgundiam verò & illum Provinciarum ocellum ac delitias Belgiam ſcilicet; ſive inferiorem Germaniam Principalibus pluribus luxúriantem & cuivis Regno minimè poſthabendam ſereniſſimo huic Archiduci Alberto ſubjectam eſſe? fruſtra igitur ſunt, & cum ipſi ſe fallunt, tum in ſimilem errorem alios inducunt, qui vel Macedonicum Alexandri Magni, vel Aſſiyrium, vel Perſicum, vel quæ poſterioribus ſæculis emerſere, Ottomanorum ſive Turcicum, Sophorum, Tartarorum aliorumque Imperia cum hoc Auſtriaco comparare audent. Tantum enim ab eſt ut illud æquiparent! ut ſingula contrà quoddam illius quaſi centrum ſive punctum conſtituere videantur.

Adeo enim quod de Roma Ovidius ſcripſit:

Gentibus eſt alijs tellus data limite certo

Roma-

Romanis ſpatium eſt Urbis & Orbis item.

Vere nos & multò verius de Auſtriaco Imperio pronuntiare poſſumus.

Regibus eſt alijs tellus data limite certo
Imperij ſpatium eſt Auſtrij & orbis item.

Nolumus tamen Pater Beatiſſime, ut hæc ipſorum nobilitas Auguſta & ſtupendum humanæ Majeſtatis ac potentiæ exemplar quicquam laudis habeat, niſi ea omnia CHRISTI ſemper & ſanctæ Apoſtolicæ ſedis auctoritati gloriæque fuerunt ancillata, niſi eo ſemper animo Auſtriaci fuerunt, ut non minus Eccleſiæ, quàm ſibi Provintias ſuas parere & ſubjectas eſſe cuperent: niſi Alberti fuerunt, qui Hæreſis Huſſiticæ pro pugnatores in divini nominis Gloriam, & ad conſervandam ſedis hujus auctoritatem, compeſcerent: niſi Fridericos ea dedit familia; qui Germanos ad eandem Huſſi hæreſin inclinantes in obedientia Eccleſiæ conſervarent, qui ſchiſmata de hujus ſedis occupatione per violentiam quorundam nata tollerent, qui Auctoritatem Apoſtolicam perperam uſurpantes vel ementientes in ordinem redigerent; niſi etiam Caroli ex ea memorantur, qui Turcarum impetus Eccleſiæ Catholicæ bono eluderent & reprimerent, qui Germaniæ Regulos ingenti militum numero Hæreſin ſuam tueri contendentes, mirabiliter compeſcerent; qui religionis denique Catholicæ amore Vale rebus mundanis dicto & Imperio abdicati divinis meditationibus immorarentur: niſi Philippi inde ſunt exorti, qui novos mundos ſanctæ huic ſedi ſubjugarent: qui denique Hæreticorum odio, eorumque exſtirpandorum ardore ſuas ipſi ſegetes urere, & pulcherrimis Belgij urbibus hoſtile aratrum imprimere nunquam recuſarunt; niſi poſtremò hodieque Auſtriaci omne ſuum ſtudium & induſtriam in eo collocant, ut omni è Regnorum ſuorum finibus Hæreſi exulâte cuncti juſſa ſedis Apoſtolicæ capeſſant.

Hæc Scoppius. Quæ profecto omnia hoc noſtro tempore in glorioſiſſimo LEOPOLDO Imperatore divinis planè Auſpicijs electo, novis, maximiſque incrementis aucta ſunt, optatiſſimoque eventu confirmata.

Hæc ſi Perſæ in notitia habuerint, plura, ultra multa quæ ſentiunt, certò certiùs ſenſerint, de ſacratiſſimis Romanorum Imperatoribus, â ſacratiſſimâ Auſtriacâ domo procedentibus. Enimverò ſi tantam cum anteceſſoribus, qui Romano præerant Imperio, habuere amicitiam, & inſignem de ijs opinionem, quantam non habere debebunt de his, qui eoſdem virtutibus, etiam tentati excedunt, zelo, licet afflicti ſuperant, victorijs, etſi poſthuria præcurrunt, Religione tametſi ab hæreticis vallati tranſcendunt, & nullum ſuis parem patiuntur meritis apicem elogiorum. Quantum non hoc ſolatij ſit miſellis Chriſtianis in Armenia, ſparſimque in Perſide exiſtentibus, dum ponderârint, quam non virtute laudabili, atque avito zelo hodierni Romanorum Imperatores correſpondeant Anteceſſoribus ſuis Orientis imperatoribus Chriſtianis, cum quorum nonnullis fama & memoria celeberrimis, quales ſunt Juſtinus ſenior, Juſtinianus, & Juſtinus junior, in ſtipite glorioſiſſimo Romanæ familiæ Anicianæ conveniunt, ut diſertiſſimè fundaliſſimeque probantem legi quendam Reverendiſſimum Dominum Joannem Seifridum Wratislavienſem celeberrimi Ordinis Ciſtercienſis, in Monaſterio Claræ vallis Auſtriæ, vulgo Zwethal dicto digniſſimum Abbatem, cujus altiſſimum ingenij apicem, & raram in rerum indagatione prudentiam ſolertiamque in arbore Anicianâ, prout vocat opus ſuum in 7. libros diviſum, Aug. Romanorum Imperatori Matthiæ dedicatum non abſque conſolatione ſimul, & admiratione ſummâ ponderavi. Nempe ſic pietate, juſtitiâ, & æquitate nunquam non floruere Romanorum Imperatores, ut neget ſplendorem fulgoremque ſoli, qui non tribuit laudem his, quorum ſedes in hoc ſolio erat. De illis antiquis Imperatoribus legi (*a*) Zonaram (*b*) Cyrillum (*c*) Evagrium (*d*) & Nicephorum Caliſtum. Illorum brevitatis gratia verba non referam: hujus verò vel aliqua, comprimis de Optimo Juſtino Romanorum Imperatore Auguſtiſſimo & pientiſſimo, cui Sereniſſima Domus Auſtriaca Aniciano in ſtipite feliciſſimâ progenie

(a) *Annal.tom.4.* (b) *In Vit. S.Saba.* (c) *Lib.5.cap.19.* (d) *Lib.17.Eccl hiſt.*

nie juncta est, placuit & in meam, & multorum memoriam & consolationem hoc meo inserere libello. Commemorat enim laudatissimus scriptor, qua ratione divinâ largiente gratiâ post Anastasium Orientis Imperium obtinuerit Justinus; his Verbis (*a*) *Ubi verò Anastasius ad infima concessit judicia Panemi Mensis, qui apud Romanos Julius dicitur, die nono Justinus Patriam Thraciam habens, purpuram sumpsit, ordine Aulicorum, Dux à custodibus corporis Imperatoris, quibus præfuerat, præter omnem spem Princeps declaratus.* Alibi vero (*b*) celebrat ea quæ primo anno Imperij sui Justinus hic pro defensione Ecclesiæ Catholicæ patrârit, & contra Adversarios Synodi Chalcedonensis. *Per quos* (id est Hæreticos & Hæresiarchas) *nugamenta multa adversùs Ecclesiam sunt inducta, & populus in innumerabiles opiniones divisus. Sed enim Imperator fidelissimus primo anno sui Imperij severum commeritas petulantias verborum lubricitantis pœnas pendere, linguamque ejus radicitùs exscindere jussit.* Succedens huic Imperio Patricius maximus Dux ille Justinianus Sororis ipsius Justini filius, ut idem habet cap. 7. lib. citati, quam egerit memorabilia scribit, comparans eum pientissimo Constantino Magno. (*c*) Inquit ergo. *Princeps etenim iste* (videlicet Justinianus) *tanto in Christum pietatis ardore flagrasse, ab eis, qui res illius memoriæ posteritatis mandârunt, dicitur, quanto alius, qui antè Imperium tenuerunt, nemo, ter maximo illo Constantino excepto.* Quo & regnante pientissimo Orientis nostri Cæsare ad Christi salutarem fidem potentissimus Persarum Rex Chosrues conversus dicitur, ab eodem Nicephoro. (*d*) Parum sit, quod objici posset, Justinianum adhæsisse hæresi Aphrotodocitarum, qui indiscretâ reverentia negabant Christo passiones naturæ humanæ necessariò annexas, ut sitim, famem, languorem, excrementa, &c. Ab hoc enim errore excusatum eundem habet Sacra & æcumenica Synodus sexta in suâ præfatione, adscribens non malæ ejus voluntati, & pertinatiæ, quæ ad formalem requiritur hæresim, sed plus nimiæ devotioni, pioque affectui, quem superabundanter ostendere connabatur in Nomen JESU salvatoris nostri: unde eum omni pœnâ immunem, beataque quie-

(a) *Ibid.* (b) *Ibid. c. 2.* (c) *Cap. 29. ejusdem lib.* (d) *Cap. 17. ejusdem libri.*

quiete obdormientem agnovit Ecclesia, illiusque piam memoriam annuali solennitate celebrari concessit, ut idem refert Calistus. (a)

Sed & succedens Justinus Junior, Sororis Justiniani filius quam laudabiliter pro Dei Ecclesiâ, & Orthodoxæ fidei defensione egerit, exstirpando hæreses, & dissipando dissentientium errores, in eodem Calisto reperiet amicus Lector: ego unicum Justini Junioris scriptum, quod quantum sedulè inquisivi, tantum & lætanter adinveni in sæpe laudato Nicephoro (b) referam, unde omnis regendi prudentia atque potentia, omnis in fidem zelus & constantia, ut sole dies clarissimus effulgebit. Justinus enim dictum derepentè compositum, ad Christianos ditionis suæ omnes misit, ut nihil in Ecclesijs novarent: sed antiquis Patrum decretis insistentes, rectè divinum Numen colerent atque adorarent. Scriptum de fide hisce fuit verbis conceptum.

Justini scriptum de fide Christiana, & Concordia ejusdem.

IN nomine Domini nostri JESU CHRISTI DEI nostri. Imperator Cæsar Flavius Justinus, fidelis in CHRISTO, Clemens, Maximus, Beneficus, Almanicus, Gotthicus, Germanicus, Anticus, Francicus, Herulicus, Gepidicus, Pius, Fœlix, Gloriosus, Victor triumphator, semper colendus Augustus. Pacem meam do vobis, inquit Dominus CHRISTUS, verus DEUS noster: Pacem meam relinquo vobis. Idem promulgat hominibus omnibus. Id verò aliud non est, quam ut in eum credentes, in unam & eandem Ecclesiam conveniant, consentientes quidem animis in recta Christianorum sententia, aversantes autem eos, qui contraria dicunt, aut opinantnr. Primaria namque salus hominibus omnibus constituta est, ipsa rectæ fidei confessio. Quapropter & nos Evangelica præcepta, & Sanctorum Patrum sacrum

(a) *Cap.31.lib.17.* (b) *Cap.35.eodem lib.*

crum Symbolum ſive doctrinam conſectantes, ut ad unam eandemque Eccleſiam & ſententiam ſimul accedant, omnes cohortamur, credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem ὁμοούσιομ conſubſtantialem, Deitatem ſive naturam & ſubſtantiam verbo & re ipſa unam. Unam etiam virtutem & poteſtatem & ἐνέργειαμ, hoc eſt, efficaciam in tribus ſubſiſtentijs ſeu perſonis profitentes, (in quas baptizati ſumus, in quas credidimus, & quibus profeſſione addicti ſumus. Unitatem ſiquidem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate adoramus, diſtinctionem ſimul & unionem, præter opinionem omnem, habentem. Unitatem quidem ſecundum Subſtantiam, ſive Deitatem, Trinitatem verò ſecundum proprietates ſive ſubſiſtentias ſeu Perſonas. Diſtinguitur namque indiſtinctè, ut ita dicamus: & conjungitur diſtinctè: ſiquidem unum eſt in tribus ipſa Deitas. Et tria in quibus Deitas eſt, ſeu, quod certius dicitur, quæ Deitas ſunt, unum.) DEUM Patrem, DEUM Filium, DEUM Spiritum Sanctum, quum perſona quæque per ſeipſam ſpectatur, mentis ipſius ſenſu, quæ inſegregabilia ſunt ſegregante: DEUM tria hæc ſimul mentis acumine intellecta, propter eundem motum & naturam eandem. Quandoquidem peropus eſt, & unum DEUM profiteri, & tres ſubſiſtentias ſive proprietates prædicare. Confitemur verò ipſum Unigenitum Filium DEI, DEUM Verbum, ante ſæcula quidem, & abſque tempore ex Patre genitum, non factum. In extremis autem diebus, propter nos, & propter noſtram ſalutem, deſcendiſſe de Cœlis: & incarnatum ex Spiritu Sancto, & Domina noſtra Sancta glorioſa DEI Genitrice & ſemper Virgine MARIA, & ex ipſa natum eſſe. Qui eſt Patri & Spiritui Sancto æqualis. Non enim quartæ & incarnatæ unius ex Sancta Trinitate DEI VERBI perſonæ acceſſionem ſuſcepit Trinitas Sancta, ſed eſt unus & idem Dominus Noſter JESUS CHRISTUS conſubſtantialis Patri & DEO juxta divinitatem, & idem conſubſtantialis nobis ſecundùm humanitatem, paſſioni obnoxius carne, & paſſionis idem expers in Divinitate. Namque non alium DEUM VERBUM quod miracula edidit, &

aliud quod passum est, novimus: verum unum & eundem confitemur Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM DEI Verbum incarnatum, & perfectè hominem factum: nec non unius & ejusdem miracula simul & passiones, quas voluntariè carne sustinuit, propter nostram salutem. Non enim homo aliquis se ipsum pro nobis tradidit: sed ipse DEUS VERBUM immutabili modo homo factus, spontaneam simul passionem, & mortem pro nobis carne subijt. Atque dum DEUM ipsum esse confitemur, non inficiamur, eum etiam hominem esse, & hominem ipsum confitentes, DEUM ipsum quoque esse non negamus. Proinde unum & eundem ex utraque Divinitatis scilicet & humanitatis natura compositum profitentes, Dominum Nostrum JESUM CHRISTUM, unione confusionem non inducimus. Non enim quod secundum nos homo factus est, propterea DEUS esse desinet. Neque sanè quòd DEUS natura est, & in eum similitudo nostræ naturæ non cadit, propterea homo esse negabitur: verum quemadmodum in humanitate DEUS, ita nihilominus in sublimitate Deitatis homo permanet: utrumque verò in eodem est, & unus DEUS simul & Homo, ipse Emanuel. Porrò eundem confitentes in divinitate perfectum, atque etiam in humanitate perfectum, ex quibus etiam compositus est, divisionem aut sectionem in partes, una ejus composita subsistentia, non inducimus. Differentiam verò naturarum, quam unio non tollit, indicamus. Nam neque natura divina in humanam est versa, neque humana natura in divinam mutata. Intelligentiæ autem acie utramque considerante, & potiùs utraque in propriæ naturæ fine & ratione existente, factam quidem unionem dicimus, secundùm subsistentiam: ipsa verò secundùm subsistentiam unio ostendit DEUM VERBUM, hoc est, ex tribus Deitatis subsistentijs, subsistentiam unam, non præexistenti homini unitam esse, sed eam in utero Dominæ nostræ Sanctæ & Gloriosæ DEI Genitricis, semperquè Virginis MARIÆ, sibi ipsi ex ea condidiss. in propria subsistentia carnem nobis ὁμȣ́σιομ consubstantialem, & eisdem perpessionibus per omnia obnoxiam absque peccato,
anima

anima rationali & intellectuali animatam. In ipsa namquè subsistentiam habuit,& homo factus est. Et est unus atque idem Dominus noster JESUS CHRISTUS, qui cum Patre & Spiritu Sancto conglorificatur. Cæterum ineffabilem ejus unionem considerantes, rectè naturam unam DEI VERBI incarnatam carne, quæ anima rationali & intellectuali est animata, profitemur. Rursum differentiam naturarum contemplantes, eas duas esse dicimus, divisionem nullam inducentes. Utraque enim natura in eo est. Unde unum & eundem profitemur CHRISTUM: unum Filium, unam Personam, unam Subsistentiam, DEUM simul & hominem. Omnes verò qui aliter vel senserunt, vel sentiunt, Anathemati subijcimus, alienos eos esse â sancta DEI Catholica & Apostolica Ecclesia judicantes. Itaque quum recta à Sanctis Patribus nobis prodita dogmata sic prædicentur, universos vos ut in unam & eandem Catholicam & Apostolicam Ecclesiam conveniatis, hortamur, seu potius rogamus. Non enim grave nobis est, quamvis in fastigio Imperij collocati simus, Christianorum omnium consensionis atque unionis gratia, ejusmodi verbis uti: ut una ab omnibus laus & glorificatio tribuatur DEO Magno, & Servatori nostro JESU CHRISTO. De cœtero autem, ne quis causam aut occasionem ullam de personis aut syllabis (sive fidei formulis) per intestina dissidia contendendi captet, quoniam ad unam & eandem rectam fidem & sententiam syllabæ (seu formulæ) producunt consuetudinis & status ejus, qui hucusque in sancta DEI Catholica & Apostolica Ecclesia obtinuit, & per omnia citra innovationem aliquam firmus stabilisque deinceps in tempus omne permanebit.

Edictum hoc omnes ubique Episcopi & Sacerdotes Catholici comprobârunt, rectè promulgatum esse dicentes. Qui verò se ab Ecclesia segregaverant, in schismate & dissidio persistentes, haudquaquam cum ea uniri voluerunt: non aliam quidem ob causam, quàm quòd ad finem scripti disertis verbis adpositum esset, etiam temporibus futuris professionem fidei talem absque rebus novis stabilem conservatum iri.

Hæc ſunt quæ de noſtris etiam lectiſſimis & pientiſſimis Orientis Imperatoribus memoranda cenſui, quibus, ut dictum, Aniciano ſtipite junguntur Auguſtiſſimi de domo Habſpurgica Imperatores, nec tam junguntur, quam æmula virtute & Religionis zelo pares eſſe contendunt; prout ſuis in litteris ad Auguſtiſſimum & Clementiſſimum LEOPOLDUM confidit memoratus Armenorum Patriarcha Jacob, ut ſupra in Art: de Armeniâ dictum. Ubi poſt alia ad Auguſtiſſimum Imperatorem hæc ad rem noſtram apta habet. *Vos enim eſtis noſtra laus, atque gloria, & per vos gloriamur inter infideles Gentes; & oculi noſtri ſperant in vobis, ut inveniatur modus liberandi nos ab ærumnis noſtris.* Unde ſubdit. *Dignum & juſtum eſt, in memoriam vocare pietatem & Clementiam antiquorum Veſtrorum* (nota amice Lector) *quam habebant erga Chriſti membra, zelum erga fidem Orthodoxam, & charitatem erga afflictos fideles &c.* En ſuggerit Vir optimus convenientiam in zelo & pietate modernorum & antiquorum Imperatorum, qui omnes non niſi propenſiſſimâ benevolentiâ in afflictorum Chriſtianorum ſolamen deſudabant: prout ſingulariter de antiquis Orientis Cæſaribus, Armenorum Græcorumque teſtantur Hiſtoriographi, maximè de Juſtino Juniore præfati ſacroſancti decreti Promulgatore. Hujus enim anteceſſorum tempore jam Armenia minor data erat ditioni Romanorum, major verò Dominio Perſarum, regnante Sapore: unde hujus incolæ nominati ſunt Perſarmeni, quo & hodie nomine gaudent. Qui qualiter ingraveſcente jugo Perſarum, Ethnicorumque perarduo, ad pietatem clementiamque Juſtini per oratores confugerint, liquet ex memorato Nicephoro (a) ubi ſic habet. *Perſarmeni inquam iſti, quod graviter â Perſis affligerentur, legeſque ſuas tranſgredi vi compellerentur, clam ad Juſtinum Oratores miſerunt, ut ſub ditionem Romanorum reciperentur, precantes, quò liberè abſque moleſtiâ ſacros ritus pro Religionis conſuetudine Deo peragere poſſent. Juſtinus preces eorum comprobavit, pactis conventis quibuſdam ab ipſo interpoſitis, quæ etiam jure jurando confirmavit.*

Hæc inquam ſunt, quæ afflictis in Armeniâ & Perſide Chriſtianis conſolationi ſunt, & eſſe poſſunt. Et ſanè nullo non me per-

(a) *Cap. 37. lib. 17.*

perfuſum gaudio ſenſi; dum memorati pientiſſimi Juſtini Orientis noſtri Imperatoris ſcriptum fidei zelo pleniſſimum, atque Auguſtiſſimi Romanorum Imperatoris avitam in uno ſtipite glorioſiſſimo laudatiſſimæ Romanæ familiæ Anicianæ cum tribus illis zeloſiſſimis Orientis noſtri Imperatoribus convenientiam, poſt ſingulariſſimum ſtudium & diligentiam, continuumque in evoluendis, pluribus, diverſisque voluminibus, Græcorum, Latinorum, Armenorum, Perſarum, atque Arabum, in diverſis Bibliothecis, faventibus tamen Superis adinveni. Multa ſanè quà mihi, quà Chriſtianis Orientis mei materia eſt gaudiorum. Dum enim illi antiquiſſimi Orientis noſtri Imperatores nullo non fervore, zelo, & æquanimitate pro ſanctâ fide, hæreſumque extirpatione ſtetiſſent, non eſt, quod tam virtute, quàm ſanguine omnes Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ proles ſacratiſſimas, cum ſupradictis convenientiam habuiſſe dubitemus; quippè cùm & ſcriptorum volumina, & omnis hominum ſit plenâ memoria, quod pari zelo atque fervore, pari conſtantiâ & pietate, majori imò fortitudine & æquanimate antiquiſſimi quique, & moderni Auſtriadæ pro fide ſanctâ decertârint, pro Chriſtiano populo leges & jura ſtabilierint, hæreſes extirparint, omnique Dei gloriæ, Eccleſiæque ejuſdem ſanctæ emolumento fructificantes, adúſque hodiernam feliciſſimè virentem frondem perdurârint, atque perdurent, LEOPOLDUM, plus mille titulis nullâ facundiâ ad ſatietatem excogitandis Auguſtiſſimum. Magna mihi gaudiorum materies, qui Orientem atque Occidentem, familiâ Anicianâ glorioſiſſimâ, & avitâ virtutum ſucceſſione in his & illis Imperatoribus pientiſſimis conjunctos reperi. Fruatur ergo delicijs ſuis cum ſacro Ordine ſuo Reverendiſſimus ille Ciſtercienſis, qui dum in Bibliothecâ Monaſterij, ſanctæ Crucis, reperiſſet Epiſtolas quaſdam Rudolphi Primi manuſcriptas, in ſacri Ciſtercienſium Ordinis laudem, tanto ſuperfuſus eſt gaudio, ut ad eundem dicere auſus ſit (*a*) *Crede mihi Matthia Imperator optimè, majori exulto lætitiâ ob repertas has Epiſtolas, quàm ſi reperiſſem annulum illum ex auro, quod Magi obtulerunt Chriſto, fabrefactum*

(a) *In dedicatione.*

factum. Fruar & ego, omnisque Oriens Christianus, de illo Justini zelosissimo fidei scripto, & feliciter indagatâ modernorum Augustissimorum Austriadum Occidentalium cum illis Orientalibus avitam cognationem: dicamque ego nullius culpæ veritus. Crede mihi LEOPOLDE Imperator optimè, majori exulto lætitiâ ob repertum illud Justini scriptum, tuamque & omnium Austriadum cum pientissimis Orientis nostri Imperatoribus avitam progeniem, & in vetustissimo Romano stipite quâ virtute, quâ cognatione convenientiam, quàm si reperissem annulum illum, ex auxo quod Magi obtulerunt Christo, fabrefactum. Illud proindè de annulo hic aptum ingeminans.

Annule, non unum quem sacra palatia servans
Maraello acceptum pulcher Apollo refert.

Hoc ergo scriptum, utpote partum mentis pientissimi cujusdam Orientis nostri Cæsaris, & talem quidem, qui meritò Lectorem benevolum ad ulteriorem excitare valeat devotionem, atque admirationem, huic opusculo inserere volui, ut dum Austriacorum Principum in fidem & Religionem generosissimum pientissimumque zelum, in Dei & Universalis Ecclesiæ servitia animum promptissimum, quispiam consideràrit, avitam miretur successionem virtutum, & cognatam pietate convenientiam Imperatorum Austriadum, dictorumque Orientis nostri. Idem enim tentare, idem fortiter agere, idem arduè perpeti, idèm feliciter ab antiquissimis atque avitis temporibus semper statuisse, imò nunquam non opere exhibuisse omnes Principes Austriadas, fusim memoratus recensuit Scoppius. Undè sanè nedum tua Lector amice, sed & mea & omnis Christiani Orientis consolatio oriatur.

Plura cæteroquin ubi Amicus Lector indagare voluerit, qualiter Augustissimi Imperatores è domo Austriaca zelosissimè fidelissimeque correspònderint feruori ac pietati Christianæ Antiquorum suorum in Imperio antecessorum, quamque plura optima in sanctæ fidei & Ecclesiæ stabilimentum, non minùs ac ij perpetrarint, consulat Reverendum P. Gabrielem Buceleni Sacri Ordinis Benedictorum in sua historia, seu notitia Genealogica

gica Germaniæ. Vbi in part. 3. fol.21, Principes Auſtriacos diſertè comparat, ut fratres, juxta illud Abrahami Lothum obteſtantis. *Ne quæſo ſit jurgium inter me & te, & inter paſtores meos & Paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce univerſa terra coram te eſt: recede à me obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu ad dextram ejeris, ego ad ſiniſtram pergam.* (*a*) Qui ſanè pacis Amor Numini commendans Principes Auſtriacos in ſolido Abrahami voto, huic non abſimiliter illos beavit, & tanta terrarum ſpacia illis propria voluit, juxta illud Veritatis. *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Quam inquit felicitatem & beatitudinem, toto cœlo diverſiſſimæ ignorare non poſſunt nationes, eſſe propriam Auſtriacorum.

Hæc denique ſunt, quæ in meritiſſimam laudem Auguſtiſſimorum Cæſarum, atque in meam totiuſque deſolati Orientis Chriſtiani conſolationem, imò & in majorem ipſiſmet inibi infidelibus æſtimationem conciliandam, huic meo opuſculo inſervi, exoptans ut iſte palam, quocunque devenerit, quod fideliſſimè juxta veritatem ſenſi, confidenter eloquatur, & uſque ad extremas mundi oras, quæ calamo confidi ſecurus, & imperterritus exclamet, verificeturque de me in gloriam Auguſtiſſimorum Cæſarum, comprimis LEOPOLDI feliciſſimè regnantis, Domini mei Clementiſſimi, illud:

Trans ego tellurem, trans altas audiar undas:
Et calami vox eſt magna futura mei,

(a) *Geneſ. c.* 12.



ARTI-

ARTICULUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

Quomodo & qualiter Persæ exterarum Nationum excipiant Legatos, nec non de Reverendissimo Patre Magistro Francisco Piscopo Ord: Præd: Neapolitano, Persarum Regis Solimani ad Sanctam Sedem Legato.

QUod restare videbatur in opere, est, qualiter exterarum Nationum Legati â Persis excipiantur, quod hoc Articulo recensendum aggredior.

Quatuor ergò in legatione quadam observant Persæ, fors juxta considerationem quatuor causarum. Primo ergò considerant illum, illiusque conditionem, qui legationem mittit; tanquam causam efficientem. Síqui ergò â pluribus alijs Machometanis mittantur Legati, ut Turcis, Indis, Scythis, Arabibus & alijs, primum dant locum Legato Turcarum, dein Indorum, tunc Scytharum, & consequenter juxta ordinem aliorum Legatis. Qua etiam ratione Turcæ Persarum Legatos cœteris Machometanis anteponunt.

Inter Legatos verò Principum Christianorum primo Persæ venerantur loco eos, qui â sancta Sede & Pontifice Romano sunt delegati; dein eos, qui ab Imperatoribus Romanis, ac consequenter cœteros, juxta statum & conditionem, aut Dominium suorum Principalium.

Secundò considerant conditionem mores & qualitates ejus, qui Legati officio fungitur; tanquam causam formalem: quòd in Legato nobilitas morum, & sagacitatis excellentia, prudentiæ, generositatis, & liberalitatis promptitudo, sint conditiones veluti cohonestantes, & formam decentiæ inducentes ad legationem honorificam. Sunt enim in horum duorum punctorum advertentia sagaces omninò, & zelosi Persæ, illud utcunque scrutantes, quo fors ipsorum Majestas eludatur, aut vilipendatur ab exteris

Ter-

Tertiò tanquam causam materialem considerant munera sibi missa. An & ejus qui mittit, & ejus cui hæc mittuntur Majestate non sint indigna? an item ab ipsomet offerantur Legato, an verò â Principali per Legatum?

Quartò tandem, ut causam finalem considerant scopum & intentionem delegantis & delegati, sedulo perscrutantes, an legatio facta sit de procuranda pace, bello, amicitia denuò facienda, confirmanda, aut de confœderatione armorum, sivè cujuscunque interesse statûs quà politici, quà Religionis.

In his inquam, ut omnia solerter expiscentur, subtilissimi sunt Persæ, & nullas non machinantur inventiones: ut proindè & ei, qui legatione apud eos fungitur, quatuor potissimum judicio meo sint observanda. Primò competens statui suo & Principalis sui, incedendi fastus, & vestimentorum ornatus, qui tamen & modestus esse debet, nec ita affectatus, ut magis videatur fieri in sui apud Persas ostentationem, quam repræsentandam gloriam & conditionem Principis sui: hujuscemodi enim ambitionem vilipendunt. Secundò debita observetur gravitas necesse est, minimè affectata, sed omni sale affabilitatis condita, quam permagni habent, multumque æstimant Persæ: qui & in hac, prout in alijs multis, assimilari videntur Hispanis. Quare Persæ Orientis nostri Hispani vocari possunt. Parùm item curant de longioribus cæremonijs cœteros inter Europæos consuetis, maximè detectione capitis, quæ eis omninò in more non est, imò pro dedecore habetur. Tertiò cavere oportebit ultroneam loquacitatem, præstabitque magis vigilanter audire; quò facilius expiscari poterit, cujusnam conceptus sint credentiales litteræ Principis sui in mente Regis & Principum ejus: poteritque adhibitâ, diligentiâ & sagacitate fidelis Interpretis, propriâque prudentiâ competenti modo urgere media pro negotij sui expeditione necessaria: discretâ denique cum ijs, quibus expeditio incumbit, conversatione multa, sub secreti tamen sigillo, sibi palam fieri, poterit procurare. Quartò denique teneat medium inter prodigalitatem & avaritiam, sitque generosè liberalis, etiam erga Persas illos, qui aliquod ei sivè in itinere, sive in aula ex-

hibuêre obſequium, ſingulariter autem erga Principes ac Miniſtros Regios, quibus præſtabit promiſſum facere, & conſideratis conſiderandis dona aliqua mittere pro conditione & ſtatu perſonæ, officijque qualitate.

Etenim urbanitatis, benevolentiæ, & munificentiæ officijs obligari comprimis amat docilis natura Perſarum. Medium pariter Legatus teneat inter audaciam & ignaviam, cum vel maximè loquitur coram Rege: non enim ita barbara eſt gens Perſarum, ſicuti Turcarum atque aliorum; ut proindè quis debeat audacter omninò & protervè ijs reſpondere, ſicuti horum intolerabili ſuperbiæ. Affabilitate enim quadam, ac rariori quidem quà Reges quà Principes obviant Legatis exteris, ut proindè his anſa non ſit, ſive timore animo cadendi, ſivè verborum audaciâ plus nimiâ ſeſe jactandi. Caveat autem, ut indiſcretè ſic verbis ſtet pro Regione & Religione gloriaque Principis ſui, ut contemnere Legatus videatur, quæ Religionis, ſtatûs, & gloriæ ſunt Perſarum. Quibus ſapienter obſervatis Legatus, maximè Europæus, nullum non amorem conciliabit apud Regem & Principes quâ ſibi, quâ ſingulariter Principali ſuo.

Modus autem excipiendi Legatos exterarum Nationum, utcunque talis â Perſis obſervatur. Antequam Legatus Regis aulam accedat, ſtudent omnes Proceres & Principes habere notitiam, â quo mittatur, cujuſque conditionis ac ſtatûs ſit Legatus acceſſurus. Tum verò & cogitant, quâ ratione, modove eum excipere deceat. Pro conditione ergò ejus & Principalis ſui, diſponunt ei palatium ſeu domicilium quoddam Regium, aut alterius Principis particularis, quod & juxta decentiam inhabitaturo tapetijs adornant & ſternunt, pretioſioribus minùſve pretioſis. Antequam porrò Legatus civitatem ingrediatur Regiam, obvius ei ad aliqua milliaria cum ſervis ſuis nonnulliſque Nobilibus aulicis mittitur Meh-mandar-*B*aſci: ideſt caput ſive Princeps eorum, qui curam gerunt de hoſpitibus adveniſque. Vocatur præſens Miniſter nomine proprio Juſup Begh, ſcilicet, Dominus Joſeph. Vir uſque adeò ſagax & affabilis, ut omne urbanitatis atque humanitatis officium, quod

abun-

abundanter cujuſcunque Regionis & Religionis hoſpiti, comprimis Europæo exhibet, magis ex innata indole, ac naturali affabilitate, quàm ex obligatione officij ſui, atque de induſtria præſtare videatur. Sed & ſolent ut plurimum ad hoc officij genus eligere, quos norunt majori humanitate præditos, atque Hoſpitibus benevolè excipiendis aptiores. Hic ergò Miniſter Legatum advenientem debita cum ſolemnitate ſalutatum, ad paratum ei deducit hoſpitium. Quo ubi devenerit Legatus, illâ immediatâ die deputatus præfati Meh-mandar Baſci Miniſter paratam Legati Procuratori numerat pecuniam pro victu quotidiano: quæ pro Legato minimæ conditionis erit medius Tuman, juxta perſonarum verò majorem vel minorem excellentiam, quandoque tres quandòque ſex, ſubindè & duodecim. Continet autem Tuman unus ut alibi dictum ſexdecim Imperiales.

Cœterùm audientias coram Rege, in promptu & ita ſubitò Legati habere non ſolent: niſi forſan advenerint tempore ſolemnitatis Nouruz, dum ſcilicet incipit novus annus eorundem: de qua ſolennitate ſupra diximus. Tunc enim citiſſimè & promptiſſimè ad Regis audientiam admittuntur Legati. Sed & ſub hoc temporis de quocunque advena lætantur & gratulantur Perſæ, faventque ijs, ut fruantur feliciſſimâ Regis præſentiâ, participeſque evadant ſolennitatis & lætitiæ tantæ.

Et ſanè videbunt tunc Legati exteri faſtum & divitias Regis incomparabiles. Ubi enim Rex dicta in ſolennitate ſedet, circumcirca viſu erunt tapetia ornatiſſima auro, & argento, imò & gemmis pretioſiſſimè conſerta, qualiter equidem & pavimentum ſtratum erit: quod proindè præter Regem, & quem hic ad ſe vocârit, nemo calcare, aut pede contingere auſit. Sed nec â Rege vocatus diu ibi ſtare poterit, minùs ſedere, ſed ad ſuum illicò locum revertatur oportet. Eſt autem ſpacium hoc majeſtoſum, atque oculis gratiſſimum, ſatis longum atque amplum, ut quidpiam magis delitioſum vix æſtimari poſſit. Videntur pariter ante Regem hinc indè & circumcirca complures diverſiſſimorum lapidum & gemmarum cumuli & congeries, eo ferè mo-

do, quo cerasa & legumina cumulatim poni solent, quod non exiguam videnti causat admirationem. Undè Legati qui ex quacunque mundi parte accedunt ad Persarum aulam, pro celebriori & velociori negotiorum suorum expeditione, ac delitiosa experientia rerum diligenter tempus illud observare solent.

Cùm ergo die à Rege præscripto Legatus ad audientiam fuerit admittendus, summo mane accedit ejus habitaculum Mehmandar-Basci, dinumeransque singillatim omnia munera Regi deferenda, unumquodque committit civi cuidam splendidè induto portandum, etiamsi quid minimum sit: si quæ autem sunt munera majora, plures civium simul uniti portare debebunt. Omnibus ergò juxta ordinem dispositis, Mehmandar-Basci, cum suis nonnullisque Regis Aulicis, magno fastu & pompa equester antecedit, quem dein sequuntur cives munera deferentes, unus quidem post alium, & pedestres, quos debito ornatu & decore subsequitur Legatus cum suis. Et hoc quidem avidi gloriæ amatores Persæ facere solent, ut undique audiatur magnificentia & benevolentia illius Principis vel Monarchæ, qui Legatum talibus muneribus ad Aulam Regis dimisit. Id, quod & Moscovitæ facere solent; forsan à Persis edocti.

Porrò cùm facta esset celeberrima illa & sumptuosissima legatio Hispanorum ad Regem Habas per Legatum Dominum Garciam, cujus supra articulo de Regibus meminimus; munera deferre debuerunt quingenti, & ultra homines, demptis ultra his, quæ in Camelis reliquerat Legatus in Isfahan. Cùm enim venisset, hac in Civitate Regem non adinvenerat, quippè quòd hic in Gazuin tunc temporis habitâsset; quo & memoratus Dominus Garcia, cum muneribus ijs saltem, quæ commodiori modo deportari poterant, se se conferre debuit, relictis cæteris, quæ nonnisi camelis deportari potuerunt. Et hanc quidem legationem singularissimè extollunt Persæ, asserentes non fieri mentionem in historijs suis, quod alteri cuidam Legato tanta humanitas & benevolentia ab ullo Persarum Rege exhibita sit, quantam huic Domino Garciæ Rex Habas exhibuit. Non enim ad illum introducendum in Gazwin tantum

tum

tum obviam miſerat Mehmandar-Baſci, alioſque magnæ conditionis Principes & Miniſtros aulæ, cum maxima pompa faſtuque; ſed & eundem ſic ſplendidè introductum benevolentiſſimus excepit. Appropinquanti ſibi pronus ipſe ſurrexit, & obviam ivit, demumque ſupra Legatum Turcicum, qui & tunc in Aula erat ſeſſionem capere fecit.

Quando autem in Isfahan perveniunt ad portam illam laudatiſſimam palatij Regij, quæ vocatur Alakapi, id eſt ſublimis porta, cujuſque limina nemo calcare audet, ſed omnes venerari tenentur excepto Rege, tunc illico Mehmadar-Baſci deſcendit equo cum ſuis, acceditque Legatum, adjuvans eum pariter ad deſcenſum: tandemque ordinata proceſſione gradiuntur ante Legatum, qui munera deferunt, donec conſcendat altiſſimam illam & ſuperbiſſimam Regis habitationem, ſuper ſublimem portam illam, de qua ego obiter ſupra, & fuſim Petrus de la Valle in ſua peregrinatione. (*a*) Cùm porrò Legatus ad portam eſt, obviam ei venit Mareſchallus Aulicus multo veſtimentorum ornatu, tenenſque eum ex brachio dextro, ducit magna cum gravitate ad Regis præſentiam: ubi Legatus inclinans, præviamque præſtans Regi venerationem, quam is movendo aliqualiter caput ſuum ſe acceptare indicat, deponit credentiales ſibi commiſſas, dein verò & ordinatè munera omnia, quæ nomine Principalis ſui Regi ſunt offerenda.

At verò ordinariè non ſolet prima vice reſpondere Rex ad petita, niſi quod uno alterove gratulationis verbo, & hoc quidem mediante primo Miniſtro ſuo, eundem faciat ſalutari. Accidit autem præter ordinem & conſuetudinem Regum Perſarum, ſi horum quiſpiam alicui Legato oretenus & in perſona propria immediatè loquatur: poteſtque Legatus hujuſcemodi nihil non boni & grati ominari, omneque indè benevolentiæ Regiæ judicium ſumere; prouti hac ſingulari gratiâ extra omnem ſpem potitus eſt Reverendiſſimus Pater Piſcopus Ordinis Prædicatorum, cum primam ſortiretur audientiam coram Rege.

Itaque tenens ex brachio dextro Legatum Mareſchallus

rursùm

(a) 1.*part. Perſid. edit. Venet. pag.* 46.

rursùm deducit ad locum, & ſedem ei deſignatam ac competentem, quæ eſt poſt primum Miniſtrum aut primum Satrapam, ſecundum, tertium, aut omnes ſex Satrapas, juxta conditionem ſuam. Sedent autem & in Perſarum Aula Legati more illius patriæ, complicatis pedibus, uti Perſæ prandio vel cœnæ accumbunt. Excipiuntur ab hoc ſedendi modo Europæi legati; quibus more Patriæ ſuæ ſedere conceſſum eſt, in parvis ſaltem ſellulis. Quod quidem privilegium eis conceſſit magnus Habas, motus lepido quodam, & curioſitatis causâ hic recenſendo facto.

Contigerat enim, Europæum quendam Legatum, cùm Regis menſæ aſſediſſet, non potuiſſe Perſarum ſedendi modum continuare: unde coactus ſuos ad medium menſæ extenderat pedes: de quo cum Rex maximè admiratus interrogari curâſſet, & cur indecentem hunc actum committendo in confuſionem ſtaret Europæis, cæteroquin humanioribus? Reſpondit Legatus, ſcire ſe equidem, quid modeſtiæ & humanitatis in menſa Regia requireretur; fulciri ſe tamen Europæorum adagio, quo dicunt; *neceſſitas non habet legem:* quod & congruum rationis dictamini putet, atque ab omni etiam ſapientiſſimo Perſa admittendum. Coactum ergò ſe eſſe, & non temeritate ductum, ut pedes extenderet, quippè quos ità complicatos geſtare & humo inſidere ad longum tempus, ſibi non tantùm grave, ſed & impoſſibile ſenſiſſet. Juſſerat ergo ille Rex prudentiſſimus afferri ei ſellam, ut commodiùs pro ſuo modo ſederet: quo & à tempore Europæis in ſella reſidere conceditur. Undè liqueat Amico Lectori, Perſarum Reges ſolere Legatos nedum ad audientiam, ſed & menſam ſuam comprimis Europæos admittere. Quod idem & alij Magnates exteris Legatis poſt datam à Rege audientiam in teſtimonium urbanitatis & humanitatis ſuæ præſtare ſolent.

Solent tandem Perſæ Legatos omnes, cujuſcunque Regionis aut Religionis, omni benevolentia pertractare, omneſque gratias & humanitatis officia ijſdem abundanter exhibere, in quibus cœteræ Nationes magis parcæ ſunt. Idque non ſolùm

pro

pro tempore, quo Legati apud eos morantur in Aula Regia, ſed & omni in itinere univerſi dominij & diſtrictûs eorum. Porrò ut magis gratioſa hoſpitalitas & munificentia Perſarum erga Legatos benevolo innoteſcat Lectori, recentiſſimum quoddam, ſæpè forſan obiter auditum, nunquam verò enucleatim notificatum afferam exemplum de piæ memoriæ Reverendiſſimo Patre Piſcopo, qui ante paucos annos humaniſſimè ſuſceptus eſt ab hodierno Perſarum Rege Solimano tanquam Legatus Pontificis Romani: atque ab eodem Rege remiſſus ut Legatus ad eandem ſanctam Sedem.

Erat vir ille Neapolitanus ſanguine, doctrinâ famâque clariſſimus, & in Religione Sancta Prædicatorum emeritus, Miſſionarius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ zeloſiſſimus, ſcientiſſimus, ac prudentiſſimus. Hunc, cum magna dediſſet ſpecimina virtutis eximiæ in omni miniſterio ſuo, quocunque locorum qualicunque fungeretur officio, cum nonnullis Ordinis Prædicatorum Religioſis deputârat beatæ memoriæ Alexander Septimus, delegâratque tanquam Præfectum Miſſionis in Tartariam Præcopenſem. Ubi porrò Pater optimus accuſabatur à perfido quodam Græco Schiſmatico, quod explorator eſſet ab Europæis miſſus, unde captivus abductus eſt ad Chan Tartarorum: non niſi poſt annum à dura captivitate Barbarorum liberatus cum ſuis, ad inſtantiam Regis Polonorum Joannis Caſimiri, qui & eundem ſic liberatum, cum quodam internuntio ſuo rurſum remiſit ad memoratum Chan, quorundam negotiorum Regni ſui apud eundem petractandorum causâ. Peractis his feliciter, reverſus eſt vir optimus ad Regem præfatum, qui uti exigebat decentia, Regijs ſuis eundem litteris commendavit, remiſitque Romam: ubi ei ob merita ſibi comparata oblatus erat à Sancta Sede Epiſcopatus, quem tamen renuens humilis Religioſus Urbe ſeceſſit, & ad ſuum Conventum Sanitatis dictum Neapolim demigravit.

Noviſſimis porrò diebus gubernante Eccleſiam feliciter Clemente Decimo, etſi totus podagricus atque infirmus, in meritum tamen obedientiæ, ob urgentiſſima negocia, quibus pertractan-

tractandis unicus reputabatur idoneus, rursum dimissus est in Armeniam Majorem à Sancta Religione sua, ut Vicarius Generalis, Visitator, & Commissarius Provinciæ Catholicæ Naxivan, atque à Sancta Sede ut Missionarius, non sine singularibus facultatibus, privilegijs, & benedictionibus, quibus Missionarij hujusmodi extraordinarij frui solent: commissis insuper sibi litteris ad Patriarcham Armenorum Jacob, mandatoque, ut rarâ prudentiâ, discretâque virtute expiscari satageret illius intentionem, quantum imò posset, dirigeret erga Sanctam Sedem Apostolicam. Qualem porrò vir hic laudatissimus ultra omnem spem uberrimum produxerit fructum memorato in Patriarcha, me quidem sedulò mediante, atque cooperante, indicatum supra in articulo de Armenia.

Sic igitur Vir optimus à sua Religione & Sede Sancta delegatus, per Turciam iter faciens, devenit tandem in Provinciam nostram Catholicam Naxivan, mense Decembris: quo & ego tunc temporis recenter adveneram, postquam nimirum Regiam Isfahan deserui, ut darem locum iræ & indignationi injustæ Regis, qui, ut supra memini, ad instantiam cujusdam perfidi amici mei, atque affinis, Christo renegati, adversum me mala moliebatur, ut equidem de fide Christi adulterarer, atque Machometi perfidiam amplecterer: quod DEUS Ter Optimus gratiâ suâ impedire dignatus est, volensque me forsan ad ulteriora servare sibi, liberavit de manibus inimicorum, & de omni expectatione plebis Machometanæ. Eram ergo sub id temporis adventûs memorati Patris Piscopi degens in oppido principali illius provinciæ Naxivan, quod Abaraner dicitur, cum felicis recordationis Reverendissimo Domino Matthæo, dictæ Provinciæ Archiepiscopo, ubi unâ præstolabamur adventum duorum Reverendorum Patrum Ord. Præd. P. Azariæ, & Patris Antonij Nazarij (qui successit in locum Patris Gregorij) quos miseramus cum regis licentiâ, ut deferrent litteras quasdam Regias ad Pontificem Romanorum, Romanorumque Imperatorem, & nonnullos Principes Christianos. Tertius enim annus evoluebatur, quo expediti â nobis discesserant: ut proindè avidissimi,

dissimi, & D. Archiepiscopus, & ego super eorum adventu speraremus, audituri responsionem Principum, de quorum favore nostra expedire negotia, pro Christianitate illius Provinciæ, nullis non votis cupiveramus. Sed & aula Regia eos præstolabatur, quatenus horum relatione dirigere se posset circa belli consilium, quod contra Turcas assumere moliebantur: tametsi his adventantibus Patribus nihil responsionis aptæ pro scopo suo obtinuerint; de quo hic mihi nihil dicendum. Advenerat igitur P. Piscopus, ad quem sequenti die Reverendissimus Archiepiscopus, & ego accessimus, de felici ejus adventu congratulaturi

Qui porrò præmissâ nobis veneratione cautè loquebatur cum Archiepiscopo, & singulariter perpauca mecum, ratus infidelem me esse Persam, quem antea personaliter non noverat. Quamvis famam mei, notitiamque ex aliorum dictis habuerit. Undè & ex Archiepiscopo sciscitabatur de me, annè adhuc multùm Regiam inhabitem, aulamve frequentem? quomodo item, & quando posset litteras ad me dirigere? Cum illico Archiepiscopus subridens, digito me eidem monstraverat, asserens: Dominus hic, utpotè recenter ad nos ex aula veniens, in hunc finem poterit suadere, consiliumque dare. Statim ergo per interpretem suum, memoratus P. Piscopus mecum loqui voluit, & ignorans mei inquisivit, num notitia mihì sit de quodam Petro Bedick? Iterum autem subjunxit Archiepiscopus: nullo opus esse interprete, quod is, cum quo loqueretur, aliqualis sit intelligentiæ in idiomate italico: quo & delitiosè conversabamur aliquanto tempore, donec Pater optimus mei notitiam obtineret. Postquam autem me nosset, indicavit optare se, convenire me secretiori in conclavi: prout & fecit sequenti die in Ecclesia S. Georgij, in oppido Saltagh, quod per unum distat milliare italicum ab Abaraner, ibi postquam obtulisset Deo missæ sacrificium, conveniens me gratias agebat Deo, quod sperare nunc posset perfecturum se ea, quæ sibi tum â sua Religione sancta, tum â sede Apostolica haberet commissa; cùm nempè personam obtinuisset meam actu his in partibus, quam non sperâsset exi-

ſtentem, â quo & inſtructionem capere poſſit, tùm praxis, tùm Theoriæ ad converſationem cum populo alieno, & cui aliàs commoratus non eſſet. Sed & hæc atque ſimilia prima occaſione ſibi data de perſona mea ſcripſerat Romam ad Reverendiſſimum Patrem ſuum Generalem Roccoberti, Sacramque congregationem de propaganda. Ego porro debitâ Chriſtianâ humilitate & modeſtiâ reſpondebam; plus eum de me vel fama audiſſe, vel propriâ opinione concepiſſe, quam in me ſit: qui tamen Duce Deo Omnipotente, quantum potuerim, cooperari eidem velim, ut omnia quæ pro Dei honore intendit, & forſan plura, datâ qualibet poſſibiltate, ſuccedant in partibus his, tùm apud Catholicos noſtros, cum quibus principaliter agere deberet, tùm etiam apud ſchiſmaticos & infideles, aulamque Regiam, ſi neceſſe fuerit: prout & ſucceſſu temporis id præſtatne non intermiſſeram, ut ex infradicendis patebit. Nec enim (inquiebam ei) alium in finem, Pater optime, abſumo dies juventutis meæ tot in amaris peregrinationibus, quibus veluti continuè aberro Armeniam paſſim atque Perſidem, nil cunctatus quod inter pericula, contradictiones, inſultuſque tùm infidelium, tùm ſchiſmaticorum, Amicorum imò & Conſanguineorum meorum, Genitricis vel maximè, vix tutus evadere poſſim. Hæc enim, uti ſatis notum eſt in hiſce partibus, ex quo audivit me eſſe jam in Perſide, dum ipſa commoraretur ſub Imperio Turcarum, nullo non modo ſollicitaverat mentem meam, maternos multis precibus intexens affectus, ut hunc meum vivendi modum pronus abijcerem, & ſepoſito cælibatû, cum unicus reſtarem, familiæ Bedick curarem propagationem, ſtatumque matrimonialem arriperem, ſi non apud ſe ob tyrannidem Turcarum ſaltem, in Perſide apud conſanguineos. Plurimis ſe hunc in finem fatigabat litteris, excogitans diverſiſſimos modos, quibus hæ ſecurius ad manus meas devenirent. Quin & alias litteras miſit præcipuè nominato Principi Armenorum Perſidis mihi affini; & Chriſto renegato, de quo ſupra: cui inſuper per fideles internuntios, haud exiguos ſumptus & depoſita, me neſciente deferri fecit ut is omninò mutaret mentem meam, & vivendi modum, nec parcat poſ-

ſibili,

ſibili medio aut ſumptui, curæ ſeu induſtriæ. Is porrò, antequam etiam fidem abnegaret, trium annorum ſpatio, in quodam ſumptuoſiſſimo ſuo palatio, me honorificentiſſimè ut hoſpitem habuit, atque ut Amicum benevolentiſſimè pertractavit, nec non ab omnibus ſuis magno honore affici fecit, quamdiu eſſem in Regia Isfahan ob ſanctum illum finem, quem exequi tunc ſperabam cum illo, nempè unionem Armenorum Isfahan cum Dei Eccleſia: illo tamen poſtmodùm cæcutiente & Machometanæ perfidiæ adhærente, ut ſupra dixi, fuit interruptus. Hoc inquam in Tempore homo ille nullis non modis ſollicitaverat me ad id, quod per ipſum Mater intenderat: nec tantùm per ſe id agebat verſutus, ſed etiam per Religioſos & Epiſcopos Armenos, imo & per noſtros Patres qui ſunt in Isfahan: ſingulariter autem per plures Perſarum Magnates, per quos mihi promitti fecit, procuraturum ſe quantociùs, ſi ſuæ adhæream intentioni, ut deferantur ex Turcia, non ſolùm omnia mobilia materna usque in Isfahan, quibus pro ſtatu conjugali ut neceſſarijs, tanquam quidem legitimus & unicus hæres perfruerer, ſed etiam velle me authenticis ſcriptis & de Regis teſtimonio, ſuorum, qui penè innumeri ſunt, theſaurorum conſtituere hæredem unicum; cum nulla prole beatus eſſet, tametſi diebus jam ſat maturus. Quod quidem verum eſt: ego verò de ſubſtantia nec ejus, neque Matris adoptavi. Si enim hic corpore moriatur (cum in anima mortuus jam ſit) omnium bonorum ſuorum Regem fieri Hæredem pati debebit, poteritquè objici illi, ſicut & ſæpius ipſi per litteras objeci: *ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti cujus erunt?* atque illud. *Quid prodeſt homini ſi mundum univerſum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur.* Nec ego fucatis perſuaſionibus & promiſſionibus, tametſi efficaciſſimè mihi factis, â ſano ſenſu aberrabam, fortiter & ſuaviter adjutus divinâ gratia, confidenſque in benedictione maternâ ſanctæ atque Univerſalis Chriſti fidelium Matris Eccleſiæ Romanæ, ac interceſſione Sanctorum: quâ fiduciâ fultus has, & ſimiles occaſiones perſecutionum, & blandimentorum

debita cum generositate superavi, altiora sperans à Domino Deo, in quem credo firmiter sancta fide Catholica Romana. Hæc igitur, & similia de me in Perside, quæ occasionaliter tibi dixi, me aliunde melius nota esse possunt, maximè à prefato D. Archiepiscopo nostro.

Hic enim audiens me in talibus circumstantijs, atque periculis veluti ovem unicam inter lupos trepidare, tanquam zelossus Pastor & Pater, omnibus Religiosis, & sæcularibus Catholicis Provinciæ nostræ sedulò injunxit, ut unanimiter pro me DEUM Omnipotentem deprecarentur, mihique ab eo solidam in sancta fide Catholica obtinerent confirmationem, & liberationem ex talibus diaboli, carnis, & mundi laqueis: prout & mihi utique ex intercessione fidelium pro me orantium Deus Omnipotens pro sua bonitate concessit, ut securus evaserim, illudque nunc dicere ausim. (*a*) *Laquens contritus est & nos liberati sumus.* Non alia ergò de causa scias me taliter Peregrinum vivere, nisi ut quantum possum, opere correspondeam obligationi meæ, qua Deo Creatori & Salvarori meo adstrictus sum, sicut & sanctæ Matri Ecclesiæ Romanæ, quæ me ad maternum gremium suum ex pueritia, quasi miraculosè assumpsit, atque in pientissimo sinu per plures annos educavit, multisque benedictionibus, ac gratijs singularissimis, quà animi quà corporis dotavit, & locupletavit absque meritis meis. Hoc multiplicis obligationis titulo eveniunt ea, quæ feci, facio, atq; faciam ad usque etiam sanguinis profusionem. Nec deero siquo casu Paternitati tuæ ad manus esse possim, pro Dei gloria, sanctæque Ecclesiæ suæ exaltatione, in partibus his peregrinis, si modò discretio bonitasque tua & indoles virtuosissima me dignata fuerit habere cooperatorem: quem & in finem unâ cum religiosis tuis, mei in sacris precibus & sacrificijs feceris recordationem. Similibus ergo præfata in Ecclesia colloquebamur & paratum animum in mutuos labores explicabamus, nullo non exorto solatio in corde memorati Patris, qui non modicam sortiretur indè satisfactionem spei suæ, quam optimè de me conceperat; quæ ut pariter ultra non frustraretur,

sedulè

(a) *Psalm.* 123. *v.* 7.

ſedulè uterque ac zeloſi, & indefeſſi manus poſuimus ad aratrum.

Itaque elapſis paucis diebus, convocari fecimus omnes Seniores Religioſos Provinciæ, ut convenirent in oppido Arabaner. Quorum & in præſentia publicè in Eccleſia prælectæ ſunt patentes Patris, quibus omnes unanimiter debitum præſtitêre aſſenſum, veneratique ſunt voluntatem ſupremam ſuperiorum Religionis ſuæ. Cœterum diabolus, cùm ſit boni communis inimicus, non diſtulit per imprudentes aliquos ſæculares, imò & Religioſos ſeminare odium atque zizania illa in Provincia, poſt adventum Patris hujus peroptimi; maximéque invertere ſtuduit animum ſupramemorati Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Matthæi. Hic enim ante adventum dicti Patris Piſcopi, poſſidebat Dominium totale, & abſolutum quaſi, nedum ſuper gregem ſuum & populum, quin & ſuper omnes conventus & Religioſos Provinciæ, per ſingularem commiſſionem ſibi datam â piæ memoriæ Ordinis ſui Prædicatorij Generali Joanne Baptiſta de Marinis. Cùm verò præfatus Pater Piſcopus acceſſiſſet, deferens commiſſionem longè ſolenniorem à Reverendiſſimo P. Roccoberti ſui temporis Generali, limitabatur authoritas Archiepiſcopi. Quod, ut dixi, ad inſtigationem quorundam imprudentium nonnullas cauſaverat tergiverſationes, memoratumque Reverendiſſimum Dominum Matthæum rei cauſam ægrè ferre contigit; ut proindè multa jam orirentur factiones in Provincia; quibus formidari poterat, totaliter perturbandum & invertendum eſſe finem ſanctum, quem P. Piſcopus per tam longinquum iter, & incom̃oditates zeloſiſſimè proſequi ſtuduerat, indeque & fruſtrandam omnem expectationem Superiorum, qui non niſi uberes fructus ex ſudore memorati Patris ſecuriſſimi præſtolabantur. Erat enim Archiepiſcopus aliundè ſat potens in partibus illis, multique nominis, atque authoritatis tùm apud Catholicos, tùm apud ſchiſmaticos & infideles. Reſciverat porro brevi tempore ſtratagemata diabolica prudentiſſimus P. Piſcopus, quæ paſſim jam machinarentur; magnoque cum mœrore, atque tremore mihi deſuper conqueſtus eſt. Ego verò eundem

dem

dem consolatus, Dei favorem, & sanctæ Ecclesiæ benedictionem allegabam; nihil proindè periculi fore, curaturumque me sedare omnia iniquitatis consilia in animo Domini Archiepiscopi, quippè quod hic cœteroquin vir esset pacificus, modestus, mihique familiarissimus. Undè & post dies aliquot eundem Reverendissimum Dominum conveneram, conferens cum illo quæ justè & rationabiliter in illis rerum circumstantijs conferenda erant; animumque Archipræsulis per Dei gratiam eò disposui, ut totaliter omnino desereret consilia ea, quæ conceperat per fucatas & passionatas aliorum imprudenter insultantium rationes. Qui porrò & posteris temporibus inceperat nullis non modis sincerè diligere, atque honorare Patrem Piscopum, ex quo magna nostrorum Catholicorum consolatio, & multa schismaticorum atque infidelium ædificatio exorta. Tali imò afficiebatur Archiepiscopus animo ad memoratum sapientissimum P. Piscopum, ut post aliquos menses, cùm ipse Archiepiscopus ob urgentia negotia in patrocinium gregis sui pertractanda ire cogeretur ad aulam Regis in Gazwin, non alium, quam memoratum P. Piscopum reliquerit Vicarum, & suæ Præsidem sedis Archiepiscopalis. Quam & memoratus Pater, faventibus superis, & me consilijs cooperante omni cum laude & satisfactione Catholicorum schismaticorum & infidelium administravit imò & erexit, non solùm donec Archiepiscopus in Gazwin viveret, sed & dùm ibidem mortuus esset, posuissetque ut Pastor Evangelicus animam suam pro ovibus suis. Elapso porro anno, ex quo P. Piscopus venisset in Provinciam, rediêre pariter expectati illi duo Patres cum responsorijs ex Europa, quos jam enixè præstolabamur cum piæ memoriæ Archiepiscopo Matthæo tunc defuncto.

Hi pariter convenêre me sciscitantes, quid faciendum esset cum litteris Christianorum Principum, cum caput & superiorem in vivis non haberent, mortuusque esset ille (Archiepiscopus nempè) qui eos cum Regis litteris sibi consignatis ad Europam dimisisset. Quibus ego respondi, dignas Deo dandas esse laudes, quod sancta Mater Ecclesia Romana, sicut in alijs difficilioribus

casibus

ćasibus nos, populumque noſtrum non deſeruit Orphanos, per inſtinctum divini ſpiritus omnia prævidentis, & providè inſufflantis, ſic & hoc in caſu providè pro interim deſtinârit, tanquam dignum caput & ſuperiorem Catholicorum, Paſtoremque Chriſti ovium, memoratum pientiſſimum Religioſum, P. Piſcopum Neapolitanum. Huic ergò & illi, & Seniores Religionis Sanctæ, omnisque Catholicorum populus, concredendas ſentiant litteras illas, atque per eum ad aulam Regis deferendas. Quod quidem ego commodiùs(ajebam)diſpoſuero,ſi deſideretis ad juvare populum veſtrum afflictum. Conſilium meum tametſi in ſe proficuum, prima tamen fronte videbatur durum Patribus dictis, ex multiplici quidem capite. Primò, quod nulla in litteris ſibi commiſſis haberetur mentio de nomine hujus Patris. Secundò innotuit omnibus (inquiebant) penè Principibus & circumvicinis inimicis noſtris, qualiter jam annus elapſus ſit, ex quo Pater iſte noſtras devenerit in partes, cum alio quidem caractere & fine. Qui porrò ubi nobiſcum cum litteris acceſſerit aulam, videbimur quaſi illuſores, & deceptores deridere eam, atque ita nos noſtrumque populum periculo exponemus, & infallibili Regis indignationi. Hac ergo conditione cum memorato Patre ad aulam Regiam non; expedit ire, niſi ſaltem tecum; ut ad me inquiebant: allegantes, qualiter ego, dum piæ memoriæ Archiepiſcopus eorum recenter defunctus veniſſet ex Roma cum litteris Clementis Noni ad iſtum Regem,ego pariter eſſem cum illo in itinere, atque intimus quidem illius; qualiter item, dùm expedirentur litteræ Regis ad reſponſionem illarum, quo modo, tempore vel occaſſione, id ipſum commodius fieri deberet, ego Archiepiſopo notum fecerim, imò & eas ijſdem nomine Regis, cum præfato D.Archiepiſcopo, conſignârimus. Ergo non cum omninò alieno hoc patre, qui & nullius eſt de Regis aula notitiæ, negotium litterarum aſſumere condecet, ſed per te utpotè conſcium omnis negotij pertractandi. Ego verò his eorum dubitandi rationibus rurſum objeci. Putatis ne eſſe me Amicum veſtrum, & pro bono Chriſtianitatis zelatorem? Cumque id promiſiſſent. Facite igitur, inquiebam,

bam, quod vobis consilio præstiti, neque est cogitandum de me hac in circumstantia & vice, qua in promptu est præclarissimus vir iste Europœus, & vicesgerens etiam vestri Archiepiscopi, qui & juxta innatam sibi prudentiam & virtutem procuraturus est, quod expeditionis est litterarum â vobis delatarum; me interim hic cooperante. Non enim est, dùm vobiscum ire recuso, quod fugiam laborem, aut honorem, sed quod respiciam hac in circumstantia majus bonum Christianitati emersurum. Etenim ubi vos iveritis cum memorato Patre in aulam Regiam, ego hic in Provincia vigilare potero, ne Principes circumvicini, & singulariter ipse Princeps Naxivan seducat mentem simplicis populi nostri; proindè & supplicationem expediat ad aulam Regis in favorem illius, adversum verò vos: & me obtestetur, atque ita Provincia tota rursùm cadat sub manus Tyranni illius, nullâ illi quà virtute, quà prece eripienda. Sed & notum habeo gratum fore Persis, nec minùs vobis utile, atque conducens, quod cum diversis litteris accedat ad eorum aulam Europœus quidam, tantis bonæ mentis qualitatibus præditus, omnique prudentia & discretione refertissimus, vir præsentia senioque spectabilis. Superare me posse confido favente DEO, quas metuitis vobis occursuras in aula difficultates: Vos tantundem sincerè estote dispositi, fideliterque cum eo conversemini, agnoscentes eum ut legitimum pro nunc superiorem vestrum, non solùm in his, in quibus jam ex jure est, sed & in hac comprimis Legatione. Cœterùm cum res Provinciæ Vestræ, per hujus viri negotiationem aliqualiter melius se habuerint, quod nullus non spero; tunc equidem cœlo propitio tentabo unacum illo reverti in Europam, inibique conditionem vestram potissimum Romanorum summo Pontifici & Imperatori Augustissimo, cui semper devotissimè servire intendi, exponere.

Tandem verò resolvêre se, patres memorati, promisereque præstituros juxta meum consilium: quos & disposui, ut die Dominica futura ante sacrum cantatum cum senioribus Religionis & populi venirent ad memoratum P. Piscopum, illiusque litteras deferrent, rogantes, ut hoc oneris genus pro Christiani-

ſtianitatis bono benevolus in ſe ſuſcipiat, atque in aula Regis negotia pertractanda aggredi non gravetur. Cùm & interim dictum Patrem diſpoſueram, in his in quibus aliquali opus eſſet diſpoſitione, quod pariter ipſe quaſdam ſuas allegaret difficultates, & ſcrupulos magis Religioſæ conſcientiæ: quos ei ſaniori conſilio excuſſi, atque ad negotium tantum pro Dei gloria & Eccleſiæ ſanctæ honore, utilitateque afflictæ Chriſtianitis obeundum perſuaſi. Undè & acceptavit benevolus litteras, & prono deferentium affectui reciprocâ ſeſe obtulit charitate, operaturumque promiſit, quantum pro poſſe atque virtute ſua valverit. Facta ſic acceptatione omnique negotij tanti confirmatione ſecuriore, ſolenniter miſſa decantabatur in Eccleſia Abaraner: quâ peractâ eos qui congregati erant in eodem conventu, ſolenni prandio tractavi, honorem Dei, ſanctæ Eccleſiæ Romanæ fidem, & fidelium omnium conſolationem potiſſimùm inculcans. Patratæ ſunt lætitiæ in ſeram noctem, præcipuè à quibusdam Regis miniſtris Amicis meis, quos de induſtria, ut convivio & converſationi noſtrorum intereſſent, citatos feci; qui & aliqualiter mero calefacti ſæpiuſculè propinaverant Europæo modo Patri Piſcopo detectis, etiam capitibus & ſignantes ſe Crucis ſigno, in ſalutem Pontificis Romani & Romanorum Imperatoris; imo & dicentes: faxit Deus, ut illi ex Occidente, & nos ex Oriente debellemus tandem communem Hoſtem noſtrum, univerſamque abjectam Turcarum gentem, atque ita magis convicini facilius forſan & fide jungamur. Optimus autem P. Piſcopus, cum non eſſet aſſuefactus hilari atque affabili diſcurſui & Policiæ Perſarum, ſummè admirabatur, & nonnullâ lætitiâ contentus aſſidebat.

Poſt duos ergò dies illico cum diverſis litteris Curſorem expedivi pedeſtrem ad diverſos amicos quà Chriſtianos quà fideles, qui cum aula Regia erant in Gazwin, maximè ad primum miniſtrum Sciech Hali Chan, de quo alibi dixi: ut his notum prævië eſſet, qualiter jam duo Patres, quos dimiſeramus cum Domino Archiepiſcopo Matthæo, deportantes litteras Regis ad Europam, defactò ſint apud me cum Reſponſorijs ſuis,

cumque non ſit in vivis Kaliſa ſcilicet Matthæus Archiepiſcopus, ſed ejus vices obeat Pater quidam Europæus ex Roma ſpecialiter miſſus ad has partes propter negotia hujus Provinciæ, vir & ſanguine & fama doctrinæ præclariſſimus, omnique prudentia apud Romanos æſtimatiſſimus ; is utique ad Regis aulam eaſdem reſponſorias deferre poterit, illique omne, quod Aula fors cum Romanis intendit communicari: prout & hunc in finem litteræ eidem ab illis Patribus me mediante jam ſint conſignatæ. Placeat proindè Regi & Sciach Hali Kan, ut memorati Patres ſaltim ad ſolennitatem Novruz Aulam accedere auſint, & Regia limina venerari. Id quod pluribus rationibus valdè inculcavi amicis, quatenus procurarent ingreſſum hujus Patris ad aulam, utpotè valde neceſſarium in hac occaſione & circumſtantia, ſicut & per Dei gratiam poſt quinquaginta dies ſortitus ſum nuntium deſideratum, ut accederet ad Aulam Regis Piſcopus tanquam Legatus Pontificis: hac tamen conditione, ne forſan ſit mercator, aut alicujus alterius impertinentis ad hoc munus conditionis, quodque non fuerit temere, aut illegitimè ſubſtitutus illi Kaliſa, nempe Matthæo Archiepiſcopo defuncto. Cui quidem Perſarum dubio ſub pœna criminis leſæ Maſtatis Regiæ ſecuritatem præſtitit Dominus Azarias Avac zeloſiſſimus Catholicus noſter in Perſide de quo in præcendenti articulo mentionem fecimus, qui & tunc temporis aulæ intererat ob propria negotia diſtrictus ſui & dominij, quod habet prope civitatem Eravan, multoſque ſuper eo ſuſtinet æmulatores.

Habito porrò deſideratiſſimo nuntio, & diſpoſitis pro itinere diſponendis, poſt quindecim dies cum illis duobus Religioſis, & alijs tribus honoratoque ſæcularium comitatu diſceſſit P. Piſcopus ex Provincia Naxivan ad Gazwin, idque in die valdè notabili nempè, Purificationis Dominæ noſtræ feſto, quo ipſe in Eccleſia Abaraner ſolenne cantârat ſacrum, & benedictas populo diſtribuerat candelas, paternèque & affectuosè exhortatus erat Catholicos, ſperarent quantotiùs firmiter in divino auxilio ſanctæque Matris Eccleſiæ Romanæ benedictione, & orarent ſeduli pro ſanctiſſimo Pontifice, Romanorum Imperatore, alijſque

Prin-

Principibus Christianis Europœis, quorum & solatio atque protectione, tametsi inter infideles etiam existant, minimè sint destituendi, uti ex ipsismet, quas nunc ad Regem delaturus esset, litteris contestatutum habeant. Sic ergo valedicens, seque suosque socios precibus devotissimis omnium recommendans Ecclesiâ exivit.

Qualis verò tunc consolatio, quantáque ex omni populo utriusque sexûs undique congregato, proindè & numerosissima exorta, sit vix calamus describet. Tripudiantes enim manus elevabant in Cœlum, paudebant, suspirabant, optabant, & precabantur altâ voce inclamantes ad Deum cœli, ut is divina bonitate sua benignissimè dignetur retribuere Pontifici Romano Patri summo ac Pastori suo, sicut & Augustissimo Romanorum Imperatori Cœterisque Principibus Christianis, qui dignarentur eos tanquam infima & infirma Ecclesiæ Dei membra in tantum fovere, atque protegere brachio suo potentissimo apud infideles, prout & modo dignati sint. Neque minori Jubilo felix iter apprecabantur discedenti Patri Piscopo, & comitatui suo, id mille votis exoptantes, ut quidpiam pro omnium Catholicorum solamine sanctæque fidei Catholicæ defensione præstent & exequantur.

Sumpto dein modico jejentaculo cum suis iter suscepit, quem & ego multo Amicorum fidelium, imò etiam infidelium numero stipatus, cum omni splendore comitabar per septem milliaria Germanica usque ad Araxim fluvium, ubi tandem invicem valedixeramus: egoque id ipsi privatim adhuc singulariter inculcaram, ut omnia, quæ succederent, vel de suis, vel de aliorum negotijs in itinere pariter & Aula, ad amussim notaret, & per frequentes Cursores pedestres, qui in Perside inveniuntur plurimi, velocissimi & fidelissimi, certiora faceret: prout & hunc in finem hujuscemodi jam duos constitueram Cursores qui alternatim irent redirentque, haberemusque semper ego de ipso, atque ipse de me aliquid novi & certi: sicut & per Dei gratiam observavimus. Porrò ne ultrò me detineam singillatim narrando omnia, quæ acciderant hoc in itinere memorato pru-

dentissimo Patri Piscopo honoris & humanitatis officia, ad quæ Deus omnis boni Author cooperatus est, utque taceam mærores pariter multos atque sinistras opiniones, quarum utcunque Dœmon inventos atque faber, quibusque donec haberet audientiam, nonnunquam vexatus est, breviter omnia promam ex ipsomet Patris delegati calamo, prouti in primis litteris ex Gazwin ad me datis & singulariter inter cœteras â me observatis recensuit: sic enim se habent.

Al Nobilissimo Armeno Persiano Padrone Osservandissimo Signor Pietro Bedik

Carissimo in Christo.

PEr la Dio gratia sono giunto con compagni in bona salute in Gasbin alli 9. del presente (qui erat Martij,) e alli 12. fussimo introdotti con ogni honore alla presenza del Rè restando al suo pranso, avanti del quale richiamato di novo in sua presenza con faccia allegra mi domandò come stava il Papa, & altro in presenza di tutta la Corte grande, e speramo di far qualche cosa di bene per questi nostri Catolici, se Dio ci concederà pace frà di noi, mentre che il Demonio fà l'officio suo essendo stato Profeta prima di partire, mentre, che hò cresciuto il serpe nella manica, come si suol dire per proverbio, sapienti pauca &c. Sin hoggidì non s'è potuto negotiare cosa alcuna stante nel lutto, che si ritrovano questi per gli loro antecessori, che finirà Domenica (de quo funere Persarum nos alibi diximus.) Speriamo per alcune congetture esser breve di ritorno à Dio piacendo. Favorisca, se saranno nostre lettere d'Italia, conservarle appresso di se, e non inviarle. interim augurandogli felicissime,

come

come anco à tutti i Catolici noſtri, queſte ſante Feſte di Paſqua, pregando il Signor Dio benedetto, che gli dia vera conſolatione, eſortando tutti à pregar Sua Divina Maeſtà per le mie infirmità così ſpirituali, come corporali, come anco prego VS. inſieme con Frà Raimondo. Da Gasbin 22. di Marzo 1675.

Di VS.

Devotiſſimo in Chriſto
Frà Franceſco Piſcopo.

Indè colliget Lector Amicus atque Prudens, qualiter Deus proſequens vota ſuorum, pijſque Catholicorum Provinciæ illius precibus annuens ſingulari proſperitate beaverit præfatum Patrem, ut adeò citò tam ſuperbi Monarchæ ſortiretur aſpectus humaniſſimâque ab eo audientiâ ſuſciperetur: quod equidem, quippè inſolitum omninò Perſis, magnam tùm in Aula, tùm apud cœteros cauſarat admirationem, inſimul & magnam venerationem memorato Patri & ſuis. Dæmon autem boni omnis oſor, quale & notabile prævideret cauſandum per Patrem præfatum, invidiâ tentârat, aut vituperabilis cujuſdam actionis ſuſpicione perturbare mentem cujuſdam ſociorum, ſuſcitareque tantam diſplicentiam & diſcordiam, inter eos; ut mihi multùm condolenter dictus Pater Piſcopus de ea conquereretur: eamque Romæ auditam eſſe non ſine magnâ ſuperiorum diſplicentiâ intellexi. Dum vero altiora erant Dei, quàm Diaboli conſilia, curavimus uterque, quantum in nobis erat, quàm cito diſcordiam illam ſilentio ſopiri, expedivique illico Curſorem ſingularem cum requiſitis ad hoc litteris, ſed & duos principales Catholicos noſtros cum quodam ejuſdem Ordinis Prædicatorum Religioſo, hortans eos ſedulò, ut omninò ſcandaloſæ diſſenſioni finis imponeretur, obſerveturque loci & hominum, apud quos degerent, circumſtantia, prout & ponderari, quod durante tantæ rei negotio hujuſcemodi machinamenta non niſi â Dæmone ſubminiſtrentur,

tur., cujus intentio esset, salutarem bene cœpti operis machinam invertere. Factum ergò, quod non, Dæmon sed Deus intenderat. Pacificè namque socij convenientes, tum inter se, tùm bum P. Piscopo, modestiâ erant intuentibus ædificationi, prout eis dùm in Provincia adhuc existerent, sedulò inculcabam, & charitate mutuâ sibi invicem in solamen, prout inter infideles ordo quà prudentiæ quà pietatis exigebat. Indè & successum suum obtinuêre emolumenta multæ considerationis pro nostris, quæ hic amico lectori breviter censui edicenda.

Diximus articulo superiori, Catholicam hanc nostram Provinciam Naxivan antè aliquot annos in gratiam Pontificis Romani factam Chas, id est specialiter & imediatè subjectam Regi, immunem vero ab alterius cujuscunque peculiaris Principis Jurisdictione, qualiter olim non erat. Undè subditi hujus Provinciæ hoc gaudent beneficio, ut ex suis habeant Principales in dominio directores, ipsique inter se tributa & jura Regis annua exigant atque congregent, deferantque ad Aulam, & consignent primo Regis Thesaurario juxta terminum diesque sibi præscriptos, post solennitatem Nouruz quod quidem ita infallibiliter præstare tenentur, ut ni præstent, incurrant pœnam Dinare du dinar: id est quod pro uno tributi quanto, hoc v. g. anno non persoluto, sequenti penes ordinarium dare teneantur aliud. Rigorosa porrò conditione hac uti solent Politici Persarum, ne ijs quos sibi tamen subditos aliqualiter volunt, videantur omninò laxasse habenas, & plenariè eosdem gratuitâ immunitate libertati transcripsisse, unde beneficiorum abusus, derogatio Jurium Regiorum, aliaque inconvenientia non raró contingere possunt. Sicut & contigit antecedentibus temporibus, quod Catholici nostri hujus Provinciæ, vel per ignorantiam, vel per desidiam, à sex annis continuis Regi tributum parte pendere omiserint; unde justè incurrerant præfatam pœnam, atque ex jure legis illius obnoxij erant persolvere mille quingentos Tuman, qui numus juxta monetam Europæorum continet sexdecim Imperiales. Quod & indicatum à Ministris ad colligenda tributa & jura regia deputatis primo Regis thesaura-

saura-

ſaurario Nomine Aga kafur, nigro cuidam Æthyopi Eunucho de quo alibi mentionem fecimus: qui porrò juxta obligationem muneris ſui, magnumque obſequij ſui zelum, quo inceſſanter diu noctuque juribus boniſque Regijs invigilat, curavit omninò Commiſſarios expediri cum decreto Regio, ut conſiderabilem hanc pecuniarum quantitatem illicò à memorata Provincia exigerent. Cœterùm ut prudentiſſimus Æthyops diſcretè & humaniter in hoc procederet cum Catholicis, & Romani gratiam Pontificis aliquomodo obſervare videretur, noluit tale decretum fieri, tenore cujus ſimul & ſemel omnis pecuniæ ſumma exigeretur unde irreparabilis oritura fuiſſet perditio pauperculorum Catholicorum, ſed ut miſſis ſucceſſivè commiſſarijs per decurſum unius anni perſolvere tenerentur. Poſtquam ergo primus adveniſſet Commiſſarius notificans cauſam ſuam & Regis decretum, ac exigens quadraginta Tuman, idque in oppido Chirna ubi & me invenit, & legendum mihi Regis decretum exhibuit; blandè eum & humiliter adhortabar, haberet tantiſper patientiæ quiddam cum populo, ſaltem per menſem unum, qui dein exactiſſimè juſtiſſimum Regis mandatum exequi conaturus ſit. Is autem tantum expectare ſe poſſe recuſabat, addens, quod poſt ſeptimanas aliquot venturus ſit Commiſſariorum alius, qui rurſum præſcriptam ſibi à Theſaurario Regis exacturus ſit quantitatem. Ego tamen per fas aut nefas curavi pauperculos hanc tributorum penſionem differre uſque quinquaginta dies, cujus decurſu temporis, adpromiſeram, reſponſurum me ſuper hac penſionis retardatione dicto Agakafur Theſaurario, qui tunc, utique DEI inſtinctu, ſpecialiter mihi per dictum primum Commiſſarium ſalutem indicârat, quamvis ipſum Commiſſarium non nôſſem, nempe unum ex Centurionibus Aulæ. Illâ ergo die ſubitò litteras expedivi, atque per duos noſtros Catholicos Reverendiſſimo Patri Piſcopo in Gazwin tranſmiſi, exhortatus eundem, ut omni modo curaret habere audientiam coram Rege, ſaltemve libello interveniret ſupplici, quo is exoratus in gratiam Pontificis Romani, & Romanorum Imperatoris, cœterorumque Principum Chriſtianorum condonet Provinciæ Catholicæ id, quod Theſaurarius Æthyops (tametſi ju-

ſtiſſimè

ſtiſſimè) per Commiſſarios exigi fecit. Scripſi & nonnullis in Aula amicis, ut hoc in paſſu adjuvarent Patrem quantum poſſibile foret, veritus, ne maxima contingat Catholicarum animarum perditio, ſicut olim contigerat tempore perfidi illius primi Perſarum Miniſtri de quo dictum articulo præcedenti.

Habito licet hoc urgentiſſimo & amariſſimo nuntio, Pater optimus audientiam tam ſubitò procurare ſibi nequivit: unde ſcripſerat libellum ſupplicem juxta formam quam ei in litteris indicaveram, italico quidem idiomate. Hunc porrò primo Regis miniſtro commiſit, qui volens contentum indagare, cum linguæ præfatæ neſcius eſſet, ſubridens ajebat, nec ſe, nec Regem ſuum hanc nôſſe linguam. Fortaſſis autem (inquiebat) Legatus volet indicare nobis ſingularis quidpiam conſiderationis per hanc linguam ſuam, quæ nobis ſecretior eſt. Unde illam ei cum uno ex ſuis intimis Miniſtris remiſit, ut hic in conclavi interpretaretur libellum ſupplicem juxta Perſicum idioma, ſicque interpretatum ſibi deferret, quem ocyùs Regi tradere vellet, prouti & fecit. Ubi porrò ſupplicationem primus Miniſter legiſſet: multum (inquit) bonus hic Legatus deſiderat, per quod juſtiſſimo Regis derogatur juri. Deferebat nihilominus eam ad manus Regis, narrans ei curioſitatis gratiâ, quomodò antecedenter miſiſſet Legatus ſupplicem in lingua Europæa: quod Regi maxime placuiſſe referunt, eundemque magnum zelum illius de bono ſuorum plurimùm laudaſſe. Juſſit ergo immediatè Rex acciri ſibi Theſaurarium Kafur, à quo & interrogârat; ecquidnam ipſe de Provincia Catholica exigeret, qui porrò reſponderat Jura ſe Regis exigere. Rex autem ſubjunxit. Tale econtra jus noſtrum in gratiam Romani Pontificis & Romanorum Imperatoris, aliorumque Principum Chriſtianorum, ad inſtantiam Legati Europæi non quærimus à populo Francho (ſic & appellant Catholicum) Tu ergo Jus hoc noſtrum ultra ne quæſieris ab eis, putans quod ex oceano noſtræ liberalitatis & abundantiæ bonorum ſola gutta exhauſta ſit.

Aliud inſuper de Regia ſua authoritate expediri decretum fecit ſuper condonatione ſummæ prædictæ; adjectâ quidem illâ

verbo-

verborum forma, quâ ad Thesaurarium suum locutus erat: quod & subitò expeditum est, atque originale illius traditum Provinciæ memoratæ. Obtinuit autem & hujus decreti copiam authenticam Reverendissimus P. Piscopus, quam secum Romam detulerat cum cæteris notabilibus. Neque exiguam causârat existimationem Persis de memorato Patre, quod tam felix & gratiosus fuerit in oculis Regis. Dic sodes Lector, num hujuscemodi generosa liberalitas non summâ laude sit celebranda de Principe quodam Christiano erga suos, taliter equidem in jura sua prævaricantes? & verò quantæ nunc laudis est in Monarcha superbissimo & infideli erga humiles sibi subditos Catholicos, tametsi etiam adversùs legem prævaricantes.

Ne porrò Commissarius in spatio quinquaginta dierum perperam advenisse videretur, atque otiosè in Provincia commorari, curavi, ut indies aliquid ea contribueret, donec aliquam ex aula sortiremur resolutionem. Atque evolutis jàm quidem diebus illis, en per Dei providentiam accedunt duo illi Catholici nostri cum aulico quodam ministro, favorabile illud & Clementissimum Decretum asportantes, cujus tenore non solùm Commissarius redire ad Regiam poterat, sed & omnia quæ â Provincia acceperat ad meam petitionem rependerat. Cœterùm ne imposterùm Provincia esset exposita periculo simili, atque subjecta pœnæ Dinaræ du dinar; curavi cum populo illius, ut darent quantocyùs unanimem consensum mediante me, Reverendissimo Patri Piscopo adhuc in aula existenti, quò una flagitabamus, ut is ibi procuraret, Provinciæ memoratæ protectionem committi supramemorato Himirze Hibrahim, de cujus affectu & benevolentia, quantum nobis constiterat, tantum & præsumpseramus. Habito autem tali consensu populi in scriptis, misi cursorem cum litteris meis & illius ad memoratum P. Piscopum; qui instanter & sedulò apud Regem egerat, ut Provincia esset sub cura memorati Vezirij, maneretque immunis ab illa pœna Dinaræ du dinar, securaque â frequenti insultu Principum circumvicinorum. Tanta porrò erat felicitas agendi memorati Patris, ut intentionis nostræ sortiretur finem, atque de regis gra-

tia benignissime concederetur, quod petebatur, statuto de hoc commodo omninò Christianis nostris decreto ad Vezirium memoratum, ipso adhuc P. Piscopo in aula existente. Authenticam hujus decreri copiam ipse Himirze Vezirius ex Residentia sua Taurez mihi misit per Mareschallum suum aulicum quemquam Giorgianum renegatum quidem, nomine Beh-Zad Begh, cum quo eam indicarem Provinciæ, illique eo præsente, Regis gratiam & Clementissimum animum declararem, quo in gratiam Romani Pontificis, Romanorum Imperatoris, & Principum Christianorum, ab omni adversitate eos protecturum se asseverabat. Huic porrò Vezirio in residentiâ suâ Taurez, dum eò usque obviam venissem, P. Piscopo ex Aula Persarum reduci, ego, & Pater memoratus non distulimus obsequia nostra deferre; unde & tunc unà visitavimus eum, ad debitas ei reddendum gratias de benevolentissimi animi sponsione, exorantes pariter, ut meliori quo posset modo, recommendatam sibi habeat pauperculam provinciam populumque afflictum, ne hæc imposterum sub tempore absentiæ nostræ pateretur. Ipse verò totali humanitate & munificentia tractavit nos, plura adpromittens se Christianis nostris præstiturum, quàm nos speraremus. Quamvis jam rursum in absentia nostra quædam orta sit nova tribulatio Provinciæ, cujus tamen origo mihi ignota; licet veritas tribulationis hujus mihi relata sit â duobus Patribus Ord: Præd: Religiosis, qui de illa erant Provincia, & nuper ex Roma abeuntes, Viennæ me accesserant, notificantes id, quod audierant de malo statu Provinciæ dictæ. Qui & Clementissimam obtinuêre eleemosynam de liberalitate ac munificentia Augustissimæ Majestatis Cæsareæ, revertentes tunc, Mense nempè Majo, Apostolico modo ad lares suos proprios, ne afflicta illa & desolata Christianitas pateretur fors penuriam sacerdotum. Ast ad scopum nostrum revertamur.

Cùm memoratus P. Piscopus omnia felicissimè in Gazbin cum suis per Dei gratiam peregisset, magni apud omnes Nominis inaudijt: ut & secunda vice ad Regis mensam invitaretur, cui quidem interesse debuerat Nepos magni illius Tamrazij olim poten-

potentiſſimi Principis Giorgianorum, & defenſoris Chriſtianæ fidei Zeloſiſſimi: qui acerrima geſſit bella cum Perſis tempore Regis Habas primi, potentiſſimos ſæpè hujus deſtruens exercitus, ut interfectorum etiam oſſa propè Giorgiam cumulatim adhuc hodiè videantur, acſi colles eſſent montium, quamvis tandem per inteſtina bella, quæ quidem excitaverat verſutia Habaſi, coactus fuerit reconcilare ſeſe cum Perſis, agnoſcereque illorum Regem ut ſuum Superiorem, ſalvâ tamen ſuâ, & ſuorum Chriſtiana Fide. Hujus ergo ex Filio Nepos, de quo nobis hic ſermo eſt, nomine Heraclius, mortuo parente Daut-Kan, unacum Matre confugit ad Moſcovos, ubi per aliquot annos moratus erat. Mortuo verò avo vel quod diſpliceret aula Moſcovitarum â quâ tamen honorificè habitus eſt, atque amatus â Patre hodierni Zari, vel quod dulcis erat amor patriæ, internuntio Perſarmeno, qui tunc Regis Perſarum nomine in Moſcovia erat, Georgio Luſigh mihi aliundè noto, fideique Catholicæ Amatore, expoſuit Perſarum Regi mentem ſuam, qua redire in Perſidem cogitaret, ſi primo illæſa ſibi fides Chriſtiana, ſecundò vita, tertio & ſtatus ſuus redderetur, hæreditarius in Giorgia qui dicitur Cachet, ab Antiquis autem quà græcis qua latinis Cholchides, regio amæniſſima ac fertiliſſima, cujus & habitatores Chriſtiani, tametſi ſchiſmatici, ſunt, viri tamen bellicoſiſſimi. Huic ergò cùm â Perſarum Rege quo ad prima duo puncta affirmativa eſſet denunciata, ſervataque pro regio arbitrio reſolutio tertij, feſtinavit illico Princeps juvenis, contradicente etiam Moſcovitarum Zaro Michaële, & Genitrice ſua, quæ omnino in Moſcovia manſit, migrare in Perſidem: (prudenter ne, an imprudenter parùm moror, quamvis de ſecundo magis cenſeam) & accedens ad aulam Perſarum magno cum comitatu Giorgianorum humaniſſime ſuſceptus eſt: ſequentique die miſſum ei â Rege tentorium quoddam ſeu Caſtrum pretioſiſſimè elaboratum, quod vocant Saiphan, ingens & pretioſum, ad uſque tria millia Tuman: ornatiſſimus item equus, pretioſitate ſua & ornamentorum, caſtri precio non impar, & rariſſima quædam Veſtium Regiarum mutatio, ſicut & quinque millia Tuman in parata pe-

cunia: ſtatutumque inſuper, ut quolibet die darentur ſex Tuman pro ſumptu aulæ ſuæ; ſpecialiter autem duodecim paropſides ingentes aureæ pro ferculis, & illæ quidem ex paramentis menſæ regiæ. Cum porrò hic ad audientiam â Rege admitteretur, olfacere oportuit eum Regalem ſuperbiam atque faſtum, cum Rex eidem dextrum pedem ad oſculandum obtuliſſet, quem & pronus oſculatus erat Heraclius, exindè jam non tam hoſpes, quàm quaſi captivus. Iſto igitur die motu proprio Rex præſentem habere voluit Reverendiſſimum P. Piſcopum, quem ut Romani Pontificis Legatum habebat, volens forſan ſic oſtendere ſpecimen ſingularis beneficentiæ, quam ſuus parens habuerat erga Chriſtianos. Undè dictus Reverendiſſimus Pater exemplari modeſtia, honorifico tamen inceſſu, in ſolito Religionis ſuæ habitu, præterquam quod deſuper chlamydem quandam geſtaſſet ſericeam violacei coloris cum Zobolis, ut vocant, ab intus, honeſtè atque pomposè comparuit, ne omninò ut abjectus haberetur â Perſis, videreturque vilipendere Perſarum Politiam, qui etiam Regios obtutus venerari ſolent ſelectiori incedendi modo. In capite verò geſtârat birretum Magiſtrale ſeu Clericale nigrum, quod non exiguæ erat curioſitatis in oculis intuentium, quippè quòd hi talem modum caput tegendi non viderint. Menſa cæteroquin ſicut Regia, ita & lautiſſima erat, qua biberat Rex cum Heraclio è cornibus buccinisque bubalinis more Giorgianorum ut alibi diximus; Pater verò Piſcopus ex vitro more Europæorum, ut ipſemet p. m. mihi referebat. Sed & retulerat idem Reverendiſſimus Pater, qualiter memoratus Heraclius per quendam dilectum ſibi P. Cappucinum Antonium Rufinum, per plures annos Zeloſiſſimum Miſſionarium Giorgianorum, mihique in quibuſdam commilitonem indicaverit, habere ſe animum proclivem ad fidem Catholicam, & perlibenter accedere velle dictum Reverendiſſimum Patrem, ſi mos Perſarum non contradiceret. Tametſi enim Perſæ hoſpites ſuos & legatos non excipiant ſpeciali militum cuſtodia in domibus ſuis, id tamen cautiſſimè obſervant, ne unus hoſpes accedat alium: imò neque ipſi Perſæ Hoſpites accedere audent & Legatos, niſi de rationabili cauſa,

&

& cum ſpeciali Regis gratia, comitante Meh-mandarbaſci. Cœterùm bonus ille Heraclius anceps moratur in Perſarum Aula neſciens quid de ſe ultra futurum ſit. Ejus verò mater, dum per Moſcoviam iter facerem, mihi plurimum de eo collocuta eſt, cui & conſignavi litteras quaſdam, quæ erant in manu mea ab ipſo unico filio ſuo; quæ quamvis eſſet Heroina animo, nihiloſeciùs tamen per integram fermè horam amariſſimè flevit, diverſiſſimè ſciſcitata de ſtatu filij ſui, & præcipuè de fide ejus. Cui porrò ego retuleram quæ mihi fideliter de eo relata erant. De quo brevitatis causâ Heraclio hæc aliqualis Curioſo Lectori notitia tanquam de antiquo quodam reliquio Chriſtianæ nobilitatis in Oriente exiſtentis occaſionaliter dicta non ſint ingrata.

Denique elapſis quibuſdam poſt hoc Regis Convivium ſeptimanis primus Miniſter Sciech Hali Chan de ſpeciali mandato Regio pariter invitarat Reverendiſſimum P. Piſcopum, eundemque ſplendidiſſimo convivio exceperat, contuleratque cum illo, quæ conferenda erant. Quamvis ſolennitas ſine vino eſſet, quippè cujus, neſcio quo fato, inſenſiſſimus eſt inimicus dictus Dominus: præſentibus tamen alijs omnis generis diverſis liquoribus pretioſis & confortantibus, adeo ut magis hi liquores arriſerint memorato Reverendiſſimo, quam generoſiſſima vina Perſarum Regis, ut ipſemet ſummâ cum admiratione & ſatisfactione mihi dein narrarat. Ubi & illud obſervaverat, quod ciborum vaſa non eſſent ex auro aut aurgento ſed porcellanea, cujuſcemodi ſemper apponere ſolet hic Perſarum Aſceta Princeps. Sed & mensâ finitâ affabiliter in Muſæo ſuo ſub conclavi memorato Patri loqui dignatus eſt per interpretem, qui tunc erat unus ex illis duobus Patribus Socijs, Antonius Nazarius: dixeratque illi de ſecura confœderatione cum uno ſaltem ex Principibus Chriſtianis mediante Papa contra communem hoſtem, Turcarum Tyrannum, & gentem ejus, quod hi plùs nimiùm longo tempore injuſto dominio terram poſſideant alienam. Dolebat autem, quod etſi Principum Chriſtianorum quidam, ſubinde promittant aliquam Perſis confœderationem, ſubitò tamen deficiant. Nam (inquiebat) recens exemplum eſt, de Kaliſa

Matthus

Matthus misso â Romanorum Pontifice, qui Clemens Nonus erat, & â Republica Venetorum tempore belli Cretensis, cum literis ad excitandum nos contra Tyrannum Turcam: Quod utique & tunc Rex noster fecisset, nisi ego pressiùs negotium considerans disuasissem: Cùm paulò post illi Legationis suæ immemores inière pacem cum Turca tribuentes ei quod desideraret: Undè atbitror nos equidem si arma assumpsissemus, ab ijs forsan fuisse delusos. Atque indè nos de facili exteris non credimus, sicut & nunc non credimus literis, quas nobis Poloni mittunt. Equidem enim & hi, donec nos militiam præparemus, & conditiones pacis cum Turca frangamus, subitò inire pacem possent (sicut & uno post anno contigerat) atque in hoc deludere mentem Aulæ nostræ. Papa igitur Vester cùm caput sit supremum omnium, firmius quid concludere deberet cum Principibus suis aut saltem uno alterovè illorum, ut ita firmam hi confœderationem nobiscum ineant: qua ratione absque difficultate annihilare possemus gentem illam his maximè temporibus, quibus ij omnes nationes sibi exteras, vestras nostramque omninò formidant. Et modò quidem transactum tempus est pacis inter nos illósque conscriptæ, anni nempè triginta; cùm interim etiam usque ad quadragesimum effluxerint: Neutri verò de illa renovanda aut ex toto destruendâ curamus. Quamvis ipsi, dum bella adversum Christianos agere parant, subdole nos clandestinis litteris sub titulo fictæ familiaritatis cohortentur ad servandam pristinam correspondentiam amicabilem, quod & ipsi sint Prophetæ nostri Machometi fideles Sectatores. Sed & obtestantur, ne persuadeamur in alium sensum, verbis aut literis Christianorum, qui sunt inimici Machometi, & cujuscunque ejusdem Sectæ. Talibus nos rationibus persæpè fucatisque hortantur argumentis abstinere ab amicitiâ Christianorum; quibus tametsi fucatâ amicitiâ, & in servandam politicæ rationem utcunque respondeamus, rei tamen veritate de eorundem correspondentiâ parùm curamus, aut nihil, scientes & agnoscentes abundè perfidam Turcarum Gentem, nullius fidelitatis observatricem. Curamus autem jugem servare amicitiam cum Romano

Ponti-

Pontifice Vestro, Romanorum Imperatore, cœterisque Principibus Christianis, foventes innatum, atque indicibile, continuumque odium adversùm Turcas. His, & similibus, (qualia & non raró mihi memoratus Princeps loquebatur) familiariter collocutus est præfato prudentissimo Patri Piscopo, tanquam Romani Pontificis Legato: indicans eidem ultrò, asserensque in fine discursus, se hæc omnia persæpe contulisse cum Abedick Petro. Etenim cognomen meum, sicut & aliorum ex hac familia Persæ, ut articulo sequenti dicam, sic exprimere solent.

Addebat, brevi fore, ut ipsemet Pater Piscopus honorificam sortiturus sit Regis sui licentiam, quâ proprios petat lares, cùm credentialibus quidem Regijs ad Romanum Pontificem, nec non litteris recommendatitijs ad Moscovos pro transitu sibi suisque libero & honorifico. Subjunxerat verò Reverendissimus Pater Piscopus; Num etiam litteræ pro Romanorum Augustissimo essent Imperatore? Qui respondit: non esse pro tunc litteras ad nominatum Imperatorem, oportuniorem tamen se præstolari occasionem, ut super hoc plura tractare, consulere, aut procurare possit. Interim ex parte Regis sui salutem, deque Personâ suâ magnam venerationem eidem Augustissimo per dictum Patrem Piscopum, ubi hic ad ejus residentiam transierit, deponi jussit: sicut & p. m. idem Reverendissimus in Personâ præstitit, cum unà simul in primâ essemus audientiâ, clementissimè nobis â Sacrâ Cæsareâ Majestate concessâ.

Tandem post aliquot septimanas nominatus Meh-mandar Basci huic Reverendissimo Patri, deputatum singulariter à Rege miserat munus, vestem nempe preciosam, auro intextam, cum chlamyde pariter intexta argento, nec non materijs eodem modo ac pretio contextis pro splendidissimo Tulbanto, atque cingulo. Sed & miserat alias materias miro quà precio, quà arte laboratas ex auro, argento, & serico: quas tamen omnes pientissimus Religiosus ad sacros destinaverat usus, fierique inde curaverat ornamenta Ecclesiarum dictæ Provinciæ Catholicæ. Quadraginta pariter Tuman paratis pecunijs prædictus Minister per latorem de beneficentia, & munificentia Re-

gis

gis miſerat, indicans ultrò humaniter dicto Legato Reverendiſſimo, quatenus is ſe excuſatum haberet, ſuper hoc exiguo pecuniarum numero, atque inſimul recordaretur, magnæ peculij ſummæ, quam nuper Rex ad inſtantiam ipſiuſmet Chriſtiano populo condonâſſet. Eodem & die Nobilis quidam Aulicus Regis ei in conductorem deſignabatur, cum ſpeciali Regis decreto, quo omnes Principes, Duces, Vice-Reges, cœterique Regni Miniſtri dictum Reverendiſſimum Legatum cum ſuis, honoratè excipere, eiſdemque omnibus de neceſſariis exactam tenerentur facere proviſionem, donec confinibus Regni Perſici exceſſiſſent.

Porrò cùm dies diſceſsûs denique adveniſſet, indicabatur Reverendiſſimo Patri voluntas Regia, ut nempè manè ſequenti Regiis indutus veſtibus jam ſibi oblatis Perſarum more accederet conſpectum Regis, gratias acturus, & vale ultimum precaturus, ſuſcepturuſque conſignandas ſibi Regis credentiales. Igitur ex Dominicano factum vidiſſes Perſam, prouti eum juxta morem ſuum ipſi induerant; quod fermè omnibus Legatis honoratioribus præſtare ſolent. Sic porrò indutus, cùm ad Regis præſentiam deveniret, is juxta morem, naturamque ſuam hilaris, habenſque apud ſe Heraclium Principem ſupradictum, cùm vidiſſet Patrem, in alia, quàm ante forma, Perſicè nimirum, ut juſſerat, incedentem, effusè ridere ceperat, inquiens. En quàm non melius nunc, hoſpes ſeſe habeat noſter in inceſſu noſtro? Injungimus ergo ei, ut noſtras literas venerabili Papæ ſuo Romæ his veſtibus noſtris Regijs indutus deferat. Mandârat dein primo Miniſtro, ut conſignaret quantociùs prudentiæ & fidelitati Viri hujus literas ſuas credentiales; cui & moto aliqualiter capite felix iter annuebat. Captâ proinde veniâ & Regis ultimâ gratiâ deducebatur Reverendiſſimus Pater cum optimo nobilium Aulicorum comitatu ad hoſpitium ſuum: unde & ſe diſpoſitis diſponendis, die poſterâ itineri in Provinciam noſtram Catholicam accinxit: poſtquam per ſex menſes continuos in Gazbin ſtetiſſet, ſufferens non pauca pro Dei & Eccleſiæ Catholicæ ſervitio.

Menſe igitur Octobris anni 1675. pervenit in Provinciam Catho-

Catholicam Naxivan cum ſuis, & conductore præfato, quibus cum nonnullis meis Amicis obviam veni per tres dies, nempe Taurez uſque. Cùm porrò me vidiſſet p. m. Reverendiſſimus Pater neſcio quo non exultans gaudio, tenerrimas totus profundebatur in lachrymas, aſſerens ea, quæ per ſe facta ſint in Dei & Eccleſiæ Catholicæ, fideliumque ejus ſervitium extra omnem ſpem ſuam obtigiſſe, referreque ſe Deo comprimis, ut Benefactori, mihi verò ut conſultori, atque cooperatori gratias; quas & ego eidem egeram, ob labores zeloſiſſimè pro Chriſtianorum noſtrorum Catholicorum utili exantlatos. Mutuâ ergo gratiarum actione ac hilaritate lætabamur in Domino: quantumque illi condolebam Patri de tot infirmitatibus & miſeriis, quas ætate jam maturâ perpeſſus eſſet, tantundem & gratulabar ei, de honoribus, gratiiſque Regiis obtentis, & feliciter ſibi oblato Regii Legati munere ad Sedem Pontificis ſanctam. Meam autem palam profeſſus ſum obligationem, quâ feror in Deum, & Eccleſiam ejus Catholicam, ſpoponderamque ei, me, poſt hæc, etiam quæ modica patravi donec juventus aut ſtatus viriuum mearum permiſerit, plura propitio cœlo, patrare conaturum.

Sed & poſt dies aliquot unà eramus apud noſtrum Imirze Hibraim, ut ſupra dictum; ad componendum cum eo de benigno regimine tutelæ, & protectione Provinciæ noſtræ. Qui & Vezirius ad præſtandum quoddam obſequium ſpeciale Patri, eâ, quâ in Provinciam diſceſſeramus die, principalem quendam ſuum deſtinârat Miniſtrum, qui cum optimo comitatu ad Provinciam uſque nos ſociaret; in qua pariter uſque ad flumen Araxem maxima turba Catholicorum, Sciſmaticorum, & Infidelium cum tympanis, & tubis juxta morem Patriæ obviam illi venit, præſtans debitum obſequium atque venerationem Patri Piſcopo Legato, & eorum benefactori.

Tali ergò cum honore, pompâ, ac jubilo omnis populus ſplendidiſſimè juxta conſuetudinem Perſarum veſtibus ſtabat â flumine, uſque ad Conventum oppidi Abaraner, magnáque cum ſolennitate redux ex Regis Aula Legatus ſuſcipiebatur. Sed & poſt ſeptimanas aliquas Principes circumvicini ex humanitate

politica misêre nuntios ad Reverendiſſimum Patrem cum muneribus quibuſdam, congratulanteſque ei de felici adventu & munere legationis â Rege ei impoſito. Manſeramus itaque cum bono Patre in Provincia dicta uſque ad ſeptimanam ſanctam, diſponendo negotia ſatis ardua, & componendo lites, quæ graſſabantur inter Catholicos, Schiſmaticos, & infideles; ſingulariter enodando quædam litigia orta in tempore alibi memorati Patris Tani, ob valdè incautum ejus procedendi modum. Omiſerim alia his plura, quibus quotidie uſque ad diem diſceſsûs noſtri inaniter fatigabamnr; quippè quod hæc recenſere operoſum eſſet; quamvis omnia ſingillatim ſcripta in libro itinerarij ſui dictus Pater Piſcopus ſecum tulerit Romam, ubi horum ſuperioribus ſuis notitia major eſſe utique poterit. Singulariter & inibi notata habuit, quæ ſucceſsêre nobis, dum diſcederemus ex Provincia uſq; ad Civitatem Erevan, ubi Paſqua fecimus cum Patriarcha Jacob in ſede ejuſdem Patriarchali; ubi & ſanctam ſuam emiſit dictus Patriarcha fidei profeſſionem, ut alibi dictum. Omnia item quæ accidêre, donec diſceſſeramus ex dominio Perſarum ad primum Caſtellum Moſcovitarum Haſtarchan per mare Caſpium, olim celebrem reſidentiam Tartarorum Noghaënſium, ubi per ſex menſes perperam nos detinuere non ſine magno ſanitatis, atque bonorum noſtrorum jactura, donec obtineremus reſolutionem ab ipſorum Zaro per decretum quoddam ſingulare, tenore cujus liceret nobis iter in ſuis terris facere, alijſque, quibus cœteri Legati gratijs & privilegijs frui. Arduum cœteroquin & vix tolerabile nobis iter erat, ad uſque Moſcoviam, de quo vel hodiè conqueri fas eſt. Itineri enim committebamur eo tempore, quo in hiſce partibus vigere ſolent atque intendi rigidiſſima frigora ſeptentrionalia, ultimo nempè menſis Decembris, ſed & debuimus per menſem diu noctuque ſub cœlo manere ſuper flumen Volga dicto, jam denſiſſimè congelato, adeo ut cum homines aquam pro ſe, aut jumentis ſuis haurire vellent, malleis, ſecuribus, alijſque ferreis inſtrumentis neceſſe eſſet perfringere glaciem, quod flumen in quibuſdam partibus duarum aliquando & trium ulnarum profun-

ſunditate congelatum eſſet. Hæc tamen aqua nobis potus erat; neque tamen victus potu nobilior, ac ejuſdem demùm commoditatis trahæ erant tartaricæ quibus ſubindè vehebamur per Tartaros. Ponderet indè Lector quid Calamitatis per menſem integrum ſufferre oportuerit eos, qui arduo hoc vivendi, atque itinerandi modo, tametſi multis alijs, non erant aſſuefacti: qualiter præcipuè non erat memoratus P. Piſcopus, tenerrimus aliundè complexione Italus, & vir diverſis infirmitatibus penè abſumptus. Unde non viribus, aut robori noſtro ſed ſpecialiſſimæ Dei protectioni attribuenda evaſio noſtra. Tanta enim erat Calamitas itinerandi, ut Tartari ipſimet cum equis ſuis quantumvis aliàs maximè laboribus dediti, & continuis quaſi incommoditatibus illius Climatis nutriti; nihilominùs hinc indè ceciderint emortui, ſicut & nonnulli ex Moſcovitis. Donec tandem deveniremus ad ipſam Civitatem Moſcoviæ; ubi per Dei gratiam ſat velociter, poſt ſpacium ſcilicet unius hebdomadæ nos expedierunt, cum ſolita commoditate & honore verſùs Poloniam. Hic porrò inter alios humaniſſime nos exceperat Illuſtriſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus Franciſcus Martellius, quæ omnia luculentius in ſcriptis præfati Patris habebuntur; ſicut & ea, quæ nobis obtigêre cum rursùm ex Polonia veniremus ad Civitatem Vratislavienſem, ubi comprimis benigniſſimè excepti fuimus ab Eminentiſſimo Domino Cardinale & Sereniſſimo Principe Haſſiæ, qui diverſis ac ſingulariſſimis favorum officijs juxta ſuam nos magnificentiem benevolentiſſimus affecit. Sed nec minori charitate, atque benevolentia nos proſequebatur illuſtriſſimus Dominus Comes â Schaffgoz Cæſareæ Cameræ Præſes vigilantiſſimus. Singulariſſimè pariter nos in tranſitu exceperat Sereniſſima Duciſſa Brigenſis: quæ inter alia encomia, quibus celebrare volebat ſolidam pietatem & religioſiſſimam modeſtiam venerabilis P. Piſcopi, id perſæpè, etiam dum expoſtfacto Viennæ exiſteret, méque ſibi cum quibuſdam Patribus de Conventu Prædicatorum Commenſalem haberet, Germano ſanè affectu, non minùs ac idiomate edicebat, contemplari ſe, & videre quaſi in dicto viro ſanctum Auguſtinum

altiſſimis myſterijs Trinitatis aliorumque compoſito ita ſpiritu adherentem; non obſtante, quod eſſet (de quo utique dolendum, utpote, quod prudentiſſima ſanctos ſanctaſque habeat de familia ſua, qui in Catholica fide, ſanctaque Romana Religione Orthodoxa Deo militarunt) Religionis alienæ. Sic enim pietas ab omnibus ſuſpicitur atque ad ædificandum quemcunque perutilis eſt, juxta illud Pauli: *Pietas ad omnia utilis eſt.* Num verò quæ hac in Aula Cæſarea obtigere tantiſper recenſeamus, quæ omnia pariter enucleatim notata Reverendiſſimus Pater in urbem ſecum detulerat.

Viennam ergo uterque ſimul de clementiſſima gratia ſortiti ſumus bis audientiam ab Auguſtiſſima Majeſtate Cæſarea, in quarum prima quidem debito obſequio & veneratione clementiſſimæ Majeſtati provoluebamur, ingentibus omnino gaudijs ſuperfuſi, & omni conſolatione repleti, cùm videremus in tali tantaque Majeſtate, unicum Chriſtianæ pietatis refulgere ſplendorem omnemque benignitatis gratiam in eandem veluti unum in oceanum confluiſſe. Obtuleramus & tunc debita cum ſubmiſſione litteras Patriarchæ Jacob, deponentes pariter ea omnia, quæ nobis ex Aula Perſarum impoſita erant, & comprimis exponentes negotia ſtatumque omnium Chriſtianorum partium illarum, qui ſemper ut aſilum & cynoſuram ſuis in ærumnijs venerantur ſereniſſimam ſacratiſſimamque Domum Auſtriacam. Dignabantur pariter & nos clementiſſimâ audientiâ Auguſtiſſimæ Imperatrices feliciter Regnans, & Vidua, non parùm Viri religioſiſſimi modeſtiam atq; prudentiam ſuſpicientes.

Interim vero donec ſecundò ad præſentiam ejuſdem Auguſtiſſimæ Majeſtatis admitteremur, cogitavimus, quod cogitandum nobis erat de diſceſſu Patris Piſcopi in urbem, meàque hic Viennæ ſubſiſtentia, juxta id, quod jam in nobis habebamus præfixum, atque multis de conſilijs concluſum. Hoc autem intentum noſtrum antequam immediatè Auguſtiſſimæ Majeſtati ſupplices notum faceremus, priùs tantum inſinuare ſtatuimus cum Excellentiſſimo Domino Montecuccoli, tanquam nobis in hac Cæſarea Aula præ alijs magis noto, per ſuam quidem

dem celeberrimam famam, quà nedum vastissimas oras totius Occidentis, sed & remotissimos limites Orientis pariter nostri transcendit; ubi passim & comprimis in Regia Aula nullis non celebratur encomijs, par æstimatione antiquis quibuscunque Romanorum famosissimis Ducibus, quos suis in historijs celebratos habent: cujus & fidelitati atque prudentiæ committi sciveramus negotia quáque peregrina atque altiora. Undè ad hoc opus haud infructuosum feliciter deducendum memoratus Reverendissimus Pater Piscopus personaliter, me tamen non comitante, præfatum Excellentissimum Mœcenatem adijt, maturiori discursu exactam quandam de statu conditione, & mente mea faciens relationem: Ubi quidem negotium prointerim ita conclusum, quatenus ego juxta stylum Curiæ hujus debita in forma supplicem super hoc libellum porigerem Majestati sacratissimæ, quem & in secunda audientia humillimus porrexi, meque, juxta quod Deus rectè sanctèque inspiraverat, in perpetua ejusdem obsequia, ut dicetur articulo sequenti obtuli, dicavi, consecravique.

Porrò ante dies aliquot, quàm ad secundam admitteremur audientiam, mittebatur nobis Cæsareum quoddam decretum ad instantiam cujusdam Joannis Baptistæ Podesta; qui cum nonnullis Europæis Auditoribus suis specimina professionis suæ litterariæ triennalis in linguis Orientalibus, nunc occidentali quippè Imperio per maximè necessarijs, publicâ etiam luce atque exercitio litterario testata esse vellet. Cui quidem actui dicti Decreti tenore publicè habendo nos interesse oportebat; Patrem quidem, utpotè recenter ex Oriente venientem, me verò tanquam in Orientalibus litteris versatum, ubi & judicaremus discerneremusque, quid operosi vel proficui ob trium annorum spatio in dicta litteraria eruditione auditores profecerint, quidque tum de Professoris scientia, tum de ulteriori discipulorum progressu sperandum, ediceremus. Quod quidem decretum venerabundi suscepimus gratulabarque singulariter mihi, quod vel modica in causa Augustissimæ Majestatis mandatum exequi possem, qui ad majora etiam altioraque quam hæc orientalibus

nostris

noſtris non niſi familiaria ſint, paratus eſſem. Studui ergò zelosè diſcernere atque indagare de rudimentis, grammaticalibus quidem, aſt omnino perarduis Arabum, Perſarum atque Turcarum, judiciumque mihi concreditum in præſentiâ ſplendidiſſimi cœtûs Auditorum omnium diligentia & æquanimitate, in Dei Eccleſiæ ſanctæ atque Auguſtiſſimi Cæſaris obſequium formavi. Id quod forſan enarrabit, qui litterato, ornatiſſimoque conſeſſui illi in domo capitulari RR. PP. Prædicatorum Conventûs ad S.Mariam Rotundam Anno 1677. Menſe Auguſti die 10. horis veſpertinis ſolenniter habito interfuerit: quem & ſingulariter actum gratioſiſſimâ præſentiâ cohoneſtarunt Celſiſſimus Princeps atque primas Apoſtolici Regni Georgius Szelepſchenij, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Strigonienſis, alijq; complures Statûs Eccleſiaſtici, quâ,ſæcularis Domini Digniſſimi, quos inter tanquam ſidus authoritate Cæſarea fulgentiſſimus intererat Dominus præfatus Comes Raymundus Monteccuccoli, hodie emeritò Excellentiſſimus Princeps, ne porrò curioſo Lectori negligens videar in commemoratione exactiori hujuſce recentis facti, qui aliàs me ſedulum eidem præſtiti in exarandis diverſis antiquitatum monumentis ſubjungo judicium meum, quod in conſpectu tantorum Virorum juxta eloquentiam orientalem eo in conſeſſu ſolenniter publicavi. Eſt porrò tale.

Notificatio Oratoria.

F*Ructuosè ſanè obſervatur in ſacroſancta Republica Chriſtianorum, quod Gentium Doctor Paulus inculcat:* Æmulamini chariſmata meliora. *Qui porrò enumerans Divini chariſmata Numinis, atque gratias donum pariter linguarum recenſet; ut jure merito proinde, qui hoc ipſum æmulatus fuerit, bonum opus ſe operatum eſſe confidere auſit.*

Aſt

Aſt ornatiſſimi Auditores latè omninò, & nedum vob is quin Orbi & Univerſo terrarum meridiana clarius eſt luce, Cæſaream hanc Auguſtiſſimi Invictiſſimique Romanorum Imperatoris LEOPOLDI Curiam fragrantiſſimo florere cœtu virorum ingenioſorum, atque Republicâ virtuoſorum perquàm meritiſſimâ. Ut & in ipſa omnes meliora chariſmata æmulantes confiſi ſperare auſint, me hercule, de aditu honoris virtute promerito, neque de exantlatorum ſtipendio laborum uſpiam dubitare. Hac equidem ratione, ut laudetur Creator omnium, inſuper & Sancta Religio Romano-Catholica, quam juxtà dictamen Divini Oraculi dominari fas eſt omnibus mundi ovilibus, atque idiomatibus; quatenus habitâ, & obſervatâ congruâ unitate terreni Paſtoris, digniſſimè, unicißimèque colatur Auctor cœleſtis. Unde ipsâ nos nunc in viâ primitivo veluti Veris amœni germine paſcimur ex æmulatione chariſmatum meliorum, inde habituri in patria, poſſeſſurique, quod optimum erit, ac maximum, viſionem nempè cœleſtis illius Jeruſalem, cujus civibus unanimis tantùm opinio, mens concors, communis voluntas, atque unica tantùm eſt, eritque lingua, quà per encomia ſempiterna multiplicantur, & multiplicabuntur Diviniſſimi laudes Agni.

Suppoſitâ igitur DEI amantiſſimâ, atque Sanctæ Catholicæ fidei Romanæ zelantiſſimâ propenſione potentiſſimi Hæredis Romanorum, Auguſtiſſimique Chriſtianorum Herois, inſuper & præſuppoſito Venerando, adorandoque Decreto ejuſdem Imperiali (quod nedum imbecillimam meam imbecillitatem, ſed jure merito omnium limites Imperiorum tranſcendit) ſuffultus ego Divina gratia, dictæque Cæſareæ clementiæ innixus audeo, atque etiamnum auſus ſum in venuſtiſſima præſentia veſtra ſublimißimi Domini, diſcerne-

re,

re, dicere, atque decernere, quod fas, haudque nefas dictu sit, super capacitate hujus de novo pullulantis Orientalium linguarum hortuli, juxta quod & protuberatione sua palam pollicentur virgulta tenerrimè procrescentia. Quæ sanè temporis decursu (quod maturat omnia) nec non adhibita praxi cum theoria, (quod medium sine quo non est capescendæ linguarum notitiæ, & experientiæ) juxta nulla uon spei optimæ argumenta, succrescent in arbores sublimiores, unde fructus uberrimi secura maturitate sint colligendi. Namque & Theologis sapientissimis tritum est illud: Facienti, quod in se est, DEUS non denegabit gratiam suam. *Quod vel clarè patere videtur in his linguarum Orientalium Auditoribus Adolescentibus, qui cum omninò, quatenus nativi, ab idiomatum hujuscemodi asperitate terminorumque pronunciatione sint alieni, utpote nati, educatique in delicijs dulcioribus, atque amœniori teneritudine Europæ, multam audent, assiduaque virtute perdificillimis his insudare linguis, tametsi rationabiliter excusandi, quod tenerius guttur eorum, prona adeo, atque exacta facilitate accommodare se nequeat duritiei, atque ut ita dicam, tortuositati quarundam literarum, cujuscemodi sunt* ح خ ع غ ق *quæ quidem veluti bases sunt, atque necessaria fundamenta linguarum Orientalium: tametsi Europæis auribus sonare videantur magis quidpiam ferini, quàm humani, & plus ridiculosi, quàm artificiosi. Conantur tamèn præsentes Auditores Adolescentes ingenui, contingere assiduo ascensu, atque frequenti labore altiùs perfectionis, intelligentiæ, & idiomatis practici culmen: quod utique, dum fecerint, quod in se est, Divina ijsdem gratia non abnegabit. Etenim postquam ulteriori labore atque conatu præfixum sibi sategerint in finem, nullus hercule*

dudito,

dubito, quin DEUS bonorum largitor omnium uberiori eosdem donaturus sit intelligentiâ, atque ad sublimiorem perfectionis apicem confortare per gratiam. Prout & non denegaturum reor DEI amantissimum, omnisque virtutis amicissimum, Regum Regem Optimum, LEOPOLDUM, Romanorum pijssimum Cæsarem semper AUGUSTUM, Orbis Christiani solatium atque fulcrum, cujus Sacratissimæ, Clementissimæ, sublimissimæque Majestati, obsequia mea & vota facie ad imum humi prostrata depono, consecro, commendo.

His ita peractis secundò admittebamur ad audientiam, ubi Patri Piscopo Viennâ Romam, mihi verò in nominata Augustissimi residentia manere concessum est, de Clementissima Sacratissimæ Majestatis, atque Augustissimi Imperatoris gratiâ. Cæterùm dum dictus Reverendissimus Pater Piscopus Viennæ in Conventu FF. Prædicatorum commoraretur, permultis honoribus exceptus est à principalioribus quibusdam Augustissimæ Aulæ Ministris & Optimatibus, singulatiter verò ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Nuntio Apostolico Francisco Bonvisio, qui non solùm maximâ suâ benignitate dignatus est personaliter dictum invisere Patrem, sed & de liberalissima munificentia sua, nos domi suæ commensales habere dignatus est sæpe, quâ & gratiâ ego hodie Viennæ existens nonnunquam gaudebam.

Cæterùm idem Illustrissimus Reverendissimusque Dominus Nuntius eâ ferebatur in memoratum Patrem inclinatione, ut quotidiè eidem cibum, potumque ad Conventum PP. Prædicatorum usque in tempus discessionis ejus benignissimè & liberalissimè mittere dignatus sit. Nec minori benevolentiâ venerati sunt meritissimum Patrem, Excellentissimus Princeps à Dietrichstein, atque Illustrissimus Dominus Comes de Wallenstein, qui personaliter eundem in Conventu invisere dignati sunt, nec non Illustrissimus Comes Magalot, prout & Reverendissimus Pater Christophorus Stetinger S. J. Augustissimi Imperatoris Confes-

ſarius digniſſimus, aliique magnæ conſiderationis Viri, eundem inviſere non omittebant. Tametſi autem idem Dominus Illuſtriſſimus prudentiſſimè dicto Patri conſuluiſſet, ut iter arduum Romam ingentes inter calores illius temporis,atq; aliundè tot laboribus, atque infirmitatibus penè compreſſus intermitteret: noluit tamen zeloſiſſimus Pater aſſerens: magis ſe paſſurum,quàm ut Dei, atque Eccleſiæ ſervitia moram paterentur. Denique verò crudelis mors magnum eripuit Chriſtianitati Orientis ſolatium & fideliſſimum Eccleſiæ Orthodoxæ Miſſionarium, nullam non incutiens mæſtitiam deſolatis Catholicis, in extremis mundi partibus, quòd hi per eundem plura multa ſperâſſent, diſplicentiamque Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, quæ altiora de Viro tanto jam jam cogitabat, & forſan modò pro meritis ſuis debitâ coronâ condecorâſſet, niſi meliorem ipſe in cœlis ab Eccleſia triumphante ſibi paratam feliciter utique obtinuiſſet. Doleo & ego non nihil ſuper amiſſione tanti Patris, qui omninò ſperaveram infallibilem fructum, & certiorem maturationem eorum omnium, quæ per quatuor annos unâ contuleramus negotiorum, conjuncti indiſſolubili Chriſtianæ charitatis vinculo, quo is mihi in ſpiritualibus Pater, atque ego eidem filius obligabamur ſolantes invicem in Domino per ardua quæque itinera, pericula, & alia nonnullius momenti negotia. Optaveram innatâ quâdam neſcio ſympatiâ, præſtare ei plura obſequia affectûs filialis mei, quæ quidem ipſe pro religioſa modeſtia ſua omnino recuſavit. Unde cùm ad audientiam vocaremur Sacræ Majeſtatis, ipſeque podagrâ aliiſque infirmitatibus eſſet attenuatus, & proinde ſine ſubſidio aliorum & fulcimento ambulare non poſſet, tandem in ante Camera Cæſarea exiſtens, rogavit ex me non ſine magna mea confuſione, modeſtiſſimus Religioſus, adjuvarem ſe quantocyùs aliqualiter, donec ingrederetur audientiæ conclave, cùm ſocii & ſervi eò ingredi non auderent. Illum ergo tenens brachio dextro omni cum mea devotione duxi ad locum, ubi audientiam præſtolabamur.

Denique,ut majorem opinionem,honeſtiſsimamque tanti Viri famam Lectori faciam, ſubjungo, literas Venerabilis Patris

ſæpe

ſæpe memorati Raphaëlis Capucini, quas inter alia conſiderationis momenta in parvulo meo archivio conſervo, reſcriptas mihi ex Isfahan, & reſponſorias ad illas, quas ei miſeram per quendam Dominum Dominicum Graſſi Neapolitanum, qui hinc Viennâ in noſtras partes mercimoniæ causâ diſceſſerat, cui & aliàs noſtris in partibus, utpote illi peregrinis & periculoſis, ego, dictuſque Reverendiſsimus Pater Piſcopus plura officia hoſpitalitatis & charitatis fecimus; quem & cum recommendatitiis, ad dictum Patrem, cæteroſque Amicos optimâ ſocietate ſtipatum, in Isfahan miſeram: qui porrò & nunc actualiter Viennæ exiſtit, atque beneficiorum memor, haud rarò me frequentat, multùm inde conſolatus, quòd viderit me tandem in Aula Cæſaris Auguſtiſsimi, cui me quondam relictis omnibus ſerviturum, adhuc ei in Perſide exiſtenti firmiter aſſeverabam. His porrò literis celebratiſsimi Miſsionarii præfati dignoſcet Amicus Lector, quanti fuerit emolumenti, memoratus p. m. P. Piſcopus Perſidis noſtræ Catholicis, priuſquam etiam acceſsiſſet ultimò Regis Aulam, patrâſſetque ea, quæ ſupra recenſuimus. Ita ergo habent.

Colendiſſime & Ornatiſsime D.D.

Humillimam Salutem.

Gratiſsimas Dominationis Veſtræ literas è Abaranel ſcriptas per manus Domini Dominici Graſſi, in Isfahan accepi, valdè lætatus ob ſanitatem, & bonam Dominationis Veſtræ valetudinem, eodem tempore è Gasbin triſtitia, & mœrore ſupra modum affecti ob obitum RR. Domini Matthæi Dominicani Archiepiſcopi Naxivan. vir ille fuit omni genere virtutum præditus, & præcipuè incredibili patientia, & prudentia, longanimitate in hiſce Barbarorum locis; abſolutè Eccleſia Abaranel ex ipſius mor-

te utique maximam incurriſſet jacturam, niſi hiſce temporibus, per divinam providentiam RR. Pater Vicarius (ſcilicet Pater Piſcopus) illi in Patrem ſubveniſſet & conſolatorem, perſuaſum enim habeo, quod RR. illius Paternitas, & charitas propitior abdicatis in hujuſce negotijs auxilium, & levamen ſeſe Romam ſit collatura, ut quam primum neceſſitati hujus viduæ Eccleſiæ ſuccurratur; attentis omnibus Patris Vicarij naturæ, & gratiæ dotibus, uti hic fama luculentiſſimè eloquitur, alium, ad hunc non dico honorem, & divitias, ſed laborem, & pro Chriſti ovibus ærumnas perferendas difficile poteſt adinvenire, & eligere eò aptiorem curia Romana, in hunc Archiepiſcopatum. Quippe cum Reverendiſſimus Pater Vicarius ſit è ſanctiſſima Dominicanorum Fratrum noſtrorum chariſſimorum familia, clarus ſanguine, Europæorum ſcientijs totaliter, & ad lauream præditus, & quod magis eſt ſufficientiſſimè propria experientia illuſtratus, quali modo in columbæ, & ſerpentis proprietatibus in hiſce locis degendum; ea propter Dominatio veſtra in ſocietatem tam ornati Religioſi proprios lares, id eſt Romam (notet prudens Lector ſpecificationem hujus zeloſi Religioſi, quoad proprios meos lares; non eſſe eos, de quibus in Articulo ſequenti, in quibus periculum imminere mihi ſciebat, ſed Romam) poterit repetere, illuc duo unita verba tanti viri, in veſtram commendationem pluribus noſtris literis prævalebunt, inſuper & credo, quod omnes Mißionarij Europæi degentes in locis, in quibus commorata eſt Dominatio veſtra huic officio non defuerint. Satis enim ſuperque nota illis, & nobis fuit vera pietas chriſtiana, ardens Religionis Catholicæ zelus, in tolerandis Hæreticorum, & Infidelium moleſtijs conſtans patientia. in illis Dominatio Veſtra ſe ſemper legitimum Colegij Romani Alumnum exhibuit. Precor igitur divinam providentiam,

ut

ut Dominationem Vestram reducat illuc incolumem; illuc enim dabitur, quiete, & tranquillitate felicis vitæ perfrui; nobis interim hic solito more ad misericordiam, & protectionem divinam attendentibus, & oculos ad montes, unde veniat auxilium nobis, sublevantibus, in tali ærumnoso exercitio. Jam hic in Isfahan 28. annos explevimus, sexagenarij & ultra facti, incerti quot adhuc dies relegationis nostræ supersint: quotquot autem fuerint, hosce adhuc lubens in missionis exercitio (licèt de se satis ingrato:) voveo, & dico; nec non DD. vestræ charissimæ perpetuam & gratiosissimam amicitiam exopto; insuper & oro DD. vestram, ubi ad limina Sanctorum Apostolorum appulerit, in suis orationibus meminerit pusilitatis nostræ; sicut & speratur è charitate DD. vestræ Colendissimæ.

Ex Isfahan Persidis Regiæ
Die 2. Septembris 1674.

Obsequentissimus Servus
Fr. Raphaël du Mans RR. PP. Capucinorum Gallorum Missionariorum Super. licet immeritus.

Hæc pientissimus Religiosus, de Patre nostro Piscopo, nec non de exigua & indigna mea Persona, taliter hisce suis literis testata relinquere voluit; quæ hìc non abs re, & ego tibi Amice recensere volui; ut inde plura, sicut *ex ungue Leonem*, ominari posses, de isto verè omni laude, & memoriâ dignissimo Religioso, quæ omnia ne videar plus ultra in hoc Articulo solitam meam excedere brevitatis methodum, tuæ singularissimæ remitto prudentiæ.

Ut

Ut tandem articulo coronidem imponam, non omittendum censeo, quin inculcem Lectori, qualiter Principes Machometani, an potius Tyranni Orientis nostri, mutuum policiæ Officium omnino observent per reciprocas legationes: dum unum ex illis mori contigerit, illicò post unum aut plures annos, cœteri mittere solent legationem sumptuosissimam, ad offerendum pro anima defuncti Regis, aut Principis Hasci-su, id est: cibum & potum, tunc igitur solennissimum convivium instituunt Legati hujuscemodi; non solùm Magnatibus defuncti Regis, aut Principis, sed etiam Religiosis, seu Pseudomistis suis, atque pauperibus suffragia pro defuncto perficientibus. Post Hasci-su porrò & similes conviviorum cæremonias, pro anima defuncti adimpletas tandem congratulantur successori de Sceptri, aut imperij adeptione. Hunc autem modum spectata politica consultatione, non vituperabilem observant inter se, speciatim Magnus Turcarum Tyrannus, sicut Scytharum, qui Ozbech vocantur, Magnus Chan, Persarum Schah, Magnus Indorum Mogol, ex mera ut inquiebam politia, magis quàm charitate, aut humanitate. Cœterum his moris non est, habere permanenter Legatos aliorum in Aulis suis, uti Europœis Principibus in usu est, sed tantum ad invicem Legatos mittunt pro occurrentibus negotijs, & expeditionibus, quas juxta morem suum per paucas septimanas aut menses perficere solent, seque facilius expedire. Nos ergo & hos facile expeditos, hoc articulo habeamus, supremum apicem operis nostri tandem arripientes.

ARTICULUS TRIGESIMUS TERTIUS. ET ULTIMUS.

De Operis Authore, Ortu, & origine illius.

POstquam Lectori Amico fusius tantisper de rebus Persicis, & Orientis narratum, ut exactior ei quoad omnia contingat notitia, placuit & Auctori conditionem, statum, originemque declarare suam: quatenùs ita, qui tot tantáque de aliorum statibus atque conditionibus palam fecit,

id

id non occultatum Lectori permittat, de quo hic curiositatem forsan habere posset. Multa utique multis opinio incerta dixerit de Authore, de quibus, si bona, gavisus sit; si sinistra, imposterum correcta velit.

Linquamus Armeno Persarum historicos, qui disertiùs narrant de antiquitate, ac nobilitate familiæ ejus, quam etiam ex illa sublimissimâ nobilissimâque Armenorum Regum descendere asserunt, dictâ Armenicè Arsciaguniaz, scilicet Arsacidarum, de quâ & familia, ut Orienti antiquissimâ, famosissimáque in nonnullis locis Ecclesiasticæ suæ historiæ mentionem facit Nicephorus Calistus, hoc in opusculo sæpè ab Authore citatus. Sed melius Surius in Vitâ Sancti Gregorij illuminatoris Armenorum. Hæc tamen familia hinc inde dispersa, imò pene deleta erat, dum tota quasi Armenia devastaretur, subverteretur-que Civitas illa celeberrima Ani, cujus supra neminimus, â Scytharum populo barbaro; ut refert Petrus Bellonius Cenomanus. Linquamus inquam Authores Europœis omnino ignotos, quique non nisi de longissimis disserunt antiquitatibus. Recentiorum quendam, atque sui Nominis clarissimum referamus scriptorem, rerum Orientis relatorem disertissimum, optimâque fide clarissimum Petrum â Valle. Audierat enim hic, noveratque sincerius enormem stragem, ac desolationem Armenis nupero Turcarum bello in Pers Armenòs moto illatam: unde Marte cruentissimo plurimæ Armenorum Persidis familiæ, vel internecione extinctæ, vel in fugam propulsæ, vel denique sunt in captivitatem â Turcis Barbaris abductæ. Ast sub id temporis magnus sagacissimusque Habas Persarum Rex, ulteriorem prævidens hostis in Armeniam progressum, præcavensque, ne totaliter ditio, quam in Armeniâ haberet, expoliaretur, principaliores PersArmenorum familias, atque colonias hujus Gentis transire curavit, partim ad Regiam suam Isfahan, partim ad interiores Persidis oras; quas Turca subintrare non auderet, nec quidquam inibi proficuum præstare sibi, ob victûs, potûsque defectum; quibus nempe omnino fere privare sciunt hostem Persæ, horum locorum versutissimi incolæ, omnem gnari prohibere

bere commeatum aut annonam. Hinc oritur, quod omnis utcunque belli furor, ac malitia in Armeniam diffundatur, hæcque nobilissima Orientis Regio alternativis subjaceat desolationibus, quas modo à Persis, modo â Turcis, magis verò ab istis perpeti solet. Quâ etiam ratione Armeni magis pro Persis stant, quam pro Turcis.

Cœterum in bello novissimo facto ab Amurathe Quarto adversum Persas, maximum omninò causabatur, quâ exterminium, quà captivitas Christianorum in partibus Armeniæ, ut memoratus â Valle indicat. Interim & Auctoris Avus, Jacob Aga dictus, cognomento Bedik, captivitati mancipatus sub Babylone, una cum Filio Persarum generalissimi, prout alibi dictum est, ubi per certamen accerrimum Victoria Turcis cesserat. Frater porrò Bedik præfati natu major, atque ab Armenis Bedik Af-vazabou nominatus, jussu Regis Habas conductus jam erat ad Regiam, cum principalioribus quibusdam cœteris, ut supradictum. Hic tamen Bedik communiter â Rege Habas, pariterque cœteris Persis apellabatur A Bedik, relicto nomine illius proprio Armenico, scilicet Af-vazabou (quod in phrasi latina idem est, ac in DEO sperans) eò quod valde durum ipsis esset, totum semper pronunciare. Unde solum pronunciabatur cognomen ejus, præadjunctâ tamen primâ & inchoativâ nominis proprij vocali literâ A. adeoque trito nomine A Bedik dictus, prout & vel hodie hoc nomen â Persis pronunciatur. Addebatur & ei ab humanioris politicæ Studiosis Persis quidam honoris titulus, Chogia, quod divitem significat & abundantem, non solum in pecunijs & Thesauris, sed etiam meritis, virtutibus, atque bonis qualitatibus mentis. Quâ passim ratione Persæ, omnes literatos suos, virtuteque eximios hoc titulo Chogia condecorare solent. Hoc porrò præfatum Bedik compellandi modo Persis usitato usus erat ipsemet suprafatus Petrus â Valle, dum ejusdem in primâ parte Persidis mentionem facit: nempè tanquam is, qui Persarum calleret linguam atque phrasim, non ita Armenorum prout ipsemet fatetur. Placuit quæ loco citato fol. 679. in editione Venetensi de memorato A Bedik, Deo hominibusque viro dilectissi-

lectissimo, laudatus â Valle, occasione solemnitatis nuptiarum Sorroris uxoris suæ cum quodam nepote præfati ejusdem A Bedik recenset. Hæc ergo sunt; quæ nobilissimus vir occasionaliter refert de isto Pientissimo Bedik.

Già che siamo ne gli Armeni, non voglio mancar di dar nuova à V. S. come dopo haver trattato più mesi, e con diversi, che me ne ricercavano, finalmente gli ultimi giorni del Carneval passato, conchiusi il matrimonio di una sorella Sign. Maani, terza genita delle femine; la quale, da molto tempo prima la Sign. Maani haveva tenuta seco in Persia, per sua conversatione, e compagnia. Si chiama, questa mia cognata, la Sign. Laali: e'l suo nome proprio accommodato in fine con terminatioue feminile, come possa convenire a donna, significa propriamente Balascio, pieta pretiosa. L'habbiamo data per moglie ad un di questi Signori Christiani Armeni di Ciolfa chiamato in lingua loro, Chogia Astuaz-atùr (se pur bene sò dirlo che non intendo straccia di quella lingua) che significa DEUS dedit: *ma per più brevita, dicono di ordinario, solamente, Chogia Zatur, che suona quasi, il Signor* Dedit. *Elessi questo giovine, di ventiquattro anni in circa, trà molti altri che la domandavano, e ne facevano molta istanza: perche è del più nobili, benche non de' più ricchi: & è di buonissimi costumi: e sopra tutto, perche è cugino, & alievo (allevato in sua casa da piccolo; non havendo il giovine Padre, nè Madre) di un tal Choghia Abedik, molto principale, e riverito frà di loro: il quale, non solo è il più fondato nell'esser buon Cattolico, & amicissimo, come è stato semper, della natione de' Franchi: ma è tanto religioso, e tanto pio, che si può dir' essere specchio della Religione, e Christianità Orientale. E*

che sia vero; dirò solo questo, che, quantunque habbia figlivoli nondimeno spende tutto'l suo, più che nella sua casa in fabricar Chiese, & in ornarle di parati, di croci di argento di calici e di altre cose necessarie: & in questa nuova Ciolfa di Sphahàn, dove furon fatti trasmigrare: havendo il Rè distrutta la Ciolfa antica di Armenia, che stava in confini di Turchia, sopra il fiume Arasse; delle dieci Chiese, che ci sono assai buone, una ne hà fatta tutta, e ve mantiene a sue spese Chogia Abedik: & in un'altra, egli fece la maggior parte della spesa, benche ad altri ne habbia dato il nome. E nelle Ville attorno, ha ajutato, & ajuta ogni giorno la fabrica, e'l sostentamento d'infinite altre. Ma un'altra opera nobile della sua bontà non voglio tacere; & è che nelle guerre passate di Armenia, e di Giorgia, quando tante migliaia di Christiani andaron sottosopra, e furon fatti schiavi: egli, per amor di Dio, ricomprò a sue spese, e diede libertà, a più di quattro mila persone; facendo trovar con diligenza, benche in luoghi loutani, figlivoli a' Padri, le mogli a i mariti, & i parenti a i parenti, acciochè non andassero dispersi: e per far questo, non havendo all'hora denari pronti, nè potendo vendere in un tratto le sete che haveva; egli prese in presto dal Chan di Schervàn, che è pur figlivolo di un Armeno Christiano; e gli diede in pegno la seta, e ciò che si trovava alle mani. Carità per certo, che non sò, se si possa far maggiore.

Tantum autem præfatus A Bedik ab ipsomet etiam Habas Rege adamabatur, quantum non alius quispiam ex Armenis: tum quod is primus esset & Principalis in gente suâ, tum quod insignia complurima fidelitatis & generositatis facinora ejus de familia Bedik adversùm Turcas Marte quovis diverso experta es-

ſet corona Regis: tum denique quod pientiſſimus, cœteriſque virtute & indole universâ vir rarior eſſet: pro cujus ſubinde, ſuæque familiæ commoditate in Regiâ ſuâ ſumptuoſiſſimum Rex Habas conſtrui curârat palatium, in ejuſdemque oſtij ſummitate ſeſe familiariter cum laudato A Bedik converſantem depingi fecit. Quod quidem celeberrimum & memorabile pictum unà cum palacio hodierno etiam die in Isfahan eſt videre.

Aſt neque frater mox memorati Bedik, jam in Turcarum captivitate exiſtens, Chriſtianâ pietate atque generoſitate minor erat. Unde tametſi ſummopere Amurathi dilectus, ita quidem, ut hic eundem Perſis reddere recuſaret, quippè quem optimum militem audiſſet, velletque imò, ut ſuo in equitatu is ſibi ſemper aſſiſteret propinquior inter principaliores Vezirios ſuos, non ſine magnâ ſuper hac unius Chriſtiani exaltatione Aulæ reliquæ diſplicentiâ; nullatenùs tamen hac ratione conſtanti unquam cecidit animo, ut hiſce blanditijs honoribuſque ab Amurathe delatis aſſentiretur, Machometicœque adſcribi ſeſe perfidiæ pateretur. Sed & Chriſti Athleta generoſiſſimus imperterrito animo non raro aſſerebat Barbaro Tyranno. Si potentiſſimus Chunkar fideliſſima â me obſequia deſiderarit, utque Perſarum omninò obliviſcar maluerit, complaceat tantisper ei, quò ultrò Religioni meæ Chriſtianæ, in quâ Inclyta mea Bedik familia longis temporibus deſervierat Perſis, ſemper ab eiſdem, quantùmvis pariter Machometanis, multo honore habita, fidus adhæream. Neque hôc majorem honorem gratiamve ſe uſpiam ab Amurathe expetiturum ſpoponderat. Amurathe jam præpotenti in eum amoris Sympathiâ capto, nihilque ultrò adversùm Bedik moliente, ſed liberè omninò permittente, ut Sanctæ is Chriſti fidei conſtanter adhæreret. Neque etiam interim patiente, ut perdilectus ſibi Vir ille in Aulâ ſuâ commoraretur abſque munere & caractere honeſtiori, quod quidem perfida eorum lex Chriſtiano conferri non prohibebat. Conſtituit igitur hunc Amurathes Supremum tributorum exactorem in omnes Chriſtianos totius Meſopotamiæ, Armeniæ minoris, & Syriæ, quo fideliter mediante theſauri augerentur Regij. Voluit & Rex pariter, ut

dictus Bedik primus esset superintendens omnium teloniorum, in memoratis partibus, resideretque in nobilissimâ illa totius Orientis civitate Aleppo: ubi & ei ducere uxorem licebat, more suo Christiano, & ex quacunque familia Christiana.

Muneribus ergò his, officijsque initis Bedik uxorem duxerat de principali & celeberrimâ Armenorum familiâ Sciamamenz dictæ Civitatis Chilis in Armeniâ Minori propè Syriam, ab Aleppo circiter germanis milliaribus decem distantis. Quæ aliundè Civitas minoris Armeniæ Syriæque Elysia est, tum climatis benignitate, tum generoso jucundoque incolarum genio, cæterorumque animantium, comprimis equorum: inde non immeritò *Chilis pari lis*; *id est*: *Civitas Chilis bona lux est*: adagium ortum Armenis; quod laude sua præ cœteris civitas isthæc polleat, splendeatque. Unde & Turcarum Aula Sultanam, seu Magni Turcæ Matrem, quam *Valida* vocare solent, hoc voluere honorare Dominio; quælibet enim cujuslibet Turcarum Tyranni Mater Chilis dominio gaudebit: pluribusque hæc Civitas, præ alijs Turcarum Civitatibus Chunkaro immediatè subjectis, fruitur privilegijs. Quâ & nobilissimâ Antiquissimâque Civitate Armeni Syrijque referunt, fuisse Oriundum Sanctissimum illum Veritatis Doctorem Chrisostomum.

Hac ergo in Civitate Bedik solemnes celebrârat nuptias sub auspicijs Amurathis Neodomini sui, in domo quidem paterna sponsæ suæ; donec curasset construi superbum sibi palacium in Civitate Aleppo: quod quidem & hodie (proh dolor in manibus infidelium) exstat, & non sine magnâ admiratione Orientalium & Europæorum de ineffabili structurâ & vastitate visitur. Cœtera inter visû notatúque digna, dignum & permagnificum illo in palatio est conclave quoddam splendidissimum, constans parietibus ex marmore tenerrimo constructis, & marmoribus quidem ad modum laterum confectis, non equidem calce, sed plumbo conglutinatis, plumbique extremitatibus marmora intermediantibus pulcherrimè deauratis. Extruxerat porrò conclave hoc pro nuptiali solennitate primogeniti sui, qui Pater Auctoris erat, dictus ex baptismo Amurathes, quod ei nomen

Bedik

Bedik Genitor eſſe voluit, quaſi in honorem Domini ſui Amurathis, cujus ſub Dominio filius natus eſſet.

Pariter Amurathes filius ſuo cum tempore uxorem duxit in præfatâ Chilis, ſicut Genitor ſuus, ubi ut plurimum & antea habitare ſolitus erat, & poſt internecionem patris ſui, in bonis maternis, quæ intacta reliquerant ei barbari, utpote materna, cum paternis omninò eundem privaſſent, & ſub fiſcum traxiſſent omnia Genitoris ſui eundemque injuſtiſſimâ plorandaque cæde interfecerint. De quo quidem caſu crudeli annuat amicus Lector, ut quædam breviter recenſeam.

Parenti mortuo Amurathe Magno Turcarum Chunkar, Tyrannide ſucceſſit filius, Hibrahim, utinam non noſcendus. Hic etenim hebes cœteroquin ingenio, animoque effæminatus, perſuaſione capiebatnr â perfidis quibuſdam ſuæ Aulæ Magnatibus adversùm Bedik, quod is, ut ſuſurrrones invidi referebant, infidelis eſſet, occultas adhuc intelligentias ducens cum Perſis ſuis, perque mare cum Chriſtianis Europæ, nec non tales hodie ſibi congregaſſe theſauros, quibus jura Cunkar debilitentur, ipſum verò præpotenti etiam Regi opibus minimè cedere: Unde fors occaſionem nanciſci potuerit, machinandi adverſum aulam inducendique rebellionem complurium ſibi adhærentium, cum damno dominij graviſſimo illarum partium, quibus is officio præeſſet. Non eſſe proinde juſtum (aſſerebant) quod hoc prægrande tantique momenti officij genus cum tanto metu advenæ concredatur & infideli, nempe Chriſtiano; neque omninò tolerandus ſit tanto in apice dignitatis, ut hucuſque, ob nimiam præpotentis Sympathiæ Amurathis in eundem, non abſque evidenti rerum periculo contigerat. Similia calumniarum machinamenta, argumentaque maledicarum detractionum, uti alias ſolet, ſolebat & hic æmula, peſſimaque Zelotypiæ Sectatrix invidia excogitare, ut Barbarum Tyrannum adverſum Bedik fideliſſimum atque innocentiſſimum commoverent. Perſuaſerant imo maligni, ut mitteretur vir ex Aula prudentior (nempe verſutior) qui rigoroſiſſimè exacta ab eodem ſubito tempore urgeret plurium annorum villicationis ratiocinia: dein verò his ſibi

præſti-

præſtitis injungeret illi, ut ad voluntatem Cunkar de Religionis mutatione non hæſitaret, ſed quantociùs Machometi fidem ſuſciperet, aut morti ſubjaceret. Scimus enim (perverſi inquiebant Miniſtri Ibrahimo) fore ut is mori elegerit, quam iniquitatem perfidiæ Chriſtianæ deſerverit. Pertinaciſſimum etenim eundem ſcimus:ajebant.Nempe inde anſam capiebant lupi agnum è medio tollendi.

Erat ad hoc nefas officium peragendum deſtinatus quidam Baſcia nomine Chelil. Is cum devenifſet in Aleppo, dixerat, feceratque cum Bedik, quæ ſibi rigoroſiſſimè eſſent commiſſa. Sed conſtantem invenit in fide virum. Quem proinde juxta Tyranni juſſum carcere reclufit in arce Aleppi munititiſſimâ. Detentum ita non raro adhortabatur ad fidei mutationem, ne ſe ſuaque bona perperam perditioni daret. Is verò ridens verba Barbari inquiebat: voluiſſe ſe Turcis ſervire, & ad tempus ſervijſſe, ex pacto & fide verbi Regij, ut Religionis maneret ſuæ: neque deficiente Regis fide & verbo, deficere ſe velle â Chriſti fide, pro cujus obſequio non ſolùm omnia bona, ſed & vitam ſuam, mille imò, ſi haberet, expoſiturum. Faciat proinde, quod Chunkaro placuerit, quodque jam optime præviderit; vel morte ſua mundo omni teſtatum relicturum de deteſtabili Turcarum benevolentia, & fædifraga fide.

Igitur elapſo menſe Chelil Baſcia decapitari juſſit Bedik innocentem ſuper mœnijs arcis memoratæ, non abſque maximo Civitatis univerſæ dolore, totiuſque Chriſtianitatis Orientis, cujus unicus zeloſiſſimus Tutor atque defenſor erat: Sed & mors Commiſſarium Chelil multo dolore affecerat. Cùm etenim ei caput abſciſſum delatum eſſet, amaris ille lachrymis diffluebat, inquiens, uti traditur: Hoccine caput illud eſt, in quo reſidebat ſingulariſſima prudentia, omniſque ſpecimen generoſitatis? Hoccine caput illud, quod corpus formoſiſſimum elegantiſſimumque ingenuâ qualitate regebat? Amaro autem corde executurus Tyranni ſui mandatum, deportari quantocyùs fecit per curſores Conſtantinopolim: Ipſe verò interim ſeſe detinuit in confiſcatione bonorum emortui, quâ cùm inſumpſiſſet

menſes

menſes quatuor, cum theſauris permaximis abſceſſit ad Domini ſui Portam. Sic igitur Martyrij coronâ condecoratus eſt Chriſti generoſus miles Bedik, poſtquam in Chriſtiana pietate annis ſexaginta vixiſſet.

Plura Chriſticolæ hujus Viri laudis argumenta deſumenda ſunt ex plurimis pijſſimiſque operibus ejus, quæ & hodie in minori Armenia, Meſopotamia, Syriaque celebrantur, comprimis in Civitate Aleppo: Ubi per ſingularem gratiam ſub Amurathe obtentam quatuor ſumptuoſas conſtrui fecit Eccleſias, in uno eodemque ambitu & atrio: duas pro Armenis ſuis, unam pro Græcis, quartamque pro Maronitis, qui orthodoxam ſequuntur Romanam fidem. Ulteriora verò Viri tanti enarrare facinora oneroſum eſſet calamo ad finem operis vergenti.

Porrò majorem barbariem & perſecutionem Hibrahimi Tyranni timens filius præfati Bedik Amurathes, relictâ uxore & matre in Civitate Chilis, confugit ad Perſas, quorum Rex, qui tunc erat Sciah Sephi, Avus moderni, benevolè exceperat eundem; ubi penes Aulam Regis in domo Patruij ſui Abedik ſupradicti, jam etiam defuncti, commoratus eſt, donec ſua compoſuiſſet negotia cum infideliſſima Turcarum gente, rurſumque conceſſum ſibi eſſet vivere, fruique liberè & ſecurè bonis maternis, ſuaque in fide perſiſtere, quod tandem obtinuit à Magno Tyranno ad interceſſionem genitricis ſuæ defuncti Amurathis uxoris. Quâ quidem ſpe ex Perſide reverſus eſt in Chilis, ubi cum ſuis bona rursùm materna poſſedit, aliàs jam per patrem locupletata, inibique Chriſtianâ pietate tranſegit dies ſuos, ſortitus duodecim proles, è quibus ultimus erat Author Operis hujus, velut Benjamin: qui & mortuo bonæ ætatis Parente, cæteriſque prolibus omnibus, ſolus ac individuus in Familia Bedik ſuperſtes remanſit ſub tutella Matris: de quo proinde, relictis pluribus, quæ de inſigni Bedik Familia dicenda forent, ſingularis Lectori in ſequentibus fiet notitia.

Certum equidem eſt, delicta parentum ſubindè puniri in filijs, & e converſo intuitu meritorum Parentum non rarò hos gratijs â Deo donari. Id ipſum Author in ſe eveniſſe arbitra-

tur,

tur, quippè quem Deus Omnipotens non ſolùm mirabiliter in sua pueritia Turcarum Tyrannidi eripuit, ſed etiam ad felicius gremium benigniſſimæ Matris Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ deduxit.

Igitur cum tredecim eſſet annorum juvenculus in pientiſſima Genitricis ſuæ tutela educatus, perfidorum non ceſſante invidiâ, expeditum eſt barbaricum quoddam decretum â porta præſentis Turcarum Tyranni, quo ad inſtantiam malignantium quorundam renegatorum, qui etiam ſanguine cum Authoris Matre juncti erant, quorumque hodie adhuc extant in ſervitio Tyranni diverſis locis Imperijs ſui, præcipiebatur Præſidi Civitatis Chilis, ut quantocius mitteret Nepotem Bedik rebellis & infidelis (coram Deo fideliſſimi & innocentiſſimi) occiſi ad portam Othomanicam pro magni ſervitio Tyranni. Erat enim hoc inventum peſſimorum, quo invidi Barbari moliebantur Chriſtianam ex Bedik familia omninò eradicare fidem & prolem Interim expeditionem hujuſcemodi nefandi decreti futuram felix præſciverat Mater ex Chriſtianorum quorundam Conſtantinopoli degentium relatione. Hinc mulier prudentiſſima natum dilectum quantotiùs fugere curavit Hieroſolymam cum comitatu Virorum quorundam fide dignorum, ut ita veniente decreto Tyranni filius dilectus domi non inveniretur. Cumque poſt dies aliquot decretum Præſes Civitatis indicaſſet Matri, multo zelo atque favore congaudens ei, eidemque feliciſſimum depingens nuntium, quod ad portam Domini ſui, illiuſque ſervitium dilectus filius avocaretur, quod utique & ipſi filio, & Matri, totique hactenus deſolatæ familiæ Bedik in conſolationem & gloriam ceſſurum ſit: ſagax & prudentiſſima Mater reſpondit; Dignaretur quantotiùs cum patientia & gratia expectare Præſes, ut filius ſuus, quem Aula tanta ſervitorem exigeret, Hieroſolymâ rediret, cui quidem humanæ, diſcretæque excuſationi non poterat non condeſcendere decreti tyrannici executor.

Interim pientiſſima prudentiſſimaque Mater nullo non cogitatu deliberaverat, quâ ratione filium è manibus inimicorum, & infidorum faucibus jam jam præparatis ad eſcam vindi-

vindicaret: quâ etiam ratione multa clam cum amicis fidelibus suis, & consanguineis consilia inijt; nesciens competentem, & securum liberationis modum. Donec tandem miserente Deo, Sacerdos quidam Græcus, (qui certè Catholici fidelissimique Christiani hoc in eventu munus obijt,) consuluisset matri non esse hoc arcto in tempore cogitandum de mittendo in Persidem juvenem, quod hæc multùm distet: neque de alio medio consultandum, præterquam quod (si verè salutem animæ filij sui desideraret) eundem tradat, commendetque curæ Patrum Franchorum, scilicet Europæorum, qui sunt in Civitate Aleppo, nec non illorum Consuli: quorum maturâ operâ, & fideliori consilio, is facilè mitti possit per mare in ipsorum Patriam, ubi omnes sunt Christiani; unde & eundem, transactâ persecutione, aliunde adinterim temporis ætate maturandum, possit revocare. Persuaserat Sacerdos optimus Matrem de filij salute zelosissimam: quamvis hoc non sine magna animi amaritudine, qua ut plurimum tenerimi matrum affectus torquentur in filiorum dimissione, commiserit dilectum natum, unicumque familiæ superstitem manibus aliorum, & quidem in partes remotissimas remittendum. Clàm ergo per Mercatores quosdam Civitatis Chilis, degentes tunc in Aleppo occasionem cœperat salvationis filij sui, cum quodam Gallorum Consule, dicto Domino Francisco Piquet, qui tunc temporis in præfata Civitate omni cum laude Nationis suæ, universorumque Catholicorum curam gerebat in temporalibus, & spiritualibus: cujus equidem præclaras actiones, Christianasque virtutes, non solùm Oriens celebrat, sed & maximè Sancta Sedes Apostolica agnoscit; utpotè cujus adhùc in sæculo degentis operâ solertiâque permultum utebatur, sicut & modo intendit illo uti, circa altiora pro animarum salute in Statu Ecclesiastico, in quo de præsenti religiosissimè vitam agit Episcopi Babylonensis de Sanctæ Sedis gratia titulum sortitus. Atque per hunc quidem virum optimum patratum est opus tantum, promotaque salus animæ Auctoris operis hujus, quæ aliundè non inaniter periclitabatur. Postquam enim Consul pientissimus mensis unius

decursu servasset juvenem in domo sua, cum charitate, benevolentiâ, & cautelâ permaxima, voluit dimittere eundem in Galliam. Melius autem eundem persuaserat Episcopus quidam Jeropolitanus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, natione Italus, tunc in Aleppo degens, & ex hinc versùs Indos tendens; quod non ad Galliam mittendus esset juvenis, sed felicius Romam, ubi in quodam Collegio studere valeat, Catholicæque veritatis & doctrinæ fundamenta capessere.

Agebatur feliciter, quod dispositum erat. Cùm interim incessabilis diligentia, & exploratio fieret à Præside Chilis, & Bascia Aleppi de juvene, ubinam esset, molestando non rarò Matrem, atque Amicos. Ast Genitrix tantùm prudens, quantum generosa, illud Præsidi replicabat, non intantum pertinere ad ipsum, neque urgere eundem, ut filium à se quæreret, quantum urgeret se ipsam ejusdem inventio, cui tam ardua esset, & perdifficilis dilecti perditio: quin potius quærere se magis posse ab ipso inquirente, quonam devenerit. Cùm enim tenellus esset juvenis, inaudierit forsan super aulæ decreto, timidusque servitium perarduum, & gratiam domini tui insecuram quacunque obviâ fugâ prætererit, præcipitans se, aut cuicunque alteri periculo desperabundè committens. Similibus argumentis occasioni peraptis, prudentissima, generosissimaque Mater detorsit audaciam, & persequentis compressit furorem Tyranni. Donec tandem Bascia Aleppi expiscatus esset Franchos, seu Europæos juvenem ad Patriam suam suffuratos esse: unde Barbari ansam cœperant, haud exiguas inferendi persecutiones quibusdam Religiosis Missionarijs: quas tamen sedare, & totaliter extinguere, nonnihil curaverat præfatus Dominus Consul, insumendo haud exiguam pecuniarum quantitatem, quibus perfacilè obcæcatur avidus, vilisque Turcarum animus, in causis etiam aliunde justissimis.

Dante igitur Deo juvenis Bedik salvus anima & incolumis animo sanusque corpore devenerat Romam, & ex Manugh, quod pristinum ejus erat nomen significans innocentem, vocatus est nomine Principis Apostolorum Petrus, ibidemque juxta relatio-

relationem præfati Consulis benignè susceptus erat â Sacra Congregatione de propaganda fide atque ad Collegium Urbani VIII. Pontificis Maximi depositus. Ubi imprimis habuit sibi Magistrum spiritualem, & in lingua directorem R. P. quendam Carmelitam discalceatum nomine Cœlestinum, qui per plures Annos zelosissimè in diversis partibus Orientis precipuè in Aleppo nonnullo munere perfunctus missionis est. Pro Instructore autem in Latina & Italica litteraturis Magistrum habuit sibi quendam nomine Joannem Baptistam Sacheti Presbyterum, qui juxta recommendationem superiorum multa solertia, & charitate per tres annos in præfatis duobus idiomatibus eundem erudijt taliter quidem, ut publico tandem examine juvenis declaratus fuerit ab Eminentissimo D. Cardinali Francisco Barberino, aptus ad Philosophiæ scientiam. Quam pariter audivit, sub cura eximij cujusdam Presbyteri Joannis Brennani natione Hyberni, Viri sanguine, doctrina, famaque perspicui, hodie Archiepiscopi dignissimi in Patria sua, cum vero philosophiæ per triennium absoluisset Cursum, non sine singulari satisfactione, & laude Congregationis Sanctæ Theses defendit publico prælo atque oppugnationi expositas: gerente tunc Romæ Secretarium ejusdem Sacræ Congregationis de propaganda illustrissimo Domino Mario Albritio hodie Eminentissimo. Rectoratum vero Collegij administrante Perillustri, Admodum Reverendo Domino Andrea Bonuicini Pistoriensi, & Protonotario Apostolico, qui & hodie feliciter eodem Romæ fungitur officio, spe ulterioris Sanctæ Sedis gratiæ, quæ sibi præclara merita multo cùm fœnore pollicentur. Theses porrò dicârat Eminentissimis sex Cardinalibus Congregationis Sacræ; nimirum Cardinali Eminentissimo D. Flavio Chigio, qui tunc Cardinalis Padronus erat. Cardinali Julio Rospiliosio, qui fuit postea Clemens IX. Cardinali Cæsari Fachinetti, Cardinali Francisco Albitio. Cardinali Federico Zforza. Nicolao Cardinali Lodovisio.

Nullas non tunc obtinuit gratulatorias artis Athleta, quibus ei Eminentissimi præfati Domini plurimùm favebant; adeo, ut Dominus Eminentissimus Julius Cardinalis Rospiliosus pro tem-

porum succeſſu ſuam ei purpuram ex optârit. Quem aliunde Eminentiſſimus, idem Dominus benigniſſimè humaniſſimeque ſemper proſequebatur. Neque minori tutelâ & patrocinio huic Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Franciſcus Barberimus afficiebatur, ſuis præcipuè in infirmitatibus,ob nimium ſtudium contractis, multoque zelo & charitate ſatagebat, ut is protinus ab illis curaretur, & nonnullâ diſtractione à ſtudiorum onere ſubinde alleviaretur. Quam ſanè paternam propenſionem juſtiſſimâ ratione omni mundo conteſtaturus Author Bedik,uti filius ab inſignibus Patris gloriaturus, in corde ac meditullio inſignium ſuorum, quorum effigiem Lectori in Idæa palacij à Principio hujus opuſculi ſui poſitâ appreſſit, fecit effigiari apem mellifluam, unde gloriantur florentiſſima inſignia Illuſtriſſimæ Domûs Barbarinæ, cui ſe omni tilulo adſtrictiſſimum novit, nedum ut tenerrimè educatus In Collegio Urbani VIII. Pontificis Maximi, ſed & quod ab ejuſdem Eminentiſſimo pientiſſimoque Nepote plurimis munificentiæ, ac beneficentiæ modis ſit omninò devinctus.

Elapſo porrò Artium Philoſophicarum curſû Sacræ Theologiæ incubuit, ſub curâ ejuſdem præfati Domini Brennani: Dogmaticam verò, ſeu Controverſialem eruditus à Reverendo quodam Domino Olivierio pariter Hiberno, hodieque Epiſcopo. Demumque moralem Theologiam,excepit ſub curâ eximij cujuſdam Patris S. Ordinis Minimorum D. Franciſci de Paulâ, nunc item Epiſcopo.

Dæmon verò omnis boni impatiens, prævidensque futurum fors notabile bonum in hoc Sanctæ Sedis Alumno multicoloribus tentationum verſutijs teneram invertere conatus eſt puſilli mentem, qnod ſat ſuperque jam ſtuduiſſet, appropinquaſſeque tandem tempus, quo felicior Orientem accederet, ubi & optima plura, quam Romæ exiſtens,patrare valeret. Præſcribebat autem hæc bona ipſi, tanquam (ut Italia benedicunt *Caſtelli in Aria*) patratû facillima & feliciſſima. Non autem cogitationis hæ, licet de fine peroptimo, idoneæ adhuc erant ætati teneræ & inexpertæ juventuti hominis quidem illius, cui potentiſſimæ aliunde in Oriente

perſe-

persecutiones manerent, maxime in Turcarum Imperio, quas nuper vix mirè per DEI misericordiam ineffabilem evasisset. Sed verò usque adeo cogitationes hujusmodi cor ejus occupârant, ut is per fas nefasque licentiam urgeret à Sacrâ Congregatione, quantociùs Româ in Orientem abeundi. Quæ tandem licentia non sine singulari ejusdem S. Congregationis displiccentiâ, modo tamen permissivo ei concessa est. Qui porrò relictis honoribus, & commoditatibus Romæ habitis, unâ cùm illo Archiepiscopo Matthæo, qui litteras Clementis Noni ad Regem Persarum deferebat, de quo & alibi facta mentio, iter suscepit in Persidem, non sine maximis continuisque Turcarum sibi insidentium periculis casu quo eundem dignoscerent. Quapropter qualem p.m. Archiepiscopus curam cautelamque de eo per omne iter habuerit, donec in Persidem devenirent, penset Lector, cum cæteroquin hic recensere onerosum foret.

Ast, prout verissimum dixit Sanctus ille Ecclesiæ Doctor Augustinus, suo exemplo Magister, quod *Deus ex malis noverit bona facere*: sic & in casu hujus Bedik manifestatum esse videtur. Quemadmodum enim misericordissimus DEUS mirificè eum primitiùs è diversis instantibus periculis liberarat, vocans eundem ad gremium Ecclesiæ suæ Sacrosanctæ, forsan intuitu bonorum operum antecessorum suorum; sic pariter dein idem omnipotens & misericors, intuitû utique benedictionum Sanctæ Ecclesiæ suæ, præmaturam insufficientis hominis intentionem, præcoremque juventutis zelum feliciter direxit, liberans eum non solùm à diversissimis Turcarum periculis, sed & alijs Persarum Armenorúmque odijs, uti constare potuit prudenti Lectori ex nonnullis occasionaliter, hic brevissimè dictis in alijs Articulis. Sed nedum is favente gratiâ DEI, atque intercedente Sacra Christi Ecclesiâ Orthodoxâ plurimas hostium superavit insidias in columis semper ab inimicis in Domino Triumphator: verum etiam plurima magni momenti negotia in ejusdem DEI liberalis, & misericordis gloriam, Ecclesiæ Sanctæ honorem, & Christianitatis in Oriente emolumentum feliciter deduxit: ut de eo illud dici possit, quod olim æterna Sapientia, immortalisque optimus Medicus Christus Redemptor

demptor omnium, ſuo quondam perſecutori, tunc verò defenſori, licet in infirmo dixerat. *Virtus in infirmitate perficitur: ſufficit enim gratia mea* Tibi (a) Unde Divinæ hujus veritatis ſtimulum expertus in ſe, idem Chriſti Apoſtolus, gratificaturus DEO ſuo edixerat. *Non volentis, neq; currentis, ſed ſolius, Dei eſt miſerentis.* (b)

Jam oerò & curioſioribus lectoris benevoli quæſitis eſt reſpondendum. Inquiret is forſan. Suppoſito hoc ſtatu ſuo, & conditione peroptimâ Bedik iſte, cur non manſiſſet in Aulâ Romanâ, cui ab educatione & teneris diſciplinis notus eſſet, aut cur eſſe noluerit in Aulâ Perſarum, ubi pariter cum progenie ſua notæ melioris erat, ſuperatiſque difficultatibus & perſecutionibus, in bonis tranſigere dies potuiſſet ſuos, ſortiturus inſuper honores ſingulariſſimos ſub auſpicijs potentiſſimi Perſarum Monarchæ Solimani, qui cæteroquin cum aulâ ſuâ propenſiſſimus eidem eſſet. & voluerit in hac Cæſarea permanere Aula, quæ aliunde ipſi ignota, & ipſe illi eſſet? Is verò amice, amico Lectori, quantum eſt ex parte ſuâ, dicet, quod in veritate ſenſit. Hanc nempe voluntariam reſolutionem ſuam non ortam eſſe ex motivo quodam ſpecialis obligationis, vel majoris curioſitatis, & delectationis, utilitatiſque forſan aut commodi temporalis, uti forſan quærendi perſuadet ignota Authoris in hac Aulâ permanſio. Hæc enim motiva eſſe non poterant ad tanta tamque gravia itinera, & pericula ſubeunda, cum aliunde in remotiſſimo quodam vaſtiſſimi Orbis angulo is condecenter & quiete periodum perbrevem dierum mortalitatis ſuæ perſolvere potuiſſet. Sed ex Sancta, pia, ſympathicâque id factum eſſe devotione, noveris amicus Lector, quâ ſic inſpirante Divino omnipotentiſsimoque Numine Author in Oriente adhuc exiſtens jugiter anhelarat Auguſtiſsimis ſeſe Romanorum Imperatori etiam liminibus quandoque conſecrare, deferens vires, & vota ſua. Tum quod id ipſum non præjudicaret ſuæ in ſanctam Sedem Romanam obligationi, quin imo hæc ipſæ ſit promovenda: quippe quod à præfata ſanctiſſima pientiſſimaque Auſtriadum domo laudatiſſima tot facinora & admiranda in Eccleſiam Dei

(a) 2. *Cor.* 12. *v.* 9. (b) *Rom.* 9. *v.* 16.

Dei obſequia; totiuſque Orthodoxi Orbis defenſionem patrata (ut ita dixerim) miracula tantam Authoris menti concilia rint devotionem, ut is pro ingenuitate talis devotionis ſuæ exoptarit ſuis obſequijs devinctum eſſe Auguſtiſſimæ huic Aulæ, quæ nonniſi amæniſſimus locus Echonis eſt, unde omnis Romanorum Pontificum voluntas ex intimis penetralibus Cordis Auſtriaci ad litteram etiam, ac jota unum ſinceriori ſemper modo, prouti orbis etiam univerſus hactenùs audijt, reſonare nec ceſſavit, nec ceſſat, aut ceſſabit. Ut proindè Author intendens ſervire Deo & Eccleſiæ ejus ſanctæ, ſub animi ſui conclavi optimo utique ſecum conſilio concluſerit, non ſervire infideli Perſarum Aulæ, aut alijs quam in libertate poſitus frequentârat, tametſi ad Chriſtianorum afflictorum ſervitia, ſed Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori: cui etenim inſerviens ritè, Deo utique, ejuſque inſervire arbitrabatur Eccleſiæ; ut ſubindè tale ejus ſervire, regnare potiùs dicatur, juxta illud, *ſervire Deo regnare eſt.*

Si autem deſiderârit ultra Lector, quo motivo opuſculum hoc Author compilârit de rebus Orientis & præcipuè Perſidis, quæ aliundè jam ſat, ſuperque deſcripta eſſe videntur, is reſpondebit: noluiſſe ſe perperam ſomno, & otio tempus terere, ſed ea, quæ ab alijs tacta ſunt, enucleatiùs dillucidare, aut ſi quæ forſan in tacta ponere: qui proinde & ſuam â Lectore fidem præſtolatur, quod rerum Orientalium, utpotè illius Orbis domeſticus, exactiorem habere potuerit notitiam, & efficaciùs aſſumpſerit teſtimonium ſcribentis, oculatam & perſonalem ſui ipſius experientiam. Cœterùm conſiderârat Author, duobus modis hominem poſſe ſuos extendere honores, fortunâ Comite, per litteras nempè vel per arma. Armis autem hic & nunc, inquit, honorabile dignumque obſequium devotionis ſuæ non potuiſſe ſe exhibere Clementiſſimo Domino ſuo Auguſtiſſimo Imperatori ex eo forſan quod curui Perſarum Acinaces nihil honoris præbere poſſint in Schola Martis cum excento Europœorum gladio, quo jam olim uſque nunc plurimi recti corde, & generoſiſſimi Germaniæ Scipiones, uti dignum & juſtum eſt pro defenſione Majeſtatis ſuæ, inclytique totius Imperij ejuſdem, ſub potenti

tenti

tenti manu illius, qui continet *omnium Jura regnorum* floridissimum ejus Armorum condecorant campum. Ut proindè Author sua saltem obsequia modica hac litteratura Augustissimis liminibus prosternat, ratus scientiæ & doctrinæ unionem in amissibilem esse thesaurum, qui dum omnibus etiam quibuscunque ex obsequijs communicatur, integer ultro posſideuti manet, quod non præstat Armorum Virtus, quæ longiori utcunque decertatione debilitatur. De,qua proindè Virtutis litterariæ, artis aut doctrinæ perseverantia illud poeta cecinit.

Sola comes (ars seu Virtus) *nostræ præstitit illa fugæ,*
Sola nec insidias inter, nec militis ensem,
Nec mare, nec ventos, barbariemque timet.


Hoc ergò litterariæ suæ virtutis specimen Orbi relinquere voluit Author, atque uno hoc opere triginta trium Articulorum omnem ætatem suam, & vitæ diem hactenus transactum Augustisſimæ subscribere Majestati, undè tantum hæc præsumere posſit de Authore quo ad futura, quantum de præsenti obtinuit quo ad præterita. Prout & Author idem suam in sacratisſimum Augustisſimum Clementisſimumque Dominum obsequiosam humilitatem fusius expresſit in data ad eandem Gloriosisſimam Majestatem præfatione, Latina, Persica, Arabica, Turcicaque, sicut in præfatione ad Lectorem benevolum. Undè cuique non constiterit esse laborem perperam ab Auctore transactum, tametsi de ijsdem rebus plura sint aliorum Authorum commenta.

Suscipiat ergò quisquis legerit tenue hoc opusculum, néque æstimet Domitiani de muscis laborem,aut Hartabi Hircanij de Talpis,aut Eropi Macedonij de Laternis,aut Biæ Lidij de Ranis. Magis enim seria moliebatur Author, dum tempus suum terere vellet. Quo & laboris sui decursu, non viderit eum utcúnque Lector, Ptolomæi more Artificum tabernas obambulare, aut cum Valentiniano inutilibus tantum picturis, aut cælaturis incumbere. Inde & tempus mansionis suæ ad limina Aulæ hujus

sacra-

ſacratiſſimæ in Monaſterio Patrum Prædicatorum fructuosè traducere voluit, opuſculúmque hoc modeſto labore conficere atque ita confectum omni mundo in Lucem dare : juxta illud. *Sic luceat Lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem Veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Exantlatum denique laborem ſuum Author Lectori adjecto ſchemate pro coronide operis proponit.



Hoc & Chronologicum elogium de operis Authore exhibitum vellint Lectori, ij, qui, ejuſdem in eodem, ſerium animum, perutiles labores, meritaquè ſingularia, ſingulariter perpendêre opere.

QVæ aMate LeCtor eXqVIsIta VIDes,
PETRVS BEDIK sangVIne CLarVs, faMâqVe notVs ponIt.
InsIgne Is opVs CVM DEO eXpLeVerat,
CVM DIe VIgIL sVrreXerat
IntenDerat Is orbI ChrIstIano pLVrIMa obseqVIa eXhIbere
qVa De ratIone, qVos CaVtè IaM sVstInVerat Labores,
eCCLesIæ ChrIsto saCratæ LVbens, aC pronVs anIMo eXantLaVerat
LaboraVItqVe *honoreM eXtenDere faCtIs* sVIs.
MarI, terraqVe perICVLa paſsVs, haVD terrItVs
pLVra In DeVM obseqVIa eXCogItat,
FIDes, atqVe VIrtVs reMos feLICes agVnt, agentqVe;
DeVs aVXILIo eVM ConfortabIt.
fatVVs Ipſe DoMItIanI InseCVtor fIerI noLVIt.
MVsCas potIVs Vt abIgeret, LaboraVerat InDefeſsVs.

operaM Vnà oLeo perDere, totIs VIrIbVs reCVsaVerat;
seD genVInIs apIbVs afsIMILarI CVpIVIt.
ConabatVr Veros fLores stVDIorVM InqVIrere
aC MeL erVDItIonIs Veræ eXsVgere.
QVærIs: VnDe De DVLCIbVs gLorIetVr?
fLores, qVa orIentaLes, qVa oCCIDentaLes præCLaro Labore seLIgere LVbens stVDVerat.
DoneC eX hIs sVgeret MeL sVaVItatIs.
Vt LVCeret opVs eIVs bonVM DIIs,
hoMInIbVsqVè eX LVCe arrIDeret,
horIs aLIàs qVIetI eXponI soLItIs, Ipse Vtens LaMpaDe,
noCtes Ita VertIt In DIes, eXIMIIs LaborIbVs.
hIs trIgInta trIbVs artICVLIs oMnIa eXpeDIens,
ÆtatIsqVe sVæ speCIMen LegentIbVs, DatVrVs,
Ista VIVæ statVIt eXperIentIæ InsIgnIa.
De eXantLatIs LaborIbVs optIMIs InsIgnIter gLorIatVr.
DVM papaLI CæsareaqVè gratIâ perfrVItVs fVerat,
DVpLICI Coronæ eXCeLsæ soLers, Constanter DeVInCtVs,
Magnâ hInC DILIgentIa, atqVe VIrtVte fInIIt opVs:
Deo sVo gLorIaM, tIbI Verò, VaLe, Lætanter eXoptans.

F I N I S.



INDEX

INDEX GENERALIS

Articulorum, & eorum quæ in his continentur.

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI.

ARTICULUS VII.

ARTI-

ARTICULUS XV.

ARTICULUS XVI.

ARTICULUS XVII.

ARTICULUS XVIII.

ARTICULUS XIX.

ARTICULUS XX.

ARTICULUS XXI.

ARTICULUS XXII.

ARTICULUS XXIII.

mano-

Ad Lectorem admonitio.

PArcendum ſibi â Lectore, Author deſiderat, quod nonnulli errores irrepſerint typo, confidit enim, de diſcretione ſcientis, qui errorem vel calamo, vel oculo minùs conſiderato adſcribere poterit. Sunt tamen potiores, & qui majoris eſſe momenti poſſent, in hac tabellâ expoſiti, de quibus, ſi Lector in eos inciderit, indubius hic informationem inveniet, juxta folij & lineæ citationem. Minores verò mendas, vel non advertendas, vel cœteroquin ſperat, benevolè excuſandas: cum aliunde ingenium Authoris Orientale, magis demiratum ſit Typographi artem, quam arte errores quoſque obvios advetere, corrigerevè potuerit. Item ſi aliquo in loco ex incuria contigerit Hali alitèr, quam Machometi nepotem ex Fratre, & Generum reſpectu dicti Machometi Filiæ, ipſius Hali uxoris, poterit diſcretus Lector (ſic ab Authore nominatus) id conjicere, quod typi & cenſuræ inadvertentiâ irrupit.

Folio 13. Linea 3. objecta lege abjecta. fol. 28. lin. 7. corde leg. corda. fol. 33. lin. ult. ſequitura lienam ſequitur alienam. fol. 35. lin. pen. fructus l. functus. fol. 44. lin. 18. reſplendem l. reſplendentem. Ibid. lin. 14. quærimini l. querimini. fol. 52. lin. 10. fibriæ l. fibræ. fol. 59. lin. 8. Generi l. Genero. Ibid. ead. lin. pronepoti l. Nepoti. fol. 62. lin. 15. perdeude l. perpende. fol. 66. lin. 9. proderunt l. proderit. fol. 77. lin. 7. bsii l. ſibi.

l. ſibi. fol.82. lin.29. omniſſa l. omiſſa. fol.86. lin.2. contiggere l. contigêre. fol.97. lin.20. patruelem l. nepotem. fol.108. lin.17. craſſatur l. graſſatur. fol.113. lin.5. cunſulere l. conſulere. fol.114. lin.8. mortam l. mortem. fol.115. lin.4. Evangeliæ l. Evangelicæ. fol.121. lin.26. dono l. doni. fol.123. lin.19. ſignificat l. ſignificant. fol.123. lin. . ficus l. ficus. fol.135. lin.ult. Dæmonum l. Dæmonijs. fol.137. lin.6. laboretur l. haberetur. Ibid. lin.11. inutibibus l. inutilibus. fol.143. lin.4. extranea l. extraneo. fol.153. lin.29. poſui l. potu. fol.162. lin.21. reſpicitis l. reſpuitis. fol.171. lin.7. qaia l. quia. Ibid. lin.26. quem l. qui. fol.173. conſentientis l. conſentientes. fol. 181. lin.15. omniò l. omnino. fol.190. lin. 15. præſumſit l. præſumpſit. fol.192. lin. 9. ſuperbiſſimum l. ſuperbiſſimus. fol.202. lin.17. Conſtantinopolis l. Conſtantinopoli. fol.207. lin. 24. nobis l. vobis. fol.216. lin.6. aptatiſſimoq; l. optatiſſimoq; fol.219. lin.5. omittere l. amittere. fol.224. lin.15. invincibilea l. invincibilem. fol. 226. lin.18. hibi l. ſibi. fol.227. lin.3. liberte l. libertate. Ibid. lin.9. ugo l. jugo. fol.228. lin.3. infaminæ l. infamiæ. fol.233. lin.16. habuare l. habuêre. fol.255. lin. 25. monte,matq; l. montem, atq; fol.270. lin.6. omnie l. omnes. fol.274. lin.19. permicibus l. perdicibus. fol.275. lin.14. ſequuntur l. ſequitur. Ibid. lin.17. ſolens l. ſolet. fol.277. lin.13. brevis l. breviter. fol.279. lin.16. laucarum l. leucarum. fol.284. lin.19. Equis l. Ecquis. fol.295. lin.9. ſapitia l. ſapientia. fol.297. lin.13. quantitem l. quantitatem. Ibid. lin. penul. Mamona rectè eſt. fol. 298. lin. 3. illis l. illius. Ibid. lin.20. pernicibus l. perdicibus. Ibi. lin.32. ſuccu l. ſucco. Ibid. lin.30. eum l. cum. Ibid. lin.33. jam l. quam. fol.304. ſagicitatis l. ſagacitatis. fol.312. lin.19. teſtatum, l. teſtata. Ibid. lin.21. referens l. refert. fol.318. lin.33. hic l. his. fol.322. lin.20. temporati l. temperati. fol.323. lin.7. æquivalentiæ l. æquivalet. Ibid. lin.10. cum dimidio adde groſſos. fol.324. lin.14. ſerpantur l. ſervantur. Ibid. lin.33. nobile l. nobilem. fol.339. lin.12. Turca l. Turcas. fol.342. lin.9. prodiagliter l. prodigaliter. fol.346. lin.4. gratiæ l. gratia. fol.348. lin.17. expetitiorem l. expeditiorem. fol.351. lin.30. ſonent l. ſonant. fol.352. lin. 11. robure l. robore. Ibid. lin.27. morte l. mottem. fol.353. lin.16. lui l. ſui. fol:358. lin.20. majori l. majoris. fol.360. lin.1. graſſa l. craſſa. fol. 365. lin.32. exigere l. exigi. fol.377. lin.9. Æraxis l. Araxis. Ibid. lin. 14. littus l. litus. fol.378. lin.5. ſoror l. ſorore. fol.381. lin.11. bombaci l. bombici. fol.382. lin.25. diſtantibus l. diſtantia. fol.383. lin.12. dinſtans l. diſtans. Ibid. lin.26. milliaria l. milliarium. fol.385. lin.6. hæredici l. hæretici. Ibid. lin.12. Monachis l. Monachi. & lin. ult. anioma l. axioma. fol.389. lin.30. obſervare l. obſervâtione. fol.393. lin.12. verſaſſus l. verſatus. Ibid. lin.13. quercum l. quercus. & lin.pen. reliquid l. reliquit. fol.400. lin.7. poſthuria lege poſthumi. Ibid. lin.18. æquanimate l. æqnanimitate. fol. 408. avitam cognationum l. avitâ cognatione. Ibid. lin.10. auxo l. auro. & lin.11. Maraello l. Marcello. fol. 305. lin.2. Bolonia leg. Colonia. Ibidem Paures leg. Taures.